


Pour

Le Reverend Pere
Pommereau Rect.r du
Novitiat des Jesuites au faubourg
St. Germain
de la part de l'autheur
et de son tres humble
et tres obeïssant serviteur
Venier.



Paillet in. et del. *Vallet sculpsit*


LEONARDI FRIZON

E SOCIET. JESU

OPERA POETICA,

LIBRI XXIV.

Cum Orationibus Panegyricis III.




PARISIIS;

Apud SIMONEM BENARD, viâ Jacobea è regione Collegii Claromontani Societatis JESU.

M. DC. LXXV.

Cum Regis Privilegio.



CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
FERDINANDO
EPISCOPO PADERBORNENSI,
COADJUTORI MONASTERIENSI,
COMITI PYRMONTANO,
LIB. BARONI DE FURSTENBERG,
LEONARDUS FRIZON S. J.



VAM vere sciteque à Consulari viro politissimoque autore scriptum sit Pliniô, nescire semel incitatam liberalitatem stare, cujus pulchritudinem usus ipse commendat; id ego, CELSISSIME PRINCEPS, *jam à triennio plane sentio, felicissimaque experientia*

comprobo, perennibus à te donis & beneficiis ornatus. alia nimirum ex aliis nectuntur, specie varia, honore inter se pretioque certantia. Quorum ut exordium hîc debita memoris animi testificatione consignem; funebre carmen olim à me, non sanè tantam in spem, amico datum ita non improbasti, ut existimationis honorificæ testem officiosæque tuæ voluntatis interpretem esse jusseris eundem illum elegantissimum hominem ac disertissimum, qui tenuem ingenii mei fetum exhibere Poëtarum Principi non dubitarat. Nec verò sola judicii & benevolentiæ significatione contentus, humanitatis etiam pignus ex ipsa Germania in ultimas ferme oras Galliæ certissimum amplissimumque transmisisti, librum insignem, atque auctore suo, quod instar omnis est elogii, dignissimum.

Hîc ego, PRINCEPS OPTIME, quibus exequar verbis, quanta mihi sit gratiæ tuæ oborta lux; quod Vir tantus, heroica stirpe, Pontificum intima consuetudine, Regum amicitia, Christianarum omnium gentium admiratione, plausu, præconio celeberrimus, ex

iſto rerum faſtigio longinquum ignotumque reſpexeris hominem, ac ſplendidiſſimo munere provocaris? Et ſane cum à magno Principe quidquid ſit muneris profectum, in pretio & honore habeatur: tum ſi quid ipſa Principis manu elaboratum, perfectum induſtria, venerit; id certe primas theſauri partes jure meritoque obtineat. Quo igitur animi ſenſu, FERDINANDE, donum iſtud à me ſuſcipi neceſſe fuit, quod neque à magnificentiſſimo Principe inſtrui ornarique potuerit, niſi pariter ingeniorum doctrinarumque principe? non volumen Poëticum, ſed ipſam vivam & ſpirantem Poëſin; neque in arctum coactam rerum naturæ, ut ait ille, ſed artis pulcherrimæ majeſtatem, ex omni parte mirabilem.

Jam illum tuæ liberalitatis primum excurſũ quot alia ſubinde vel humanitatis vel eruditionis argumenta conſecuta ſunt! littêraſne dicam, orationis elegantia, urbanitatis comitate ſuaviſſimas? an æterna quæ condidiſti, non tam Paderbornenſis regionis, quàm excelſæ mentis divinæque Monumenta? Quid recentiora, variis noviſque de rebus edita

carmina? quorum blandissimis illecebris, & mirifica munerum tuorum voluptate sic affectus, ita captus sum; ut explicare satis non possim, cui contemplandæ vacavi, numeris omnibus absolutam & venustatem operum & dignitatem; aurei profecto seculi germanam imaginem, & secretis veterum autorum vitiis omnibus, meram perfectamque virtutum omnium complexionem. Hanc incorruptæ antiquitatis imaginem absolutissimam, jamtum in juvene spectabilem Roma suspexit: huic nobilissima cultissimaque fasces Academia principatumque detulit. Sed te patria ad alium longe principatum infulasque revocavit; felix regio, quæ tantarum luce virtutum artiumque spectatissimâ formâ gaudeat; tuos afflatus sentiat, tuo vultu & spiritu ad suscipienda celebrandaque Musarum sacra excitetur. Quanquam tu,

Antiſtes doctorum ſancte virorum,

singulari benignitate nationem universam comprehendis Poëtarum; beneficiique publici vim & amplitudinem ad remotissimas gentes futuraque secula porrigis. Me quidem ip-

ſe fortunatum agnoſco, cui ſponte aditum in Parnaſſum illum aperueris, quo in ſummo regnas, idem propoſitus exemplum, & Poëtis, egregie ſcribendi ad merita decoraque Principum illuſtranda; & Principibus viris, amicè ſplendideque Poëtas fovendi, magiſtros præconeſque virtutis, famæ gloriæque procreatores, ingenuæ liberaliſque voluptatis artifices. At iſta pro ſe quiſque Vatum, in laudes tuas undique certatim incumbentium; ſive ad ſummi Patroni gratiam ſane parabilem, honeſto quodam ambitu captandam; ſive ad grati piique animi poſt accepta dona memoriam illuſtri teſtimonio proferendam. Mira certe conſpiratio eſt, ac velut concentus unus totius, quàm latè patet, orbis litterati; quam tibi debet gratiam, referre, quoad licet, enitentis. Verùm tam multiplex tamque luculenta commendatio per te Muſis adjuncta, FURSTENBERGICI ſplendore nominis; honorum, quos geris, claritate; factorum ſcriptorumque præſtantia; denique munerum copia, varietate, pretio: tanta, inquam, conciliata Muſis dignitas, quibus doctorum ho-

minum ſtudiis & laudibus rependatur? quæ privata de te colloquia? quæ publica elogia? quæ litterarum officia? quæ librorum inſcriptiones? quæ ſymbola & inſignia, tantis de nobiliſſimarum artium genere choroque univerſo promeritis apte digneque reſpondeant?

Ego verò, quem tu, PRINCEPS CELSISSIME, plurimùm tibi debere voluiſti, quo juſto præconio litteraria tua dona, aurea numiſmata, majoraque alia munera in me congeſta celebrabo? qua oratione, quo carmine vel datorum beneficiorum laudem, vel acceptorum gloriam agnoſcere potero, nedum etiam reliqua tua decora exornare? Morum tuorum ac vitæ nitorem, an elocutionis candorem exponam? Splendoremne domeſticum, Fratrum ampliſſimorum ornamenta, lectiſſimam cohortem prætoriam eruditorum, florentiſſimamque familiam commemorabo? an externam, & longe lateque diffuſam in populos tibi ſubditos, in ſanctiores Ordines magnificentiam; neque in Poëtas modò, ſed in Hiſtoricos, Theologos, alioſque ſcriptores editam prædicabo? Quid in republica, ſacra,

politica, & possis & efficias: qua vigilantia, qua solicitudine in gregis tui custodiam & salutem excubes: quàm acre simul & suave Religionis tuendæ ac propagandæ studium explices; quàm incredibili solertia, liberalitate, scientia, & pondus addente legibus exemplo, difficillima quæque temperes & administres; animas à probro ad honestatem, ab errore ad veritatem fidemque revocandas consecteris? Denique animi constantiam & fortitudinem, ingenii perspicaciam & ubertatem, divinarum juxtà & humanarum omnium doctrinarum comprehensionem; sapientiam & autoritatem in Principum atque urbium dissidiis componendis; in excolendo muniendoque templis & arcibus Paderbornensi tractu pietatem ac providentiam, ceterasque tuas dotes persequar, numero infinitas, excellentia singulares? Id quidem non unius epistolæ, sed ingentium Panegyricorum opus. nec nihil aut egerunt, aut tentarunt certè plura jam mea poëmata. sed si quid habent ornatus, materiæ acceptum referunt: si quam partem suavitatis; è Mellito, *quo tua scatent Monumenta,*

Fonte *hauserunt. Si quando haud infelici assurgere audaciâ videbuntur; generosus iste, sublimis ac sapiens impetus vim aliquam addiderit iacenti animo, & nonnulla* sacræ semina mentis *asperserit.*

Neque tu, Principum Eruditissime atque Humanissime, facili tantùm admissione hæc qualiacunque carmina, identidem ad te adspirantia, dignatus, eorundem per Italiam & Germaniam diribitorem ac promulgatorem agere instituisti. Ad ipsum quoque invictissimum Poloniæ Regem de Chocimensi prælio Epinicion ita meum transmisisti; ut Heros ille suo jam merito imperatoriisque palmis coronatus, & mansuetioribus disciplinis amicus, cùm officium à te sibi præstitum gratularetur, Autoris non ingratum obsequium testaretur. Quid, quòd Musas simul omnes meas in lucem, & quidem clarissimam vocasti? eóque munificentiam contulisti, ut quem istius judicii, aut favoris potiùs, majestate supra spem ac meritum extuleras; mutarum deinde artium subsidio, sacrisque adeo manibus tuis in editissima laureati Montis arce collocares?

Quod ergo à me ſcriptum, FERDINANDE PRINCEPS, *memini, cùm ipſe mihi primùm ſpecioſiſſimam alloquendi tui neceſſitatem ſingulari beneficio tuo & munere impoſitam voluiſti; precari me Deum Opt. Max. ut qui mihi, benigniſſimo providentiæ ductu, ſubitam inſperatæ à tanto Principe gratiæ lucem oſtendiſſet, ejuſdem inſigniter profitendæ celebrandæque gratiæ viam & rationem expediret: ejus me voti compotem novo tuo illuſtrique beneficio & ſentio & gratulor. Atque utinam, quas ſolennes conſonaſque muneri grates auſus eram polliceri; nunc & beneficentiæ iſti, & huic incenſæ tui ſtudio voluntati non impares perſolvam! Atenim novam tum maxime gratiam contraho, cum in referendis prioribus elaboro. Hoc tamen ipſe tenuitatem atque imbecillitatem ſublevo meam & conſolor, quòd tuo in me beneficio ſane multos mecum tibi devinxiſti. Enimvero ſi quid ad immortalitatem mea carmina faciunt (quod pro tua eximia humanitate non ſemel tibi perſuaſum ſcripſiſti) nonnihil munificentiæ tuæ maximi*


quique temporum noſtrorum Principes debuerint. Quod ſi quid ad morum conformationem, ad cultum ingeniorum & eruditionem hi noſtri libri valebunt: nimirum quidquid hinc elici poterit utilitatis, ipſa tibi poſteritas debebit. Ac ſi longius progredi licet, &, quod ingenioſus Poëta cecinit, uſurpare;

Nec ſatis eſt homines, obligat ille Deos:

incrementum aliquod Cœlites per te honoris fortaſſe receperint, quorum laudibus haud exigua Poëſeos meæ pars eſt conſecrata: & ſcilicet gratiam, quam mortales non poſſunt, ex omni parte perfectam exaggeratamque reponent. Id ego à ſupremo bonorum omnium autore Deo votis omnibus contendo, cunctis, quod ſperare fas eſt, Superis faventibus, ut tibi felicitatem, quam in tuos clientes derivare ſoles, novis pro merito perennibuſque incrementis accumulet. Interim debitum jamdiu tibi, PRINCEPS OPTIME, laboris Poëtici fructum accipe, tardiorem opinione quidem ac voluntate noſtra, ſed intentiori cura ſtudioque maturatum; venera-

tionis in te meæ, tuæ in me beneficentiæ documentum. Scriptorem, quem huc autoritate & benevolentia tua longe accersitum, solida singularique munificentia complexus es; nec paucis, nec levibus aut obscuris præjudiciis ad fiduciam non improbam excitatum, patere semper summo judice, summo Patrono se suaque tueri, CELSITUDINI TUÆ ex animo, certissimoque & immortali cultu dicata.

Lutetiæ Parisiorum, XI. *Cal. Quintil.* M. DC. LXXV.



AD
ERUDITUM LECTOREM.

NOn otiosam hîc ego præfationem instituo, Erudite Lector, sed utrique nostrum haud inutilem; tibi, ad horum poëmatum prænotionem quandam universam; mihi, ad consilii factique mei rationem exponendam. Poëtices quidem sive laudatio, sive defensio, multorum exercuit ingenia; pluribusque à me carminum locis ita perstricta est, ut, disjunctas partes si conferas, vim pondusque justi Panegyrici propemodum obtineant. Hîc ea tantum attingam, quæ rei subjectæ propria, simul ad usus Poëtarum latissime patere videantur.

Atque ut primum operis materiem differam, inde ad formam ipsam tractationem-

que deſcenſurus : magnam hi profectò librî varietatem argumentorum, ſummam dignitatem cum ſuavitate conjunctam offerunt. Nam, ut ſileam fabulas hiſtoriaſque veteres; novas certe ac temporum noſtrorum res, ab annis triginta piè, fortiter, magnificeque geſtas, omnes fere complectuntur. Jam verò multa è Theologia, multa è Philoſophia deprompta reperias; de artibus multa, multa quæ ad mores pertineant. Seria & gravia, feſtiva etiam occurrent & jocularia. Interim virorum, urbium, regionum crebræ laudationes. nec, ſi fortè, ut mos eſt, ſatyrâ delectaris, deeſt opportuna ſcelerum inſectatio, notatio cenſuraque vitiorum.

Quem acervum ut aliquantùm evolvam, proponamque diſtinctiùs, vel ad *indicem rerum* generatim exhibendum; habes hîc, Erudite Lector, ſeptem ſolidis libris comprehenſas res hujus ætatis, ut ante monui, clariſſimas, quæ regnante LUDOVICO XIV. contigerunt in Europa. Quanquam & aliis pleriſque voluminis hujuſce partibus non pauca iſtiuſmodi ſunt aſperſa; tum aliqua miſcentur extra Europam cruento edita theatro ſpectacula. Eminent partæ de Barbaris terra marique victoriæ. Quid Candiæ obſidio, vel Oſtendanæ hiſtoriâ, vel Trojanæ fabulâ major & inſignior? quid Cho-

cimensis pugna, vallarem, civicam, regalem coronam Poloniæ Magno Polemarcho Joanni Sobieskio promerita? Quidquid ad artem bellicam, ad urbium oppugnationes & assultus, ad irruptiones in castra munitissima, ad concursus campestrium præliorum, ad tormenta, cuniculos; ceterasque subterraneorum ac missilium formas ignium attinet, variè pertractatur.

Ecce tibi, præter antiqua illa Francorum Monumenta, & adhuc recentia Justi Ludovici, in Oceano, in Alpibus, in Pyrenæis constituta; efferunt se altiora Ludovici Magni trophæa de Hispanis, de Germanis, de Belgis, de Insubribus, de Turcis, de Sequanis, de Batavis; vastiorque armorum & victoriæ in Hollandia, quàm subinde maris Inundatio. Oculos ad se, credo, rapient Currus Gloriæ, tot Galliæ palmas hostiumque spolia circumferens; Nova Fortunata, seu Pacifica Insula; Hymen Regius, Paci adjunctus; Gallia ad Cunas Delphini; supra centena Signa Militaria, ad Senefum triplici fœderatarum gentium exercitui à Condæo Principe erepta, à Rege Basilicæ Virginis Matris Parisiensi appensa. Hæc sane admiratione defigere animum possint, si quâ debent, elegantiâ, & majestate repræsententur. Neque, ut spero, segniter audies Protrepticon ad Princi-

pes Chriſtianos, non ſonum inanem, ſed gravitatem, quæ Sacram Expeditionem perſuadeat, rationum. & verò libenter, pro tua æquitate, Veſtphaliam audies Liberatam; Principi Ferdinando, non ſine debita Turenæo laude, gratulantem. Age, quid ſplendidius Chriſtinæ, poſt Sueciæ regnum abdicatum, Romana profectione, Voto Lauretano, in Galliam adventu, pompaque triumphali? quid luctuoſius (ſed partem habet voluptatis poëticæ dolor) Annæ Auguſtæ, Ducis Longavillæi, Lazari Mocenici Venetæ claſſis Præfecti, Nicolai Comitis Serini, aliorumque illuſtrium virorum & adoleſcentium Epicediis? quid Exercitationibus Regiæ Pueritiæ ſpecioſius? quid Aula Sereniſſ. Delphini, eruditionis regno, ornatius? Adde multiplici elogio celebrata Ducis Enguinei facta, Parentis invictiſſimi fortitudinem heroicam referentia: adde Richelii Cardin. opera poſthuma, perpetuos ex hæreſi triumphos relatura.

Num à me tibi, Lector, indicari Furſtenbergica mea neceſſe eſt? vidiſti jam à primo aditu librorum, unde profecta, quò referatur hæc operum noſtrorum editio. Patroni honores non Poëmatis modò, ſed etiam Symbolis inſculptos voluimus. Jam Alexandri VII. conſervatas laudes propagataſque vel celeberrima in Ferdinandum, Cubicu-

larium quondam Intimum, benevolentia exigebat. Atque iſtis omnibus, quæ commemoravi, magnis nominibus ſua cuique propria, plura etiam pleriſque inſcripta ſunt Poëmata.

An verò Urbanum ſuum omittere Muſæ potuiſſent? an Continum Principem, lumen litterarum, ut cetera nunc taceam, & ingenii miraculum? cujus florentiſſimi Liberi, & ingenio, & forma, & incredibili ad omnem laudem indole ſpectatiſſimi, regia feliciſſime adoleſcunt diſciplina. Infinitus ſim, viros ſummos, quorum his libris encomia intexuntur, ſi percenſere velim, Carolos, Godefridos, Scanderbegos, Henricos, Toraſios, Rupifucaldios, Vladiſlaos, Caſimiros &c. tum alios, magno Franciæ bono, magna ſeculi gloria viventes; quos malim ſuo quemque loco ſuſpici, quàm hîc minus ornatos apparere.

Nihil de altera generis Epidictici parte loquor, quæ in reprehenſione verſatur; acriter in rebus, non acerbe in perſonis, tractatâ: nihil de Colorum inter ſe jocoſa contentione; nihil de Feſtis Ignibus, de Tudicularibus Ludis; nihil de Mothæo Prætorio, de Agrorum, de Fontium amœnitate; nihil de Iride, de Terræ Motu, de Fulmine: quæ ſingula propriis opuſculis continentur. Nam rerum, quarum incidunt paſſim deſ-

criptiones, ut ſolis variorumque ſiderum; ut avium & quadrupedum, ut florum & amnium, ut iconum & aulæorum, ut ſphæræ tabularumque geographicarum, ac ſimilium vis innumera. Denique in his Poëmatis, Panegyrica, Euchariſteria, Epinicia, Soteria, Propemptica, Epithalamia, Genethliaca, Epicedia, Bucolica, Didaſcalica, Parænetica invenies, aliaque non pauca; ut intelligas, Muſis noſtris nullum ferme intactum eſſe rerum genus honeſtarum.

Ac res planè ſacras, Erudite Lector, ſi quæris, abunde ſuppetent: ſin fortè niteſcere Poëtica tractatione poſſe diffidis; ades, quæſo, parumper facilis, abjectoque ad tempus præjudicio, integrum æquumque præbe te mihi graviſſimæ cauſæ diſceptatorem. Equidem ſæpe ſum vehementerque admiratus, quid eſſet, cur in pia poëſi nonnunquam homines, etiam non mali, faſtidiant. Nam ſive utilitas eſt poëtæ propoſita, ſive jucunditas, ſive utraque; in quo perfectionem artis conſtituit Horatius: ad eum finem conſequendum ſummis inſtructa præſidiis hujuſcemodi poëſis videbatur. De utilitate profectò nemo ſanus diſſenſerit, cùm piis carminibus & honos habeatur Superis, & vitæ ſanctitas informetur, & vera ſempiternaque beatitas pariatur. Circa delectationem intenditur calumnia. atenim

ſinceram voluptatem cum adeo pietas non excludat, ut ipſa per ſe deliciis perfundere animos ſoleat; ſic ſtatuo, non penes materiem culpam reſidere, ſi quando ſuo ſapore Chriſtiana poëſis deſtituatur; ſed aut ſcriptoris eſſe peccatum, aut lectoris: illius, argumenti præſtantiam ſi vilitate ingenii deterat; hujus, ſi nauſeâ quadam animi ſuavitatem oblatam probi ſacrique carminis parum ſentiat.

Fuit illa Gothicorum temporum infelicitas & barbaries, ut ſancta dehoneſtaret argumenta; poſteroſque in eum induceret errorem, ut inepta poëtico lepori exiſtimarentur, quæ tam ſiniſtrè fuiſſent aliquando tentata. Sed jam olim, ac deinceps improba laſcivaque ingenia cum ſibi majorem in modum placerent indulgerentque concinnandis ſuis lenociniis; tum aures patulas & paratiſſimos animos nacta, quibus influerent exquiſitis corruptelarum illecebris, nimirum & ſuâ & alienâ nequitiâ triumpharunt. Nunc *horridus ille defluxit numerus*, ubi politiſſimi ſcriptores omnem in piis rebus amœnitatem explicarunt: ac ſi qua pars eſt myſteriorum, necdum ſatis exculta Poëticis ſtudiis; uſquamne fructuoſius collocari poſſit labor, aut induſtria exerceri? Supereſt, ut mutatâ ætate mens ipſa mutetur; & quæ voluptas è cœno carminum tantò fœdio-

Non eadem eſt ætas, non mens. Horat. ep. I.

rum, quantò in flagitiosis rebus elegantiorum, certissima cum pernicie petebatur, ea nunc uberius feliciusque è liquidissimis expiati Parnassi scatebris hauriatur.

Dulcius illimis purâ fons emicat undâ,
Castalius niveos qualis perfundit olores:
Gratior affulget nullo fax sordida fumo,
Phœbea innubem qualis collustrat Olympum.

Enimvero ubi castius amor & lætius ardeat, quàm in divina specie quærenda & complectenda? quid amabilius imagine Sponsi cœlestis è Canticis expressâ? *O quàm pulchram faciem!* (ut Senecæa verba usurpem) *quàm sanctam! quàm ex magnifico placidoque fulgentem* videas! jam Virtus, jam Sapientia, jam Divinitas, quod Philosophorum spes ac vota superat, oculis obversatur. Neque te, Lector, ut spero, *hanc faciem altiorem fulgentioremque quàm cerni in humana consuevit*, utcunque delineatam pœniteat in Theandricis uno alteroque loco aspexisse. Amavit se Virgilius in canendis Elysiorum camporum deliciis. Num Christiano Poëtæ malígniorem subjicit elegantiæ segetem *Hortus* ille *voluptatis*, quem in Epithalamio Regio, quem in Josaphato Indiæ Principe descripsimus? Nusquam largiùs divitem venam Horatius, quàm in Fortunatarum Insularum laudem effudit. At eum sic nos imitati su-

mus eodem carminis genere, in beatiſſima quæ triumphantem Deiparam excepit, regione depingenda, ut plura nobis è ſacris litteris majoraque affluxerint commoda, quàm illi fabularum omnis ſuppeditare copia potuerit.

Nec verò in illa profanæ miſeræque antiquitatis caligine non viderunt & Græci & Latini Poëtæ, maximam è rebus divinis conciliari Poëticis operibus majeſtatem. Inde à Jove capienda primordia edixerunt: inde toties *Deus è machina*; nec tantùm, ubi *dignus vindice nodus incidit*, ſed paſſim ac promiſcuè, ornatûs & autoritatis gratiâ. Ergo illi commendationem ſuæ Poëſi à ſuperſtitione, crebraque inanium & commentitiorum Numinum invocatione ac præditatione duxerunt: Chriſtiani ab omni ſacrorum commemoratione, tanquam funeſta contagione ac labe, artem divinam removebunt? Non omnem prorſus, inquient mitiores Ariſtarchi, ſacrorum attrectationem, ſed multam nudamque prohibemus. Parcè iſta raptimque adhibeantur; non efferant ſe, non extent; obrepant in turba, fallant oculos ac prætervolent. Atqui non ita veteres timidè ſuis de ſacris egerunt; nec furtim ac diſſimulanter; & quaſi rerum puderet pigeretque divinarum, ſic eas multitudine humanarum obrutas voluerunt. neque iis tan-

tùm carmina ſua, perinde ac quibuſdam inſignibus diſtinxere. libros ipſos falſis illis religionibus contexuerunt; haud veriti, ſatis ut grata poëſis eſſet, ſi theologica religioſaque appareret. Atque ut paucos è plurimis proferam; ſcripſit Heſiodus Theogoniam, ſcripſit hymnorum in Deos volumen Callimachus. & verò

Muſa dedit fidibus Divos, proximam propriamque materiem, Horatio teſte ſanè idoneo. Quid Ovidius? quam glorioſe fabulatur in Faſtis! ac nominatim ſub exordium libri VI.

Fas mihi præcipue vultus vidiſſe Deorum,
Vel quia ſum vates, vel quia ſacra cano.

Ius tibi feciſti Numen cæleſte videndi,
Cum placuit numeris condere feſta tuis.

Et delicata ſuperbaque metuam faſtidia, ſi quod & nomini Chriſtiano, & propriis vitæ meæ inſtitutis congruit, profitear; ſi Poëticorum operum partem aliquam divinis rebus conſecraro; ſi quid in feſtos ſolennique cultu conſignatos dies edidero? Tibine, Lector, monſtra illa portentaque Deorum potius, quam Beatarum Mentium Hominumque Sanctorum decora arrideant? mihine de vera & auguſtiſſima Theogonia ſilentium indixeris? At *generationem ejus quis enar-*

rabit? quis enimvero æternum illud arcanum Verbi Divini prorſus evolvere, aut etiam temporarium ortum explanare pro dignitate poſſit? Sed cùm illa Evangelici Vatis admiratione, non interdicti denunciatione, cohibiti deterritique non ſint aliarum facultatum ſcriptores ab utraque Dei & hominis Chriſti generatione vel diſputationibus theologicis, vel aſceticis commentationibus, vel oratoriis laudibus proſequenda; Poëtis venerationem ſummo Religionis myſterio nefas erit adhibere?

Ex Hieron. ſententia in Epitaph. Nepotiani.

Publica vox orbis, Chriſtus. jam barbara paſſim
Stridorem fregere ſuum cœleſtibus ora
Eloquiis: prædulce Crucis decus omnia cantant.

Ex Apocal.

Fulguribus miſti ſonitus citharæque tubæque,
Et vitrei Oceani confusâ murmura flammâ
Ingeminant, totoque audita tonitrua mundo.

Soline obmuteſcent Poëtæ in communi rerum & univerſo concentu? Non minuit, ſed auget veritas admirabilitatem. Quò enim ſpectat fictio Poëtica, niſi ut quam res ipſa non ſuggerit, admirationem excitet fabula? Si ergo res per ſe magnifica & admirabilis exiſtit; ſi *major ambitioſo mendacio ſimplex veritatis fides* (Ambroſ.): cur operosè minora tandem veris & ultro ſe offerentibus machinere miracula? quin tu Ariſtotelem audias, Poëtices iſta à veritate immania diſſidia tollentem: nihilo-

que minus Poëtam esse, qui facta tractet, aperte diserteque pronunciantem. *Factorum enim aliqua nihil esse vetat ejusmodi, qualia sit verisimile fieri, ac fieri posse. & horum ille ratione Poëta est.*

Atenim sacris argumentis verisimilitudinem detrahunt, qui suam profanis asserunt; parum attendentes, quos in laqueos difficultatum, quàm inexplicabiles, sese induant. Itáne verò credibiliora veterum de Diis commenta, quàm Religionis Christianæ mysteria? quod aures piæ dictum perhorrescant. Sed omissa contentione sacrosanctæ veritatis cum nefaria superstitione Deorumque farragine, quam veri speciem, quem colorem in absurdis turpissimisque fabulis de Jove ceterisque fictis Numinibus exhibebunt? Tam fœda certe de suis illis Diis excogitarunt antiqui Poëtæ, tam detestabilia cecinerunt, homini ut inimico, quod ait Isocrates, talia objicere nemo audeat. Neque enim tantùm Sancti Patres, aliique Christiani autores probi & eruditi, colluviem illam spurcissimam fabularum damnarunt, quam *flumen Tartareum* gravissime vocat deploratque Augustinus; sed vel Ethnici scriptores propudia illa sordesque insectati sunt, pœnasque impietatis à malis vatibus repetitas censuerunt. Non hîc ego singula, quæ Diis improbè afficta fuerint,

enumerabo, ne infinita, ne inverecunda ſit oratio. furta, bella, fugas, vulnera, ceteraque imbecillitatis aut levioris nequitiæ prætereo. unum hoc, magno cum Auguſtino, premam; *& tonantem Iovem & adulterantem.*

Iupiter infamat ſeque ſuãque domum. Propert.

Fulmine qui rapido concuſſum exterruit orbem,
Flagitiis violat terras, inceſtat Olympum,
Idem ultor pariter ſcelerum & fœdiſſimus autor.

Quid afferent profanæ antiquitatis defenſores, quo veriſimilitudinem obtineant; quo chorum omnem Vatum Ethnicorum, ipſumque adeo principem excuſent Homerum? de quo ſi Dioni Chryſoſtomo credideris, tantum abeſt à probabilitate, ut projectus ſit & mortalium audaciſſimus ad publica manifeſtaque mendacia. Video, quò confugiant, ubi ſe jactent. omnia videlicet recipit ſuſtinetque allegoria. Sed age, utrum exiſtimas probabilius, crocodilis & draconibus nomina Deorum, an Diis hominum facinora flagitiaque imponere? *Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat. divina mallem ad nos.* Pugnas tu mihi elementorum cauſaris, aliaque effecta naturæ, ſpecioſis obvoluta integumentis. At ſupremam, rerumque moderatricem naturam quid erat quod impudentiſſimis commentis implicatam dedecorares, atque ad extrema quæque

Cic. Tuſc. I.

flagitia abjiceres? Si cautum artis doctores voluerunt, ut ne similitudines indecoræ magnis & fortibus viris applicarentur; si hoc ipso nomine reprehensus est Homerus, quod Ajacem humili & indigna cōparatione depressisset: quid eidem facias, obscœna in Deos & nefanda reapse conjicienti? An si Jovi Olympio Phidias vultum finxisset monstrosum, Græciæ inventum illud suum probare potuisset? castigatissimam effigiem augustissimamque sculptor scientissimus elaboravit. Fac, si vis, ex Homerica, ut aiunt, descriptione pulcherrimum istud celeberrimumque simulacrum expressisse. Magnifice Homerum de Jove nonnunquam scripsisse, facilè concessero. sed ubi ratio decori, vel in scena observandi?

Ne quicunq; Deus, quicunque adhibebitur Heros, Horat. in Arte Poët.
Regali conspectus in auro nuper & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas.

En ille Tonans, ille *Divûm atque hominum Rex,*
Omnia transformat sese in ludibria *rerum;*

in avium & ferarum species transmigrat, ardens libidine, cupiditati serviens: & qui jam princeps Deorum incesserat, è Jove non Satyrus modò personatus, sed taurus, sed anguis, apparet, ut fucum faciat, ut vim inferat, ut flagitiorum omnium princeps & signifer agnoscatur. Atque hæc ego Religionis causâ, non animo criminandi nota-

rim, ſummorum alioqui Vatum obſervantiſſimus; quorum eſt ille miſerandus error, tunc popularis & plauſibilis. quanquam ipſi peſtiferam ſuperſtitionem dulcibus numeris aluerunt; & quaſi Circæum poculum, melle aut nectare poëtico miſtum, gentibus propinarunt. Fortunati nos, Evangelica luce colluſtrati, Divinæ Sapientiæ oraculis inſtituti, homines Chriſtiani; ſi modò bonis uti noſtris ſciamus, *pii Vates & Chriſto digna locuti.* Jam & humana ad Deum, longe aliter quàm fingebatur ab Homero, tranſlata ſunt; & divina ad hominem plenius ac præſtantius, quam optabatur aut capiebatur à Cicerone.

Nunc ſuperioris meæ diſputationis hæc ſumma ſit, perperam & iniquè veriſimilitudinem abrogari ſacris & Chriſtianis, dum profanis Ethniciſque vendicatur argumentis. Quod ſi quid ad purgandum Homerum ceteroſque ſuperſtitionis & fabularum inter ſe pugnantium cantores valet communis eâ ætate vulgi perſuaſio; non valebit ad neceſſariam Vatibus religioſis probabilitatem ſanctiſſima fides populorum, tot tamque certis fundamentis à tot jam ſeculis conſtituta? & illa quidem *credibilitatis*, ut vocant, argumenta clariſſima, in Chriſtinæ Triumpho, in Sacra Oeconomia, in Ode ad Fidem conglobantur; ac Myſteria ipſa libris ali-

quot celebrantur, utinam pari tua, Lector, ac ſcriptoris voluptate.

Sed quoniam voluptatis è piis capiendæ carminibus recurrit mentio; Sacræ, quam effinximus, Solitudini ſuas nemo, ut reor, delicias abjudicarit; nemo Chriſtum cœlo invectum, ſimiliaque argumenta, veluti moroſa & triſtia relegarit. Cruciatum autem Servatoris, tormenta inferorum, aliaque generis ejuſdem, utique ciendæ oblectationi minime apta quis non exiſtimabit? Quam ego difficultatem ut prorſus enodem; hoc primum ſtatuo, cùm agitur de Poëtica delectatione, non titillationem ſensûs quæri, non riſum & geſtientem lætitiam. Eſt illa Maximi Tyrii ſententia, male mereri de Homero, ſi quis eum in canenda Heroum virtute voluptatem ſpectaſſe opinetur. ſic enim primarium Vatem in ordinem redigi laſcivorum & bacchantium; quibus ex hac parte ſit inferior. jucundum eum ſanè, ſed pulchriorem quàm dulciorem, & laudi quàm voluptati propiorem. Facetiis eſt interdum locus in Poëſi; luditur ſæpe in epigrammatis, in ſatyris: & aliquid hi libri ſuppeditabunt ejuſmodi. ſed oblectatio, quæ totam in Poëſin pertinet, ex ingenua naſcitur pulchritudine; narrationum, deſcriptionum, motuum varietate gratiaque effloreſcit.

Suavitatem Cicero probat *austeram & solidam, non dulcem atque decoctam.* itaque prudenter atque ex arte monet; vel Poësis vel oratio, *ut gravis, ut suavis, ut erudita sit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita; ut sensus, ut dolores habeat. in toto spectantur hæc corpore.* Vides nominatim requiri dolores à Tullio? nec minùs ab Augustino. qui posteaquam hoc generatim posuit; *Pati vult* ex luctuosis atque tragicis *dolorem spectator; & dolor ipse est voluptas ejus:* tum de se testatur; *dolere amabam, & quærebam ut esset quod dolerem; quando mihi in ærumna alienâ, & falsâ & saltatoriâ, ea magis placebat actio histrionis, meque alliciebat vehementius, qua mihi lacrymæ excutiebantur.* An verò quidquam apud Oratorem nobilius actione illa de Navarchorum suppliciis, ac præsertim de cruce Gaviana? & erunt, qui necem Crucemque Liberatoris Opt. Max. negent satis habituram in Poësi splendoris & dignitatis? Quid apud Virgilium Ætna, Polyphemo, tempestate spectabilius? quid excidio Trojæ, funestisque aliis casibus graviùs altiusque cantatum, maximè pœnis inferorum? quas etiam ceteri Poëtæ, data opportunitate, libenter, amplè, magnificeque commemorant. & Christiana Poësis vocabitur in invidiam, si non meras veneres loquatur, si quid grande & arduum objiciat, si quando veros inferos ad terrorem compo-

ſita exprimat? In pictura, cui Poëſis confertur, non tantum floridæ areolæ, prata rivulis interciſa, nitida illuſtriaque prætoria delectant; ſed locorum aſpectu deſertorum, aſperis montium rupibus, præcipitantibus aquis, urbium palatiorumque ruinis graphicè propoſitis, diutius etiam quàm illis mollibus illecebris clariſque coloribus tenearis.

Quid, quòd ea quæ primâ facie horrida videantur argumenta; & ſuavitate motuum, & verborum elegantia, rebuſque exquiſitiſſimis perinde ac vermiculatis emblematis hilarantur? Librum certe in Chriſti ſuprema ſeptem Effata, & Odas aliquot in acerbiſſimos Domini cruciatus, deſcriptiones variæ, affectus, aliaque multa ſic imbuerunt ac temperarunt, nihil ut me quidem teneriùs ac ſuaviùs meorum afficiat. Neque inſcriptiones Poëmatum omnia præferunt; ac multa reperias inexpectata; & novis antiqua, & antiquis nova citra perturbationem admiſta. In Parthenicis non Gregorios modò, Cyrillos, Ildephonſos, Bernardos, ejuſque generis viros ſanctos & pacificos; verum etiam Conſtantinos, Theodoſios, Clodovæos victrici pietate ſuſpicias triumphantes. ibi Ludovicum Juſtum admirere, cultûs regii clientelæque Marianæ præmia colligentem.

Attonitam Europam, Rhenumq; in vincla petitũ,
Oceanumque jugo fractum, domitaſque procellas,
Calcataſque Alpes & nubila Pyrenæa.

Ibidem Ludovici Magni vel ductu, vel auſpicio,

Tot fuſas campis acies, genteſque ſubactas
(Namq; urbes memorare parũ eſt) tot ſigna ſuperbis
Fixa tholis, ſacri monumenta æterna triumphi.

Iiſdem Parthenicis res quoque intextæ Polonicæ, novique Regis victoriæ; tum aliorum elogia Principum cœleſti Reginæ addictorum; ac plurima rerum magnarum & inſignium documenta. Quarum profectò rerum occurſu dilui poſſit abſtergique vel alieniſſimorum à pietate faſtidium. Sed, ut præclarè Lactantius de vero cultu l. VI. *ſi voluptas eſt audire cantus & carmina, Dei laudes canere & audire jucundum ſit. Hæc eſt voluptas vera, quæ comes & ſocia virtutis eſt.*

Neque eſt, quod ullius animum à divinis rebus, aut ſuſpicio difficultatis avertat, quaſi myſteriorum gravitate obruendum; aut ſpecies religionis impediat, velut ad primos auguſtiſſimorum penetralium aditus horrore perfuſum. Equidem ſat ſcio, eum qui circumſeptam inacceſſa luce majeſtatem temere arroganterque ſcrutetur, illo tantæ gloriæ ſplendore opprimi atque occœcari. ſed qui, duce Fide, ſacrorum autorum veſtigia ſecutus, erigat ſe venerabundus ad myſteria,

non

non rudis alioqui, non imparatus á Poetica facultate; excitabitur, mihi crede, attolletur ipſa materiæ ſublimitate. ſic enim ſe ratio habet eloquentiæ, ut docet III. de Oratore Tullius. *ſi eſt honeſtas in rebus ipſis, de quibus dicitur, exiſtit ex rei natura quidam ſplendor in verbis.* quantus igitur è rebus divinis eluceat, neceſſe eſt? Quod ſi ſummus hic eloquendi artifex fatetur ſe oratorem, *non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatiis extitiſſe*; nihilne Theologiæ ſacraria, ſanctiorumque monimenta litterarum ad Poeticam ſupellectilem conferent? Quanta ſit ejus quæ ſacroſanctâ Scripturâ cōtinetur, Poeſeos divinitas; exemplis nonnullis Moſæorum Davidicorumque carminum oſtendit Panegyricus in Poemata Celſiſſ. Princ. Ferdinandi. Pſalmos etiam integros aliquot verti: eorum alibi ſplendidiſſimas teſſellas inſerui. ex aliis item ſacris Vatibus varia variè tranſtuli. quæ materies ſi caret eo dictionis præparatæ ornatæque ſubſidio, quod Latini Poetæ ſubminiſtrant verſuum genera commutantibus; at rerum præſtantiâ ſpirituque illo cœleſti gaudet, cujus ad majeſtatem nemo profanorum adſpirarit. Nec dubitabo, ad hujus veritatem ſententiæ confirmandam, ex hoc ſeculo teſtem excitare, ſed cui ſuperiora paucos vel ſingulis facultatibus, nedum admirabili ſcientiarum omnium complexione pares tu-

lere. is est Dionys. Petavius, qui epistola ad Urbanum VIII. Paraphrasi Psalmorum Græcæ præfixa, in hæc verba mentem suam aperuit. *Omnes qui apud Græcos & Latinos Poëtica laude præstiterunt, uno eoque perexiguo libro adeo David antecelluit, sive sententiarum dignitate ac pondere, sive etiam elegantia, venustate ac dulcedine, ut insulsa & incompta reliqua videantur omnia, si cum uno illo comparentur.* Ne quem verò sollicitum habeat Mysteriorum obscuritas; vel popularis rerum Christianarum cognitio satis fuerit ad omnia fere sine labore percurrenda. ac si quid reconditioris doctrinæ occurrat, umbra tamen & recessus partem habet splendoris: extimus obviusque sensus implendæ menti sufficit ornatuque Poetico delectandæ.

Hactenus sic egisse mihi videor & autoritate & ratione, ut evicerim, præclarè cum Poesi piis argumentis convenire; eadem ita & jucunda & utilia, ut allicere te potius, Erudite Lector, debeant, quàm absterrere. Si tamen alia quæris argumenta; de bello, variisque suprà indicatis rebus plura succurrent millia versuum, in quibus oculos ingeniumque occupes. Neque obfuerit sacrorum & divinorum tractatio mortalia civiliaque meditanti. ut enim sapientissimè verissimeque dictum à Tullio est; *Omnia profectò, cùm se à cælestibus rebus referet ad humanas, excelsius*

magnificentiusque & dicet & sentiet. Ceterùm quæ Poemata de rebus ætatis nostræ conscripta sunt, adhuc recentibus, aut veniæ aut gratiæ minùs opportuna accident jam quasi flore amisso novitatis. multa singillatim edita volitarunt: memorisque hîc animi testimonium debeo, illata editionis mentione, Julio Card. Mazarino. Oblata sibi rerum ingentium, quarum Administer fuerat, præconia sic accepit; ut Currum Gloriæ (posteaquam in lucem è Regia Luparæ Typographia prodierat) Lugduni, quò tunc Aula concesserat, recudi juberet, ejusque supra ducenta exemplaria in Italiam transmitteret. mox Insulam Fortunatam, quæ (ut erat ab Autoris manu) Pacificatori è Pyrenæis Tolosam primùm adeunti, reddita fuerat, ipse datis ad illustriss. Seguerium Franciæ Cancellarium litteris commendavit; ut, quo tempore in vulgus Acta Pacificationis edebantur, instrumentum Pacis illud quoque Poeticum Luparæis typis excuderetur plura Eminentiss. Principis officia subjectis ex operibus intelligentur. Atque is ego sum, qui specie quavis gratiæ movear; neque grati animi sensum extingui morte de me aliquando bene meritorum patiar. Nec verò injucunda tibi, Lector, esse debet rerum admirabilium Poetica renovatio, quas avidè solet repetere ab historia posteritas. neque à tua

vel prudentia petendum, ut temporis quo quidque ſcriptum fuerit, habeas rationem: vel æquitate; ut ſi cui forte nomini parum ſis amicus, cum libro ne ſimultatem exerceas. Virum potius imitare primarium, cujus ad gratiam aditum mihi aperuit Poema, quo viderat ſibi adverſum Principem quàm altiſſimè elatum: optavitque pariter ſibi carmen ab eo, quem ſatis noſſet partium eſſe nullarum; ſed benevolos & faventes ſibi, quamvis inter ſe graviter diſſidentes, idoneis libratiſque officiis proſequi & ornare, quàm poſſet ampliſſimè.

Venio nunc ad formam operis, quam ex occaſione jam circa res ſacras delibavi. ſed quod reliquum eſt propoſito meo, quaſi punctis conficiam, cùm aliquanto me longius quàm animo deſtinaram, ſuperior diſputatio provexerit. Atque ut ab externa forma incipiam, & univerſam diſpoſitionem breviter oculis tuis, Lector, ſubjiciam: Poeſin hanc (cujus haud uno libro, jam inde à ſcriptoris adoleſcentia, variaque deinceps minorum voluminum editione ſpecimen apparuerat) nunc, quantum è re judicavi, collectam, & multorum acceſſione carminum locupletatam excultamque, totam in quatuor diviſi partes; partes ſingulas in libros ſex: quæ ita re ipſa Typographicaque operâ conjunctæ ſunt, ut vel ſolvi poſſint ſejungi-

que in tomum duplicem, justo & pari utrunque numero librorum duodecim; vel omnino separatim haberi circumferrique singulæ commodiùs. priorem tomum Heroica, Theandricaque annexis Parthenicis; posteriorem Lyrica Silvæque constituunt. Heroïcon verò, à materia inscriptorum, nomine Theandrica Parthenicaque comprehendere nolui, ne quis mihi fortè Scaliger, ut olim Bẽbo (potuit & Vidæ) litem intendat. etsi hac quidem ratione in Christum non male convenire nomen Heroïs videretur; quod Heroes antiquitus vocarentur altero parente Deo, homine altero procreati. Sed quemadmodum viros, seu morali, seu Christiana virtute præstantes, Heroas Poeticè vocavi; sic ab iis Deum-Hominem ejusque divinam Parentem secretos volui. Reliquas partes geminas à forma carminis appellavi; Lyrica, ut patet; Silvas etiam, ut placuit cùm antiquis, tum novis autoribus festinatos versus hocce vocabulo designare. Jam ex his libris tres quidem Parthenicon, hexametro scripti (nam quartus, itidem ut Theandricon, Lyricus est) perpetua sunt serie contexti. divisis ceteri constant operibus; ad unum tamen plerique caput referuntur.

Est præterea genus Poematis multiplex, neque solùm ratione carminis, ut Heroïci, Melici, Elegiaci; sed etiam intra unam ean-

demque ſpeciem versûs, tractationis ratione diverſum; ut in hexametro alius ſit Epici ſonus, alius Bucolici; ſua Panegyrico, ſua Exegematico certa vox.ac nimirum,ut veſtis corpori, ſic eſt aptanda rei oratio. Nota ſunt illa: *humilia ſubtiliter, magna graviter, mediocria temperatè. nec ſatura jejunè, nec grandia minutè.* Atque idem, qui hæc ſcitè tradidit, ubi venit ad Paradoxa, *non eſt tale*, inquit de hoc opuſculo, *ut in arce poni poſſit, quaſi illa Minerva Phidiæ: tale tamen eſt, ut ex eadem officina exiſſe videatur.* interim hujus ipſius opuſculi lucubratione probat ea quę ſuâ ſponte ſquallida & ſpinoſa ſint, orationis adhibito cultu eniteſcere. quid? Maronis locíne omnes ejuſdem ſunt dignitatis & pretii? quid? Odæ Flacci, pariſne omnes majeſtatis? Plinius junior de ſcriptis ſuis agens, hanc legem ſtatuit. *Sapiens ſubtiliſque lector debet non diverſis conferre diverſa, ſed ſingula expendere, nec deterius alio putare, quod eſt in ſuo genere perfectum.* Quædam ita ſunt inelaborata, ut ſatis ferè ſint elaborata, *paucis ſenium confertur* & horis (ut Lucani verbis utar,) ſive felici mentis impetu & afflatu cœleſti, ſive acerrima cura & conſuetudine, temporis iniquitatem compenſante. Quamobrem nec Poeta, cum inæqualitati ſe accommodat argumentorum, ſibi parum æqualis habendus eſt, ſed varietatis gratia commendandus: neque opera,

festinationis nomine, statim aut laudanda aut reprehendenda; cum inelegans vitiosaque celeritas meritò explodatur; & felicitas puræ ac profluentis venæ non sit certe probro vertenda. Brutæ quidem gemmæ artificis manu expoliuntur laboriosè: at ipsa naturæ vi simul erumpunt solis radii, simul emicant; tametsi splendidius vibrare, acrius intorqueri è summo cœlo videantur. De me hoc ego ac de meis carminibus ingenuè dicam; non eâ semper quâ multi putant, facilitate mihi versus fluere. opus est sane peculiari motu aliquo beneficioque divino, ut omnis cecinit antiquitas, ad grave plenumque carmen fundendum. Versus autem meos, quamvis magnam partem sint properati, neglectos tamen ausim negare; quos si non *multa dies*, at plerumque *multa litura coercuit.*

Liceat mihi per te, Lector, ad observationes nonnullas descendere, primo quidem aspectu leviores, sed unde tamen præstantia carminis perfectioque existat. simul his reddetur instituti cujusdam mei ratio, formæque circa structuram metricam Virgilianæ pars explicabitur Poeticæ studiosis. ac nihil in hac parte nimium duces, si Aristotelis Rhetorica Tulliique pervolveris. ea certe solertia Maronis diligentiaque fuit, ut delectum haberet non modò solidarum vocum, sed etiam litterarum, ac singulari judicio

convenientissimas rebus adhiberet. quod uno alteroque exemplo adstruam non dubio.

Mollia luteola pingit vaccinia caltha, ecl. II.

Quàm rari sic pinxissent! ac non potiùs, *luteolis calthis*. & ; *mixta rubent ubi lilia multa.*

Alba rosa, XII. Æneid. ecquid apertior foret distinctiorque oratio, *ubi lilia multis alba rosis*? sed tanti fuit istiusmodi suavitas ex crebritate primi elementi, ut eam vel aliqua orationis ambiguitate captare vir intelligentissimus non dubitarit. Quid de versibus dicam in speciem asperioribus? qua idem arte, quanto judicio in IV. Æneid. venustatem post habuit dignitati!

Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis!

Ac ne fortè imprudenti excidisse Virgilio præfractum numerum existimes, eundem usurpat in V.

Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti.

Fuisset utique mollius; *Nec pater hæc oculis Saturnius*; *Tum maris hæc domitor* &c Sed aures eruditæ sentiunt, cur sibi in hoc numero abrupto minusque concinno placuerit divinus Poeta. ejusdem modi versum reperias Parthen. l. III.

Tantâ mole sub ætherias attolleris auras.

Potuissem equidem, ac nisi aliud certa ratio persuasisset ad dignitatem carminis, planè scripsissem; *Tanta mole gravis superas consurgis in auras*. Quantò lenior item ea commissura

molliculis auribus acciderit;

Nec famulos Orco pateris concurrere inermes!

quàm, *Nec pateris famulos Orco concurrere inermes.* Hanc ego tamen posteriorem formam prætuli ad pugnæ concursum ipso litterarum concursu exprimendum: ut Virgilius XI. *bis decuit mecum concurrere telis.* De classis Venetæ Præfecto, Heroic. l. IV. in fine carminis, *quanquam gravis ævo*, malui, quàm, *obsitus ævo*; quod erat plenius; ut ipsa versûs inclinatio devexam ætatem referret. Parco pluribus exemplis & autoritatibus. sed hæc apud multos mihi necessaria cautio, iisdemque non inutilis. Omnino sic habeto, Lector, à me nullam ex necessitate licentiam usurpatam, sed ad elegantiam, ad gravitatem, veterum inhærendo vestigiis: si quis fortè solutior versus aut durior videatur, factum de industria, rei naturæ ut servirem. alioqui lenes, inoffensos, volubiles, ubi res postulat, non desiderabis.

Graviori locus hîc esset disputationi de fabula & fictione, quam etsi jam demonstravi consentaneam Poesi magis quàm necessariam, à me tamen, Lector, multis locis modisque cernes adhibitam. & quidem nonnullis in Poematis regnat, eaque tota occupat: aliis, quantum satis est, inseritur. Videbis audiesque Poeticas personas, ordine prodeuntes, Poloniam, Religionem, Vestpha-

ſiam, Philoſophiam, Croatiam, Gloriam, Pacem, Hymenæum, Galliam, Hiſpaniam, Fidem, Candiam, Honorem, Theologiam, Pronæam, Alethiam, Aſtræam, Eridanum, Clenum, Garumnam, Euphroſynen, Muſas, Genios &c.

Num perſonæ hujuſmodi minus habent gratiæ, quam Jupiter, Neptunus, Juno, Pallas, aliæque fabulis contritæ? quanquam & aliquas memoravi fabulis celebratas, proſopopœiâ tantum, & verbo tenus à profanis aſſumptas. neque enim, cum inanium Deorum actiones in carmina mea non admittam niſi contemptim & quibuſdam in ludicris, eorum tamen penitus à ſeriis & ſacris nomina excludo. Mars, Lyæus, Ceres, Libitina, interdum à me uſurpata, *rerum vocabula, non Deorum.* Phœbus jam pro ſole, jam pro ſpiritu Poetico: Muſæ pro ingenuis artibus, pro carminibus; quidni & Olympiæ pro Choris novem, aſſidue laudes canentibus divinas, humanaſque mentes afflantibus? ſemel Nymphas pro puellis aut ſponſis dixi. at in divinis litteris Titan, Cocytus, Orion, Arcturus, Hyades leguntur. *non quod*, ut animadvertit Hieronymus, *eadem apud Hebræos vocabula ſint, ſed quod nos non poſſumus quæ dicuntur, niſi conſuetis vocibus intelligere*, nedum enunciare Poeticè. Cui M. Gregorius concinens; *nequaquam*, inquit, *ſermo veritatis vanas Heſiodi, Arati &*

Ep.c. XXVIII. ad Fabiolam.

Lib. IX. in Job.

Callimachi fabulas sequitur ... in sacro eloquio sapientes Dei sermonem trahunt à sapientibus seculi. Inducuntur etiam iisdem sacris monumentis, prout personæ, Sapientia, Babylon &c.

Sed ut fabularum hostibus ferendus est usus fabulosorum nominum; ita Mythologiæ amantibus neutiquam respuendus est usus Christianarum vocum, seu Græcarum, seu Latinarum. Theander, nihilo sanè austerior vox quàm Leander: & immensam habet energiam, quæ Deum & hominem sonat. neque in hoc sita puritas est Latini sermonis, ut à *Martyris* aut *Angeli* verbo funditus abstineatur. quid tamen hominibus facias haud mirificæ Latinitatis, & in elegantiam multa peccantibus, qui nomina istiusmodi & à politissimis autoribus frequentata, & ipso Religionis instituto consecrata, velut sanctitati linguæ inimica & leporis venena execrentur? his equidem uti non timui, sed perparcè, non temere. & verò graviùs elegantia circumducto semper ad hos quasi scopulos vitandos sermone corrumpatur. Adde quòd multa quæ videntur Ecclesiastica inventa, extant apud veteres: Hæresis quidem, apud Tullium: Charistia, quæ semel; Mysteria, quæ sæpius appellavi; saltem apud Ovidium: psallere, apud Sallustium & Horatium. atque hunc admonentem audiat, quisquis est ad arguendum projectior. *fragili quærens illidere*

dentem, *Offendet ſolido.* quotus enim quiſque verba, non dicam, Senecæ, Plinii, ſed Tullii, ſed Maronis habet in numerato? ac quoniam in hoc loco verſor; Tullianæ, Virgilianæ, Horatianæ dictioni ſtuduiſſe me profiteor, ſic tamen ut ab aliis autoribus, ſed laudatis & omni exceptione majoribus, id quod proxime declaravi, aliqua mutuari non defugerim. Jam, etſi candida clariſſimaque mediocriter intelligentibus eſt dictio; tamen apertiſſima quæ videntur, eruditis aliter oculis quàm parum acutis inſpiciuntur. ſubeſt non raro altior ſenſus & alluſio, quæ minus peritos fugit. ſpecimen hoc eſto. Neſtorii linguam impiam, biſulcam dixi, cum ſerpentis dici triſulca ſoleat; quod hæreſiarcha nefarius venenato dogmate ſolveret Chriſtum ſcinderetque in perſonas duas. Deipara vocatur *alma.* pleriſque, ni fallor, communis duntaxat hujuſce vocis poteſtas occurret, & ratio. at enim MARIA ſingulari penitus ratione Alma nuncupatur Hebraïcè loco Iſaïæ celeberrimo, *Ecce Virgo concipiet*; ubi nomen, Alma, pro Virgine abſconditâ. Cujuſmodi non otioſarum vocum animadverſiones, ut optatæ ſcriptori, legenti gratæ acciderint; ita plerumque haud neceſſariæ, cùm ingenio vulgata ferè notio ſatisfaciat.

Redeo hinc, Erudite Lector, ad fabulam & fictionem, unde me dictionis Poeticæ ab-

duxerat consideratio. ac primum circa recentes historias mihi videor illud audire Plinianum; *quæ tam Poetica, &, quanquam in verissimis rebus, tam fabulosa materia? dices immissa terris nova flumina* (maria) *novos pontes fluminibus injectos... una, sed maxima difficultas, quod hæc æquare dicendo, arduum.* Equidem, historiæ quidquid attigi carminibus, tractavi sic, ut nihil fabula fidei, nihil suavitati veritas officiat. Circa res quoque sacras multa inventa fictaque sunt, sed rebus cohærentia, è rebus ipsis ducta; ut constabit ex.c. in Transfiguratione & Ascensu Christi; in Euthanasia & Apotheosi Borgiæ; in Josaphato utroque, Judæo & Indo. Difficile prorsus ac periculosum est Superos effingere loquentes, cum in ejus generis orationibus divini species decori tenenda sit. quare frequenter è sacris litteris eas orationes elicui, ut Deum sequerer verba præeuntem. ac videlicet, quemadmodum Ethnici suas, cum de Diis agerent, fabulas carminibus inculcarunt, ita Christianis hominibus in religiosis argumentis historias divinas & sententias adhibendas censuerim. Nec pauca inde fictionis, non inanis, sed & utilis & jucundæ semina sublegi; quæ si colere libuisset, peramplam hinc segetem rerum excitassem. atenim non profanis modò fabulis consultò in sacris abstinui, sed à plurimis etiam sanctioribus inventis, quæ sese

ingerebant, majoris utilitatis gratiâ temperavi; quò pietati velut purior campus, & via diverticulis minus flexuoſa panderetur. Neque idcirco mihi videor à Poetæ ſcopo aberraſſe, cum abunde probarim ſtare ſine fabula Poeſin. Quod niſi ita foret, jam non tantum Lucretius (ut Græcos prætercam) Horatius, Tibullus, Propertius, Ovidius, ac reliqui pænè ad unum Latini veteres, in pleriſque ſuis operibus non eſſent Poetæ habendi; ſed ne Virgilius quidem magna ſui parte eſſet Poeta numerandus: cum Georgica, opus mirificum ipſaque Æneide perfectius, imitationem habeat nullam & fictionem, præterquam in extremo libro quarto, ubi fabula eſt Ariſtæi, eaque non primo autoris conſilio, ſed Auguſti juſſu prolixæ laudationi ſubrogata Cornelii Galli. Principem ego Poetarum ſequi ſatius duxi, quàm Ovidium in Faſtis conſectatione fabellarum luſitantem; ingenioſè, ſuo more; ſed nihil ad Maronis gravitatem. hujus adeò Poeſis, tanquam matrona plena modeſtiæ, plena dignitatis: illius, velut puella ſaltatrix, & feſtivior quàm neceſſe eſt probæ. An verò nullam Virgilio præbebant fictionum opportunitatem

Diique, Deæque omnes, ſtudium quibus arva tueri?

quos ille in principio Georgicon invocat longa ſerie, & ambitu (quod notaſſe obiter pro-

fuerit) trium & viginti carminum. quanta undique Poetam ſilva fabularum invitabat! nec tamen *carmine ficto, atque per ambages*, ſed verâ ſeriaque argumenti ſui tractatione Mecænati delicias fecit. ingenii maturitate, præſtantiâ doctrinæ, dictionis elegantiâ ſic materiem auſteram excoluit, nihil ut illo rure floridius eſſe queat, nihil fructuoſius & ornatius. Veterum ego tamen legenda mihi veſtigia reputavi magis quàm premenda. recentiorum autem in operibus nonnulla ſum aliquando miratus iis gemina, quæ, priuſquam eorum apparerent libri, meis vulgaveram. at facilè in eandē unam incurri poteſt vel ſententiam, vel elocutionem. quin honori duxero, è meis quidpiam opuſculis ab imitatore induſtrio decerpi. Sed octo ipſos continentes verſus, omnino integros aliquos, alios paucis in deterius mutatis vocibus, è Curru Gloriæ abſtraxiſſe; non imitatio, non mutuatio, ſed mera direptio ac deprædatio eſt.

Quod ad Intercalaria pertinet carmina; non eas mihi leges propoſui, quæ alicubi novo Regii Carminis, ut vocant, invento ſervantur. ad Moſchum reſpexi, Bionem, Catullum, Virgilium, inter profanos. nam & Regius Vates hoc artificio pſalmos aliquot, & majori varietate inſigniit. Jam Notæ, quibus libros aſperſi, partim curioſæ rerum obſervationes publicarum ſunt; partim peculiarium aut locorum

aut operum necessaria, vel commoda certe indicia. quædam etiam præmunitionis causa fuerunt observanda; ut de Græcis nominibus apud Hebræos usurpatis; in Scaligerum, qui Sannazarium ex hac quidem parte male arguit. Scripturæ locos è multis aliquos apposui, quà pietatis, quà eruditionis instrumenta. Qui tamen peregrinetur in sacris litteris, nihil est quod hæreat in nudis autorum codicumque sanctorum nominibus passim obviis. satis est, si advertat, è divinis monumentis sumpta quæ morem humanum aliquando superant; & reverentiam S. Spiritûs oraculis debitam exhibeat. Voces nonnullas Theologicæ disciplinæ solennes, quæ plurimam emphasim habeant, ad Oeconomiæ Sacræ marginem annotare non dubitavi; nullas in ipsa carmina irrepere sum passus à Poesi alienas. crebra etiam notatu digna prætermisi, ne oras librorum onerarem: ac nihil quandoque ob ipsam rerum copiam adscripsi; ut l. III. Silvarum, ubi densæ per ludum historiæ ac fabulæ. si quid quis minus assequitur, & subsidium à Grammaticis petere gravatur; facilis est unius alteriusve dicti jactura. *Neque verò ego hoc tantum oneris imponam nostris præsertim oratoribus* (ait Cicero; dicam ego, lectoribus) *nihil ut iis putem licere nescire.*

Sed jam plura fortasse, quàm erat necesse, de materia & forma Poeticorum Operum:

nihil tamen, ut arbitor, ſupervacaneum & inutile, ſive ad indicandam & probandam inſtituti mei factique rationem, ſive ad morem profanum erroremque multiplicem pro mea tenuitate corrigendum. Et crebrioribus, quæ congerere in eam rem potueram, exemplis, autoritatibus, rationibus, cenſuriſque ſciens volenſque ſuperſedi. Juvabit, ut ſpero, te, Lector Erudite, ſupplementa quædam harum diſſertationum & acceſſiones breviſſimas perſequi, ſuam cuique voluminis parti præfatiunculam. ex ea verò, quæ Panegyricis præfixa eſt Orationibus, iſtius cauſam additamenti conjunctioniſque agnoſces. Ad extremum, hoc à me dictum æqui bonique conſule; non levem & deſultoriam, ſed intentam & ſagacem à te optare me lectionem. neque enim ita ſcripſi, ut bracteolis caperem oculos, verùm ut ſolidâ formâ paſcerem. ac ſi tibi fortè primo aſpectu non diſplicuerit operis ſubjecti ſpecies; tolerabilius aliquanto, cum omnia perſpexeris accuratiùs, quidquid eſt ſive Poeſeos, ſive Orationis, viſum iri ſanè confido.

FACULTAS P. PROVINCIALIS Societ. JESU in Aquitania.


CUM aliquot Societatis nostræ Theologi legerint *Opera Poëtica & Orationes Panegyricas* P. LEONARDI FRIZON ex eadem Societate; eáque censuerint ob materiæ dignitatem elegantiamque formæ posse ad utilitatem publicam typis excudi; potestate ad id mihi factâ à Patre nostro Joanne-Paulo Oliva Generali Præposito, facultatem Autori concedimus Opera illa sua Poëtica & Oratoria in lucem emittendi. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & officii nostri sigillo munitas dedimus, Burdigalæ 19. Martii an. 1674.

MECURIUS VERDIER.

SUMMA REGII PRIVILEGII.

CHRISTIANISSIMI Regis autoritate patentibusque litteris cautum est, ne quis *Opera Poëtica & Orationes Panegyricas* P. LEONARDI FRIZON è Societate JESU, absque ipsius autoris consensu, excudat excudendave curet, aut ullo modo effingat intra quindecim proximos annos à die primæ impressionis expletæ numerandos. Qui secus faxit, indicta pœna confiscationis librorum coercebitur, aliáque multâ Regio diplomate contentâ. Datum Parisiis die 27. Junii, an. 1675. Sic signatum, de mandato Regis, GUITONNEAU.

Perfecta hæc prima editio fuit die 14. Augusti, an. 1675.



HEROICON

LIBER I.

SACRA EXPEDITIO

AD

PRINCIPES CHRISTIANOS

Cum decretæ ad eos essent in Varsoviensi Poloniæ concilio Legationes, opem adversus imminentem Turcam oraturæ,

PROTREPTICON.



URGITE, magnanimi Proceres, quos æthere ab alto
Increpuere sacrum spirantia classica Martem:
Rursus equos, densas alii conscendite puppes.
Nunc age, nunc socias in prælia jungere vires

Ottomanum contra, manifesto numine Christus
Imperat, Heroasque suos Deus evocat ultor.
Pannoniam, Cretam, terras populatus & undas,
Acrior ecce ruit, majoraque Barbarus audet.
Scilicet arrepto discordis tempore regni,
Christiadûm, heu, turbas proprios convertere in usus
Doctior, immani vastatos clade Polonos
Obruit, impositoque jugo, deforme tributum
Exigit, ac populum censet Regémque clientem.
Proh pudor! huic trabeam sceptrumque insignia mittit
Imperii servilis, & illætabile donum.
Ni Dominum & leges Princeps patiatur acerbas,
Territat; insultánsque malis, graviora minatur,
Jam fræno injecto, Camenensíque arce potitus.
Qualis ubi Ætnæis proruptus faucibus ardor
Fulminat, exitio miscens silvásque, domósque,
Felicésque priùs campos; hinc major eundo
Explicat undanti victrices agmine flammas,
Quippe suum depastus iter Vulcanus, & alta
Sævior in castra & magnas se concitat urbes.
Funerei antevolant cineres, mistísque favillæ
Pumicibus, cœcúsque atra caligine Terror.
Haud secus assiduis avidus successibus instat
Osmanides, pavidúmque ferox grassatur in orbem.
Nexa inter sese, & gradibus substructa trophæa
Æternam in seriem tendunt; acuítque cruentam
Præda famem. crescunt vires, crescúntque furores.
At non sic Asiam, Libycásque ex ordine gentes
Abstulit, Europæque incumbit publicus hostis
Christiadûm, & spoliis dives lætatur opimis?
Ferro, igni campos & procumbentia miscet
Agmina: non primis, non seris parcitur annis.
Cæditur imbellis pariter cum milite vulgus;
Sacra, profana ruunt: it torrens undique sanguis.
Non genus hoc hominum. testantur Caspia claustra

Immissas tygres populis : moréſque rigeſcunt
Caucaſei, & ſolidas cautes præcordia geſtant.
Quid loquar, ut probris inſtans effræna libido
Barbaricis, veſanum odio confundat amorem ?
Threïciis compuncta notis quot millia ſordent
Chriſtigenûm, paſsímque foro venalia proſtant,
Remigióve addicta gemunt; ferróve gravata,
Preſſa jugo, terram exercent, pontúmque fatigant!
Heu Pudor! heu temerata Fides! impune per orbem
Exultans, Chriſto illudit Mahometica labes:
Semirutíſque trucem templis increſcere Lunam
Cernimus, antiqua de Relligione trophæum.
Jam mihi ſe Rhodiæ, Cypriæ jam cladis imago
Subjicit; & verſis quæ dudum, ah! Græcia fatis
Luget, inane fremens, Hyrcano oppreſſa latroni;
Barbara nunc, priſcas nec jam reminiſcitur artes.
O Solyma! ô ſparſæ divino ſanguine rupes,
Quas ſcelere omnigeno Thraces fecere profanas!
O ſpecus auguſtum, & ſacri penetrale Sepulcri!
Nullane jam Regum conſpirant fœdera? nuſquam
Alter erit Godofredus, & altera ſanguine pictum
Claſſis agens Labarum, atque Orientis digna triumphis?
Sed longinqua pios arceſſo in prælia Reges;
Et Syriam memoro, & gentis juga ferrea Grajæ!
Non quæſitus adeſt hoſtis, ſéque objicit ultro,
Viſcera Sarmatiæ penetrans; dirúmque minatur
Romano excidium ſolio, & cœleſtibus aris.
Dalmatiam, Cretam bello laceraſſe perenni,
Rem Venetam, Dacóſque parum eſt: jam clauſtra re-
vellit
Ardua Podoliæ, captivas inſidet arces.
Præſagíſque mali gravior jam Luna cometis
Occiduum imperii domitrix invadit Eoï.
Surgite, magnanimi Heroes, veſtriſque Tyrannum
Dejicite hærentem cervicibus. ite, ferocem

Hactenus, & fœdè tutum civilibus armis
Christiadûm, properè collectis viribus omnes,
Unum omnes petite, atque exscindite funditus hostem.
Ipse pias CLEMENS concepit maximus iras,
Advigilans gregibus Pastor, simul arbiter orbis,
Et pacis bellique idem certissimus auspex.
Ille quidem humanos prudens adhibere labores,
Ac summa, quantum licuit, molitus opum vi:
Sed tamen imbelles hominum sine Numine curas
Novit, opemque Dei recluso excivit Olympo.
Supplicibus docuit populos se accingere votis,
Questibus & Divûm stellata impellere castra.
Ut superæ fervent acies, florentiáque auro
Signa micant! toto conjurant sidera cœlo
Lunam in Bistoniam, & radios in tela minaces
Exacuunt: sociali ardet rapida æthra tumultu.
Læta pias circumvolitat Victoria partes
Virginis ora gerens, & fulgure cincta corusco:
Qualis in Odrysiam ex alto sævire phalangem
Naupacti horrisonas quondam spectata per undas.
Perge Deo, SOBIESKI, audax duce; perge nefandum
In genus, Europæ vindex; neu sperne cadentis
Assiduos populi gemitus, & publica vota.
Aspice, ut infelix Scythicoque exposta furori
Russia protendit, quas, nî tua dextra resistat,
Ocyus impedient captas vincla aspera palmas.
Mollibus ille etiam fallax, si credula nactus
Pectora, Christicolas verbis deludit, & armis
Occupat incautos. Thraci ne credite, gentes,
Fœdifrago, cui nulla fides; & acinace pendet
Unica lex; jurisque modus, violenta potestas.
Barbarus & bruto quàm proterit omnia fastu!
Servitio accenset Reges Sultanus; & aulæ
Mancipia Ottomanæ, Judæo stigmate inusta,
Gentibus imponit domitis; populosque trementes

Delectu misero exhaurit, fœdoque tributo:
Principum & incertos ludo transmutat honores;
Ceu viles animas, & de grege corpora mactat.
Ergo fulmineas aquilas, motúsque secuti
Sarmaticos, celerate viam, compellite turmas,
Europæ Proceres: justæ proludite pugnæ,
Subsidiis certatim alacres in bella ferendis.
Ausonidæ magni, priscis gens clara triumphis;
Vos, fidæ quorum ante alios concredita curæ
Relligio, & cælo Petri contermina sedes;
Quorum elata sacri, terras spectanda per omnes,
Arce micant belli vexilla; pióque supremi
Pontifices signa ore canunt; rapite arma, Quirites.
Insubres, Tusci, Ligures, in castra vocanti
Sarmatiæ, pulcri in partem pretiumque laboris,
Confluite. emeritas, Veneti, sociate catervas,
Thracibus expertas vires terraque, marique.
Huc Calabræ gentes, huc Parthenopæa juventus.
Tum vos, Alpinis excitum finibus agmen,
Taurini, Allobroges; Cyprum repetentis opimam
Egregii Ducis auspicio lætissima pubes.
Helvetii, Rhæti, durissima pectora bello,
Ite, Asiæ molles populos vel corporis ipso
Proterite incursu, gravibus concidite telis.
Sicaniæ properate rates, Sardoaque signa,
Cyrnææque acies; Belgæque animosa Leonis
Ira per Ottomanæ stragem exercenda phalangis.
Indorum atque Arabum toties victricia tela
Nunc & turritas Ægæo obvertite naves,
Lusiadæ: merces venati Oriente repostas,
Huic potiùs laudi, partæque incumbite gazæ.
Unà flos Melites, & ineluctabile robur,
Purpureo signo inscriptas agitare triremes
Gestiat, Argolicas equitans generosa per undas,
Odrysiis metuenda manus, lectissima corda.

Nec minus Arctoi coeant in fœdera Reges.
Tuque adeo, cæsi post horrida fata parentis,
Post varios casus, post mille pericula rerum,
Reddite jamdudum patriæ, sceptrisque Britannis,
CAROLE; belligeram tanto pro munere classem,
Vindicis ô vindex Christi, molire, sacrumque
Assere cognomen *Fidei Defensor*, avorum
Rite viam claræque legens vestigia laudis.
Prædones violata luant commercia ponti,
Christicolúmque exin metuant attingere fines.
Armipotens, socia & concors ditione tuenda,
Vandalus hîc animos acres, hîc robora promat,
Livoniæ avertens vicinum tractibus hostem.
Romulidûm quondam terror, non degener arma
Expediat Cimber, Thracum haud spernenda furori:
Causaque successum præstet gratissima cælo.
En seges, en fortes quæ poscat adorea dextras,
Sese offert, Germani, & martia corda lacessit.
Lechiadûm terrisque, Duces, iidemque periclis
Contigui, jam vestra animis præsumite bella,
Illo decurrat virtus palmaria campo.
Huc validas, huc verte acies; & grandibus ausis
Materiem, Cæsar, justoque ex hoste triumphos
I, pete; & ipse tuas consors ultricibus armis
Res age. nec pacis te gratia tangat iniquæ,
Quam toties jam Turca prior, nil parta moratus
Commoda, totque agris auctus totque arcibus, ultro
Fregerit. Hungariæ motus vi, fraude, rebelles
Fovit; & insidiis media inter fœdera turbat.
Utque Nehusaliam, Varadinam insedit & urbem,
Hinc atque hinc prædas abigit, tua regna frequenti
Sollicitans excursu: & vim vis si qua repressit,
Prosequitur questu, accivit quæ damna, superbo;
Intentatque minas, Germanisque ingruit oris.
Teutonicis inhians sceptris adrepit, & ultrà

Tendit atrox, ſpargitque feræ contagia cladis;
Pannonico, ah nimiùm, regno, nimiumque Viennæ
Finitimæ gravis, & nullo tractabilis uſu.
Auſtria nec dirum Pietas accendat in hoſtem?
Quid regalis Hymen, caræ fortuna ſororis?
Auxilii ſpes ampla, toro jam pacta Polono.
Quin Batavus, regnantum apices & jura vereri
Diſcat; & auſpiciis captans regalibus auras,
Velivolo Ionio veræ nunc laudis amicus
Inſtitor exagitet, communemque urgeat hoſtem
Ipſe etiam, raptuque opulentæ gaudeat oræ,
Tum melior, tum rite fidem culturus avitam.
O tandem ſolidam ſi fas componere pacem!
Supplice ten' Vates hortatu, Maxime Regum,
Appellet, ceu Sarmatico Legatus ab axe?
At tua, par mundi imperio, ſapientia curis
Antevenit monitus, precibuſque occurrere geſtit
Relligione animus, decoriſque incenſus amore.
Pannonici tu ſumma inter diſcrimina belli
Labentem auxilio fulcis, LODOÏCE, columnam
Imperii; tumidumque novis ſucceſſibus hoſtem
Proteris, Hungariæ aſſertor. Scit ſtrage cruentus
Arrabo, & cæſo Turcarum obſtructus acervo.
Agnovit LEOPOLDUS opem, fataliaque arma,
Et Francis meritos Ducibus quæſivit honores.
Heu quo diſſiluit fragilis concordia caſu!
Hoſpita Legatis, Europæique Senatûs
Pacem exquirentis ſtatio; cui nomen & ortum
Agrippæ ſanguis, fortes dat Roma colonos;
Dives opum, Rhenumque potens frænare ferocem,
Urbs, gremio adverſas partes media ipſa capaci
Conſocians; populis optatam redde quietem,
Principibus decora; & fratrum tenero imbue ſenſu
Regales animas, & inermia conſere corda.
Quò diverſus Iber? Siculam reſpectet ad oram,

Sardiniam, Appuliam, crebro quam perfidus Afer
Sultanique cliens conjuratuſque ſatelles
Diripit exſcenſu, & levibus prætentat in armis,
Barbara dum pleno procedant agmina greſſu.
Heſperiam duplicem uſque inhiant, amiſsáque regna,
Fors aliqua intentis aditum, portamque recludat;
Ore avido extortam prædam indignata repoſcet
Colluvies Maurorum, & inundans omnia peſtis.
Sat, toties periiſſe. quid, heu! nova funera mundi
Expectare juvat? ſi quem generoſa cupido
Bellonæ, ſi Pacis amor, ſi Gloria movit,
Ad bellum Pax alma vocat; puraſque, nec ullis
Tingendas lacrymis palmas oſtentat Idume.
Expiat infectos cognatis cædibus enſes
Relligio, Scythicoque ſacrabit tela cruore.
Hoc tua ſe virtus, Lodoïce, effundat in æquor.
Duc age in Ottomanum, aut turmas immitte vacantes,
Borbonide, ſurgens Proavorum ex oſſibus ultor.
Barbaricas ingens Byzantî regia gazas,
Auguſtam in ſedem Francos revocantibus aſtris,
Congeſtas mundi exuvias, tua præmia ſervat;
Æternoſque Sion debet repetenda triumphos.
Proximus ire animiſque flagrat Germanus & armis:
Ac, ſinerent anni, patrios Delphinus honores
Aggrediatur ovans; formoſoque emicat igni,
Spe jam præcipiens hoſtem. Quo turbine ſeſe
Inferet, ac populos & celſas proruet urbes
Condæus, belli fulmen; princepſque juventæ,
Et magno virtus ſuccreſcens æmula patri
Enguineus; Procerumque alii, quos ſplendidus ardor
Relligionis agit ſtimulis, victricia tollent
Lilia ad Auroræ tractus, Solymæaque regna!
Et jam Sarmatico fractus Mavorte tremiſcit
Barbarus. armatis trepidanti incumbite dextris,

Augusti Proceres: neu clade ferocior ipsâ
Amissas renovet vires, urgete jacentem.
Victus at ille tamen, præruptis ardua saxis
Castra tenet, necdum Camenensi excussus ab arce est,
Numinis auspicio sociatas fœdere vires
Christiadûm feret, ac tantis par Regibus ibit,
Sarmatici Ducis exiguo qui milite fusus,
Largoque undantem rubefecit sanguine Tyram.
Threïcia & dudum propriâ res mole laborat,
Concussu latè immanem tractura ruinam.
Eruta magnifici pretium dabit ipsa laboris.
Sic faciles adsint Superi, sic vota secundent.
Jam Moscum bello instructum, socia arma cientem;
Jam toto imperii connixas corpore gentes
Romulidûm, Illyridemque, & quanta est Dacia, junctam
Sarmatiæ, Persamque hostem, Graïumque rebellem
Sentiat ille ferox terris agitatus & undis;
Caucaseosque fugâ montes, Scythiamque requirat.

JOANNI SOBIESKIO POLONIÆ MAGNO POLEMARCHO AB INSIGNI CLADE TURCIS AD CHOCIMUM ILLATA EPINICION.

QUÆ nova Sarmaticæ rerum consortia genti!
Laurea jam taxo increvit, jam palma cupresso;
Feralesque inter gemitus Victoria læto
Ecce volat plausu, atque alto Pæane triumphus
Insonuit: pheretro fulgentem Gloria currum

Addidit, & festos aris persolvit honores.

Regis Poloniæ Michaëlis mortem obitam IV. Id. Novemb. consecuta proximo die victoria.

Abjice lugubres, orbata Polonia, Regis
Funere ab hesterno, lugubres abjice sordes;
Jamque triumphales auro nitida indue cultus:
Nec dubium cælo munus gratare faventi,
Victum acie Turcam, caligantemque retusis
Cornibus, ac multo squallentem sanguine Lunam.
Ardua Chocimi Dacis qua finibus adstat
Arx imposta jugo, subterlabentibus undis;
Hîc, securus agens, validis tentoria castris
Fixerat Husseinus; turritumque agmine collem
Ottomano insidens campumque, amnemque tenebat.
Huc & Lechæo præstantes robore turmas
Littaviæ adjunctis rapuit SOBIESKIUS armis;
Tutari patrios fines, ac vincla minantem
Strenuus immanem ferro prohibere tyrannum:
Admovet & cuneos, bombardisque increpat hostem.
Crebro proludens ictu vicina lacessit
Munimenta, gravi pariter reboantia nimbo
Ærisque plumbique, & stridentum igne globorum.
At quanquam imparibus coràm volitare maniplis
Christiadas, pugnamque vident obtrudere iniquam;
Non tamen instructas acies educere contrà
Odrysii tendunt. vallo se densa coërcent
Millia; nec rudia, aut temere collecta; sed omnes
Mavortis jam docta vias, longosque per usus
Fatiferasque artes Cretæo exercita bello.
Projectas operum moles tantum inter & alta
Propugnacla, sinusque viarum ambage reductos,
Excursu leviora brevi certamina libant
Osmanidæ, facili castrorum in tuta receptu.
Quippe sibi haud ullo venalem sanguine laurum
Polliciti; malè concordes, inopesque catervas
Cessuras passim trepido jam jamque tumultu,
Certa Musulmannis ludibria. Proinde, solutos

Donec ſponte ſuâ & fuſos ſine Marte Polonos
Aſpiciant, dubio parcunt ſe credere campo
Interea, juſtaque negant decernere pugna.
Quid faciat, dum caſtra fovent, Sobieſkius acer?
Quâ ſolers arte eliciat ſubducta periclo
Agmina? quo clauſos invadat robore Thracas,
Perrumpatque aditus, & ſævas objice moles?
Cominus an poſitis obſidat barbara caſtris
Caſtra urgens, ceu luſtra ferarum indagine cingat,
Lentâ fracturus vires Dux clade ſuperbas?
Cauta paludati pendent conſulta Senatus;
In partes mens ſciſſa Ducum; numeroque locoque
Quam demum tantò inferior ſpem Sarmata tentet
Poſt varias clades, miſeri tot vulnera regni.
Scilicet inſanis rapidus ſe impingere Thracum
Molibus, exitioque ruat devotus aperto.
Secum adeo patriamque trahat, penitúſque ſub ipſos
Principis occaſus communi funere mergat.
Victori quos nempe obices, aut quæ agmina Turcæ
Opponat fusâ hîc acie? Vacua illa, nec ullis
Præſidiis firmata, truci vel nuda reſiſtant
Caſtra loci ingeniô, peditemque, equitemque fatigent.
Aſt illo terdena ſitu lectiſſima bellant
Millia. tum caſtra immenſo manus arſque labore
Aggeribus foſſiſque operoſa emuniit, urbis
Prævalidæ in morem, clivo ſurgentia, & arcem
Tormentis cunctoque armorum imitata paratu.
Atque hinc fœda palus, vepreto hinc aſpera ſæpes,
Vallorumque rigens & non penetrabile textum.
Hinc atque hinc abrupti aditus: & flumine Tyras,
Et creber rapido prælabitur agmine torrens.
Nil tamen objecta ſpecie, immaniſque pericli
Concuſſus terrore, animos ſuper æthera tollit
Lechiadûm invictus Ductor. perfringere caſtra,
Turcarumque moras ardet reſcindere ferro.

Acrior ut peragat, forti quæ maxima volvit
Pectore consilia, & cœptis audacibus instet,
Cœlesti monitu formaque accensus amica est.
Nocturnam sua Magnus obit dum castra per umbram;
Ecce viro effulgens armis occurrit Amazon,
Aquila, insigne Poloniæ. Cui galeam auratam passis aquila insidet alis;
Sed tamen evulsa pennarum parte, superbum
Visa ferox, iraque minax spirare dolorem;
Exertos acuens, haud fulminis immemor, ungues.
Hastam dextra gerit: turbatam nubila frontem
Contristant; generoso animus tamen emicat ore:
Nec, quæ multa notat vultus, inhonesta cicatrix.
Et laceræ chlamydis nodus collegerat oras.
Tum Patriæ sic nota virum compellat imago.
Pervigilas, Sobieski; & me pro Rege caduco
Sustentans, cruda Thracis ditione tyranni
Eripere, amissosque reponere tendis honores!
Pervigila, curisque Ducem gere: nec tua cœpta
Aut socium timor, aut fallax prudentia vertat.
Quo stas, ne dubita, felix locus omine certo
An. M. DC. XXI. Palmam offert. Campum hunc nobis Victoria dudum
Sacravit: cæsæ hîc terram stravere Polonis
Odrysiorum acies; Osmannus & ipse superbis
Ingemuit cecidisse ausis, fractusque refugit.
Perge, ô! tanta sequi divinæ pignora sortis,
Fatalemque novo campum insignire trophæo.
Dilabíne tuas, Husseino crescere vires
Cunctando patiere? trahas quam lubrica, sentis,
Auxilia: & Cereris pedites jam vexat egestas.
Jamque domum, Rege extincto, remeare videbis
Magnates, solito properos considere cœtu;
Undique submissum interea cogente Caplano
Auxilium Ottomanis. Et tanto cardine belli
Cessabis; longoque sines quæsita labore,
Præsentem elabi manibus, tua præmia, laurum?

Surge age, & ipſe tuos primi ſub luminis ortum
Ad laudem prædamque voca. Quin aſpice, ut aſtris
Relligio delapſa, ſacro comitante maniplo,
Ducit opem, totâque favens tibi militat æthrâ.
Solam operit præſaga horror ferrugine Lunam.
Excipit allabens propius Regina ſacrorum,
Fimbria quam pictâ circumfluit aurea pallâ.
Numinis auguſto radiatam nomine frontem
Infula, tergeminoque tiaras orbe coronat.
Turicremam non jam illa manu ſuſpendit acerram;
Sed Conſtantiadæ magno quam candidus æther
Purpurea ſub nube Crucem, victricibus armis
Fatale extulerat ſignum, jam luce rubentem
Oſtentat: ſimul hac Heroïda voce ſecuta eſt.
Imò ego, cui fortem verſas in prælia dextram,
Maxime Lechiadûm & ſuperis gratiſſime Ductor,
Omnia fauſta dabo, celebreſque ex hoſte triumphos;
Hæc Pater omnipotens ſtatuit commercia rerum,
Ut mea qui bello defendunt jura, viciſſim
Defendam, pia tela regens, clariſque coronas
Frontibus attexam. Mene execranda tyranni
Sacra pati Mahometis? & Orco cedere Chriſtum?
Funeſtæque ſalutiferam concedere Lunæ
Poſſe Crucem? creſcente illâ, decreſcere ſolem
Eoum, Heſperium, atque aſtro ſervire bicorni?
Non ita Sarmaticam gentem implacabilis ultor
Abjecit, prædamque atro permiſit Averno.
Stringere ſed patrio voluit turbata flagello
Regna Deus; pavidis torrentem inducere terris;
Pœnarum admonitu populos revocare nocentes
Ad ſeſe, tumidiſque infringere cornua Turcis.
En, ait, & cœli caſtris deſcendere apertis
Fulmineas, en, cerne acies. Tum nube verendas
Diſcuſſa facies aperit, palmare Polonis
Subſidium, cladem Ottomanis. Sobieskius ora

Suſpiciens divina, pio præcordia motu
Intremuit. novus inde animos Ducis excitat ardor.
Affuſæ indicium luci vocale magiſtra
Subjicit; oblatoſque viro dat noſſe faventum
Auguſtos Superûm vultus, atque ordine pandit.
Ille, vides? qui ſidereis Antiſtes ab oris
Agmen agit, patriæ memorem teſtatur & ortûs
Pannonii; terriſque incendia ſæva propinquis
Barbarici extinguet belli. Spectatus in armis
Ille prius, meruitque Deo. Quam largus egenis
Miles opem dextra miſerans gladioque ferebat!
Mox alacer Chriſtum bella ad meliora vocantem,
Hilariique tubas & fulgida ſigna ſecutus;
Ipſe etiam Turonum per agros ſua ſigna, per urbes
Explicuit, Furiaſque opifer, morboſque fugavit.
Hoſpitibus Francis exin venerabile nomen
Prælium feſto S. Martini die commiſſum.
MARTINUS, populiſque ingens & Regibus auſpex.
Craſtina lux, magno Heroï quæ condita faſtis
Annua ſacra refert, meritoſque indicit honores,
Felix auſpicio pugnam vocat. Arripe ſancto
Prælia ſancta die, & feſtos paritura triumphos.
Qui comes ingreditur, paribuſque inſignia vittis
Tempora collucet; pulchro ſed rubra cruore
Auxit honoratam præfulgens laurea frontem;
* Polonorum Apoſtolus.
Hic tuæ Adalbertus * patriæ pater. ipſe Polonos
Gneſnenſi è ſolio rexit, Chriſtoque ſubegit.
Militarem Hymnum ſcripſit in D. Virginem, teſtamentoque legavit Poloniæ, exin præcini pugnæ ſolitum.
Virginis æternæ ſollennem ad prælia laudem
Entheus inſtituit populari carmine vates;
Teſtibus & doni tabulis tranſcripſit habendum
Dilectæ ante alias genti, virtutis & acrem
Belligeræ ſtimulum, pretiumque decuſque triumphi.
Carmine quo, numquam illa pios fruſtrata clientes,
Excita Sarmatiæ adſpirat pugnacis honori,
Armipotens Orci domitrix, Materque Tonantis.
Apoc. 12.
Calce laborantem Virgo terit ardua Lunam.

Tertius ille, ſuo pariter quem ſanguine clarat
Purpura; & indomitum regali corda furore,
Sollicitumque gregis venerata Cracovia cultu
Eximio cuſtodem: aderit mea bella gerenti,
Fortius ille movens haſtaque & acinace telum,
Paſtorale pedum; caulis quàm ſuave regendis,
Tam grave prædantum in rabiem, rictuſque ferarum.

D. Staniſlaus Martyr, Epiſc. Cracov.

Nomine, magnanimaque virum pietate togatus
Ecce refert juvenis; multo nec ſeciùs uſu
Splendidus armorum, quæ Tartara, quæque furoris
Tartarei ſocias acies, genteſque ſuperbas
Debellant: niveoque intacti flore pudoris
Dulce nitet, vivaque rubens flamma ardet amoris
STANISLAüs, & Aligeris ſe concolor infert.

Talis & antè pio flagrans CASIMIRUS amore,
Morte ſacra heroïs decus immortale paciſci
Auſus, & illæſa pro virginitate beato
Victima procumbens fato; conſortiaque Agni,
Liliaque æterni meruit ſtellantia veris,
Regia progenies & regni gloria, Princeps.
Ecquid, ut ætherias inter ſpectabilis auras
Littavicis condenſa dedit ſuperare maniplis
Agmina, Turcarum ſic impia caſtra refringet?

Prima ſed optatæ veniat fiducia palmæ,
Indigetis tutela potens & amabile KOSTKÆ
Præſidium. Quanquam hic obitu delectus ab ipſo
Regibus ac populis Tutor: ſed fervida nuper
Cognati pietas Regis, ſummique Senatus,
Myſtarumque Equitumque ardens quibus inſtitit ordo,
Vota patrocinium tandem meruere ſacratâ
Lege ratum. dabit ille ſuæ nova pignora ſortis.

B. Staniſlaus Koſtka Poloniæ Lithuaniæque Patronus præcipuus à Pontifice declaratus.

Atque hoc ipſe ſolo jamtum cæleſte probavit
Auxilium; jamtum pietati æquata poteſtas
Explicuit ſeſe, patriam ſervantis alumni;
Barbariæ tota incumbens Thrax mole tyrannus

Superior ad Chocimum victoria, B. Koſtkæ præſidio parta, te-

ſtibus etiam regiis litteris áliiſque publicis monumentis.

Cum tot ab extremo terrarum effuſa receſſu
Millia, quot Mæotis agit, quot Boſphorus undas;
Infeſtis ageret ſignis; cæcoque furore
Sceptra Sigiſmundo præceps, altaria Chriſto
Extorquere parans, faſtu pulſaret Olympum;
Et Ladiſlaum vaſtis aſſultibus urgens,
Prælia miſceret generi fatalia veſtro.
Nubivago invectus curru tum Koſtka Patronum
Et viſus gerere, & Magnam conjungere Matrem
Auxiliis, tenero MARIÆ dignatus amore.
Tum ſimul & Regi (bello inſurgente petitum,
Regni ad tutamen) ſanctum ac venerabile munus
Tranſmiſſum Auſonia fines intrare Polonos
Egregii cœpit juvenis caput; & ſimul atrox
Finibus excedens regni, poſtque irrita dirùm
Cœpta fremens, lacera Oſmannus vexilla trahebat;
Pone ſuæ linquens immenſos cladis acervos.
Nunc quoque victrices experta Cracovia curas
Gratatur Koſtkæ, & læto meritum ambit honore;
Feſta triumphalis renovans ſollennia pompæ.
Auſpice quid tanto metuas immania caſtra?

Recens hæc victoria ſub ipſum relata B. Staniſlao ſacrum diem, quo Id. Nov. conſignantur.

Jamque inſtat ſacrata dies, quâ publica geſtit
Sarmatiæ pietas, carumque ornare laborat
Indigetem; & ſupero Tellus conſpirat Olympo.
Ac tua demeruit crebris ſpectata Patronum
Muneribus pietas; blando quem fovit amore
Semper, & aſſiduis voluit clareſcere ſignis
Omnipotens, ſanctique parat faſtigia cultûs.
Hoc duce & innumeras Geniûm advolitare cohortes
Auxilio videas, capitique adamantina circum
Scuta dare; & jaculis trepidum flagrantibus hoſtem
Sternere. Jam Valachi Turcis venere revulſi:
Cedere mox ſtatione ſua, parteſque parati
Moldaui Ottomanas ſignis mutare Polonis.
Nec ſuſpecta fides: certo ſtant fœdera nexu.

Pertæſum

Pertæſum Schytici proceres populoſque tyranni eſt.
Tu dextram Superis tantum præbere miniſtram
Ne ceſſa ; & vallo propior ſuccede, pericli
Securus. Non vana tibi hæc ludibria noctis :
Haud dubitanda cano. Divis, i, caſtra ſecundis
Exupera. hoſtilem tormentis dejice turbam ;
Turcarum implebunt congeſta cadavera foſſas :
Terraque & Odryſio ſpumabit ſanguine flumen.
Huſſeini ſollennem intra conopea reddes
Victor ovans pæana Deo : prætoria ad alta
Gaudebis, Baſſæque opulenta in ſede profani,
Non hos auguſti ſubſtructâ in muneris uſus,
Magnificas peragi grates, ſacriſque litari.
Æterno recolent populi decora iſta triumpho.
His dictis, nubem in nitidam ſeſe ipſa, ſuumque
Collegit comitatum ; & ſulcum lumine duxit,
Rectam in caſtra viam ſignans rutilo hoſtica tractu.
Emicat hîc Superos venerans Sobieskius ; & quà
Lucet iter, necdum exorto Titane, ſecutus,
Ipſe pedes caſtrorum habitum vallumque minaſque
Explorat ; quid Turcæ agitent ; quâ parte Polonis
Opportuni aditus turmis ; cuncta ordine luſtrat.
Præcipites quantum in foſſas cava terra dehiſcit,
Horrifico ſe aperit barathro ; tantum aggere creſcit
Perpetuo, ſolidoſque refert alte edita muros.
Denſa coronabat caſtrenſes machina gyros.
Nec Turcas ſegnis preſſit ſopor : aggere ſummo
Stant circum armati, & crebrum vallo excubat agmen.
Talia ubi certo jam cominus omnia viſu
Obſervata Duci ; jam ſeſe ardentior ipsâ
Terroris facie ſtimulatque, animiſque pericla
Digna ſuis, paria heroæ molimina gaudet
Virtuti, ac ſummæ ſegetem conſurgere laudis.
Kostkæ infixa viget penitus fiducia cordi.
Præſidii ſubit illa animum cæleſtis imago,

Quæ denis prior extulerat ſeſe inclyta luſtris,
Duræ ad Chocimum ſummo in diſcrimine pugnæ,
Corripiens lectas mira ad ſpectacula mentes,
Purgatoſque oculos, & neſcia fallere corda.
Viſus ab occaſu procurrere ſolis in ortum,
Luce viam ſignans currus. Sedet aurea Virgo
Sidereo ſuper axe, Deumque amplexa puellum,
Totaque, purpureo ceu ſole induta, coruſcat;
Undique candenti radios jaculatur Olympo.
Reginæ ante pedes affuſa luce refulget
Dilectus juvenis, nitidoque ſimillimus aſtro.
Iſque habitu ſupplex, almam captare Parentem,
Præpete quam ſequitur Dominam Victoria curſu,
Nube videbatur volitans per aperta curuli.
Conflictu in medio Thracum, ſævoque periclo
Dulcem oſtendebat patriam, defenſor ab alto
Ipſe potens, majúſque addens in prælia numen.
Nec dubius, referat paribus quin æqua periclis
Subſidia, hunc animo ſpectat, præque omnibus unum
Implorat ſimul ipſe, ſimul conſueta, vocare
Imperat obnixis Sobieskius agmina votis.
Præcipue concepta Duces fiducia in omnes
Dividitur: certi ſtat Tutelaris amico
Terribilem auſpicio, mora nulla, capeſſere pugnam.
Turmis & KOSTKÆ ſacrum data teſſera nomen.
Ærea Sarmaticis mox undique cornua caſtris,
Tympanaque inſtantem concentu edicere pugnam.
Ilicet & pugnæ accinctos Dux fortibus acer
Exacuit dictis. Hîc Religionis amantes,
Hîc Patriæ decoriſque animos ciet. Obvia præda
Monſtratur: queis caſtra viis ſuperanda, quibuſque
Auſpiciis: facili Superûm ſterni ardua nutu.
Virtuti latè inſanas ſubſidere moles
Senſuros, foſſaſque æquari cædis acervo.
Oppreſſas urbes, regni Camenenſia clauſtra

Hostibus eripiant. hîc claves arcium, & uno
Omnia torqueri fatalis cardine pugnæ,
Et famam, & cara cum libertate salutem.
Tanto insultantes fastu, vectigal & ausos
Exigere, insesso detrudant limite Turcas.
Atq; eodem meminisse jubet quondam æquore victos.
Huc spes arrectas populorum: adstare Ruthenos,
Moldavos, Valachos. sub jura Polona volentes
Ac tacito repetant jam obstrictas fœdere gentes.
Vindicibus socias armis Victoria dextras,
Et certam junctura fidem. Sibi publica fata
Credita pugnam inter revocent, summique Parentis
Commissam & Patriæ causam: quàm splendida cælo,
Quàm terris maneant pulchrum pretia ampla laborem.
Sic animos postquam validis hortatibus Heros
Implevit; nudo flammatus acinace primam
Evolat ante aciem; & peditem pedes ipse sub ora
Turcarum, fossásque & propugnacula sistit.
Proxima jam vallo pugnam tormenta ciebant,
Moldavi quâ parte Ducis sese obvia castra
Ottomanis adjuncta dabant, proprioque dirempta
Aggere. Dissimulat conceptum hostilis imago
Transfugium; juvat arcanam fraus bellica pacem.
Cedit non invitus; & igneæ tela procellæ
Dum fugit, instantes recipit, junctóque Polonos
Agmine Dacorum Princeps in Turcica septa
Promovet. Hinc læta ingressus victoria cepit.
At quota pars operis tamen applicuisse tremendis
Directas oris acies? stant robora valli;
Stat super aëriis surgens par montibus agger:
Infra putris humus, vastaque voragine circum
Undique restagnat fossarum immanis hiatus.
Nec minus assultu indicto Sobieskius hostem
Aggreditur, princepsque in aperta pericla sequaces
Inducit voce extimulans dextraque catervas.

Ut tonitru horrendo, ac piceo torrente ruinam
Edere castrorum, & vallum cœpere curules
Sternere bombardæ; simul & conferta nitrato
Pulvere missilia, & ferro plumboque gravata,
Innumeras Thressam in turbam dispergere mortes:
Extemplo adnixi, atque animis sua tela secuti
Sauromatæ irrumpunt, turrita evincere castra
Certantes, ferroque omnes reserare latebras.
Nec vero interea resides ignavia Thracas
Detinet, aut solo propugnant aggere castra.
Præsens adverso respondet pectore robur.
Ære graves solido, quæ Turcas plurima obarmant,
Congeminant tormenta globos: furit aëre toto
Ferrea tempestas, plumboque ignique remista.
Confusæ saxis frameæ, glandesque sagittis;
Nimirum & cælo terras confundere visus
Armorum fragor, & rauca inter classica vasto
Cornipedum immixti fremitus clamore virorum.
Signa movent: nusquam requies. necdum aspera confert
Pugna manus, mediæque arcent discrimina fossæ.
Bis valido assultu Turcas petiere Poloni;
Bis Turcæ assultus vallo repulere Polonos.
Altior hîc animo insurgens, ultraque morarum
Impatiens ardet Sobieskius. utque corusco
Extulit insignem spectandus acinace dextram;
Statis, ait, cæptoque absistitis! hæccine virtus,
O socii, Patriæ vindex, vindexque sacrorum?
Nec retulisse pedem pudor est? Ite auspice Christo,
Cælestis causæ memores. Duce Numine freti
Ite, agite, invictis certi ruite omnia dextris.
Non Patriæ, non jam suprema pericula tangant:
Christicolas Christus moveat, calcandaque Turcis
Relligio. Tantum hæc Ductor medio acer in æstu,
Indignans. nec frustra. animis vox omnibus una
Suffecit, Christique incendit pectora nomen.

Continuo Chriſtus, calefacta per agmina, Chriſtus
Volvitur: ora, animos Chriſtus nec ſpe implet inani.
Nam ſimul increvere animi; ſimul æthere amico
Aucta ſecurigeras intendunt robora dextras:
Tertius & Turcarum obices perrumpere tandem
Impetus evaluit, caſtriſque immiſit apertis.
Huſſarti, natæ bellorum ad dura cohortes,
Multâ emolitæ vi barbara clauſtra revellunt.
Protinus incurrit, quà porta effracta, Polonus
Victor; & attonitos hoſtes agit undique terror.
Spumeus everſo ſuperans velut aggere torrens,
Collectaque ira tumidus, cumuloque ruentum
Turbidus undarum, paſſim caulaſque gregeſque
Conglomerans rapit, atque evulſas ſtirpibus ornos.
Terribili ſonitu latè loca pulſa reclamant.
Talis ovans hoſtili infert ſe Sarmata vallo;
Obvia præcipiti permiſcet cuncta ruinâ.
Numine victricem dextro ſic ire phalanga
Exultans; votique, opifer quo rite vocatus
Koſtka aderat, compos tum denique Ductor in altum
Emicat alipedem ſaltu; peditemque ſecutas
Accelerare jubens equitum præit arduus alas.
Ocyus infundit patulis ſeſe utraque caſtris,
Dextra Palatino Ruſſorum addicta magiſtro,
Demetrî læva imperiis. aciem ipſe ſupremus
Ductor agit, cunctiſque animos Sobieskius afflat.
Trans foſſas primum objectos, longoque revinctos
Inter ſe tractu, ferrata repagula, currus,
Jam pediti hinc illinc perfoſſa, adituque recluſo
Tranſiliunt, Turciſque acres palantibus inſtant.
Splendida turbantur rapido tentoria curſu,
Barbaricæ calcantur opes. non obvia tardat
Præda viros, chalybemve auri vis blanda retundit.
Pulvere jam cæcus fumoque obtexitur æther:
Letiferæ crepitant flammata grandine nubes.

Omnigenis ſævit telis, geſtitque cruore
Sordidus, ac totis volitat per funera caſtris
Sarmata, nec trepidos patitur conſiſtere Thracas.
Pars ingens, Paczi, pugnæ, cui Littava ſummo
Agmina rectori parent; tuque inclyte factis
Czarneski, qua voce mihi citharave canendus!
Cætera Lechiadûm neque ego clariſſima bello
Nomina conticeam Procerum, queis laurea Martis
Debita; & Aoniæ cumularim præmia frondis,
Largior appulerit cupidas ſi fama ſub aures.
Nec meritæ Huſſeinus fraudetur munere laudis.
Ille ubi depulſos, iterumque iterumque feroces
Aſſultu haud ultra potis eſt arcere Polonos;
Jamque adeo caſtris medios videt: omnia dextrâ,
Omnia conſilio expertus; non ille pudenda
Evaſiſſe fuga properat; ſed Marte receptum
Temperat. Adverſum quin & furiatus in agmen
Principis invectus Demetrî, robur ab ipſa
Clade animoſque trahens, lævam concuſſerat alam,
Victoris manibus palmam infregiſſe minatus;
Ni vigil, atque animo partes arrectus in omnes,
Providus auxilio Sobieskius advolet; & jam
Arcta laborantes inter diſcrimina turmas
Erigat, Huſſartûm valida ſubeunte caterva.
Aſt omnes quamvis caſtrorum agitata per oras
Turba fugit, vallumque extra dat terga Polono;
Ferreus egregio Janiſſarus agmine reſtat.
Nil turbata phalanx, non ullâ ex parte ſolutis
Ordinibus collecta, jugo conſedit; & alta
Huſſeini octonis aciem prætoria circum
Millibus inſtruxit; Magnique oblata recuſat
Munera Ductoris, placidaſque admittere leges.
Hic labor, hic nodus, pugnæque aſperrima moles.
Chocimo propior, montanoque edita dorſo,
Caſtrorum regio domitis ſupereminet arvis.

Acre ſatellitium Sultani, interrita leto
Stat numeroſa cohors; projectam ultura ſalutem,
Armorum ſeſe vallo ſtipata coronat.
Ignivomo rigidi ære tubi, præfixaque acuto
Silva ſariſſarum protenditur undique ferro.
  Fortes relliquias, & inexuperabile ſeptum
Militis Ottomani, cur vitæ prodigus ultro
Ac fortis nimiùm tentet, rerumque periclo
Fatali victor ſpiſſis ſe immiſceat armis?
Horrentem, & denſo conſertum robore vallum
Disjicere admotis placuit, quæ Turcica præda,
Tormentis, ſolidas aptis divellere turres.
  Ergo aciem contra Odryſiam Vulcania moles
Ducitur ingenti ſerie; vaſtoque boatu
Sulfureos nimbos & fulmina Martis ahena
Torquet in objectum truculenti militis agmen.
It ferrata ſeges, flammâque animata phalangem
Dilacerat; longeque actis lateque recluſam
Limitibus ſecat. Hac orbes rapido ære volutos,
Hac rutilas ſpargi diro ſtridore catenas
Cernere erat; contrita ſimul, ſimul uſta virorum
Brachiaque & capita, huc illuc jactata per auras;
Sanguineoque afflicta ſolo ſquallentia plagis
Corpora, & ipſa ſuis transfixa indutaque telis.
  Quà labes impreſſa, ruunt in aperta parati
Septa equites. iiſdem ſævos modò lenius ignes
Intonuiſſe putes caſtris, & ahenea Martis
Fulmina, dum totas agitant populantque cohortes.
Sic alacer turmas rapit impetus, agmine rupto
Supremam ardentes cladem accumulare Polonos!
Jam partam laudem, victriciaque arma morari
Auſam aciem delere avidi cæduntque metuntque.
Certatim gladios, haſtas, ſclopeta, ſecures
Ingeminant. Medios ſe nobilis ira per hoſtes
Explicat, extremo gemebundâ in morte furori

Osmanidûm insultans; protritaque quadrupedantum
Calcibus, & rabido laniantur corpora morsu.
Aëre trunca volant, sternuntque informia clivum
Membra: natat tellus, & cælum sanguine rorat.
Lechiadûm sic Marte phalanx Janissara late
Procubuit. totis sic Bistones undique castris
Ejecti ruere ad fluvium, pontisque propinqui
Effugia, & fœdam pedibus mandare salutem.
Ipse Husseinus atrox, luctuque oppressus amaro
Dum fugit, & tristes Sultani præcipit iras,
Incertus, Dominum gravius formidet, an hostem;
Radziviliaci percussus acinacis ictu
Pænè cadit: multo perfusum sanguine morti
Vix caput eripiens, trajecto elabitur amne.
Non ita, quos comites fugienti terror agebat.
Littavicus partem immissis equitatus habenis
Sternit humi: partim, victorum urgentibus armis
Ponte super, tumidi subjecta in flumina Tyræ
Præcipitant; senisque extincti millibus, undas
Corporibusque armisque arctant, auctasque cruentant.
Alter & undantes habet amnis sanguine terras;
Terras, quas cæsi, bisseptem millia, Thraces
Contexere; vaga segetes ut falce per agros
Dejectæ, aut silvis excussæ turbine frondes.
Innumeræ passim campos per & horrida castra
Apparent leti facies. divisa bipenni
Hic capita; & cerebro & tabo miscetur arena:
Illic semicremata jacent, discerptaque plagis
Corpora, dimidiique homines, dubiæque figuræ
Truncorum; & fœde mutilos mors crebra per artus.
Hastarum infracto confossi pectora ligno,
Hussartæ legionis opus pars vulnere monstrant.
Mactati cum plebe Duces, Bassæque cruenta
Arva premunt: Solimannus humum, Seydusque momordit.

Torvus adhuc vultu ſpirat furor ; armaque ſervat
Pugnæ dextra memor , victorique ira minatur.
Victor at ipſe ſuo , poſtquam jam cæde peracta
Reſpirare datum eſt , facto defixus , & acri
Proruta metitur Thracum munimina viſu ,
Conciſaſque acies , fumantes ſtragis acervos ;
Et tantum potuiſſe feros miratur in hoſtes.
Nec minus & prædâ gaudet , quæ maxima caſtris
Parta ſubit : ferroque aurum non molliter emptum ;
Splendida Turcarum Procerumque Ducumq; ſupellex,
Militiæ admiſtus luxus , pretioſaque veſtis ;
Armorum genus omne , viris gratiſſima præda,
Verſandum meliore manu. generoſaque equorum
Corpora ducuntur , ſtratis fulgentia pictis ,
Threïciique Afrique greges , Aſiæque cameli.
Tum , queis immenſa ſatiatus cæde pepercit
Sarmata ; Romanis ſpectacula digna triumphis,
Ductores in vincla dati , diſcinctaque turba.
Chocimi paucas fuga condidit arce cohortes.
Mox ipſas , arcemque petens Victoria , vertit
In Dominos tormenta ſuos , quæ plurima caſtris
Ceperat. Obſidio pugnæ cumulavit honorem.
Debita , Magne , tibi ſpoliis redduntur opimis
Præmia , Dux. phaleris ſonipes gemmiſque ſuperbus
Huſſeini , prona domitum cervice fatetur :
Victrices felix Domini potioris habenas
Induit , ad palmas mutata ſorte vocatus.
Lunatumque Crucem ſignum Prætoris adorat ,
Candiæ ab obſidio clarum , Venetûmque trophæo,
Et Vaticani ſacrandum fornice templi.
At tu laurigeras , Turcæ conopeo ab ipſo
Ductoris , propera chartas emittere victor ;
Lætitiamque , tui fructum diffunde laboris.
Sarmatico late regno , ſociiſque , Patrique
Chriſtiadûm ante omnes , ingentia prælia narras ,

Primarium exercitus Turcici vexillum , in Candiæ obſidione ſpectatum, hoc prælio captum, & Romam ad Pontificem miſſum à Sobieskio victore.

Divinam testatus opem; sacrisque litatis,
Castrensi medius Procerum gratante Senatu
Palmarem signare diem per secula gaudes,
Annua rite pii statuens documenta triumphi.
Sic Patriæ fœdatus honos, violataque Turcis
Relligio, ultores majestas utraque sacro
Repperit illustres bello. Sic KOSTKA Polonos
Protegit, atque novo tutelam pignore sancit.
Inde novus grato generosa in pectora sensu
Ardor, & integri veniet sanctissima cultus
Ambitio, ætherios dudum quæ prensat honores
Ausonio explendos ritu, supremaque dona.
Sic demum votis damnata Polonia, Kostkam
Splendidius venerata suum, festaque per urbes
Ibit ovans pompâ, dulcique operata Patrono.
Consurgent memores aræ: servata Patronum
Agnoscent, claroque augusti munere picta
Indigetis referent sollennes templa triumphos,
Ac tanti vivent monumenta æterna favoris.
O mens ætherii celebrandaque cura Parentis,
Sarmatico invigilans regno, durisque secundos
Casibus intexens! ô sospita dextra, caducis
Maturam submittere opem fidissima rebus!
Dum cælo emeritum sub tanta pericula Regem
Occupat, ingentem spoliatis Rege triumphum
Dat terris Genitor. Supera consedit in aula
VISNIOVIZKIADES, nequicquam ad sacra profectus
Bella, gravesque via passus castrisque labores.
Præmia jam regni excepit melioris; & amplis,
Queis Lauretanæ moriens donaria cellæ
Auxerat, astriferum gemmis diadema repensum.
Fatalem unde tulit labefacto corpore morbum,
Robora suggessit castris, palmasque ministrat;
Et consanguinei captat præsentia Kostkæ
Auxilia; & Divæ placido regnantis Olympo,

Fulmina quæ Nati armipotens in prælia torquet.
Queis vitam impendit cœptis, finemque decusque
Addere lætus ovat victor certaminis exors.
Nec, qui Sarmaticæ CASIMIRUS blanda coronæ
Pondera, tot clarus factis, tot casibus heros,
Abjecit miro exuperans pietatis amore,
Et Francæ hospitio sedis supera alta petivit;
Tanta fatiscentis curam inter prælia regni
Abdicat, & patriæ sanctum desertor amorem.
Abstulit hunc secum, invita dum cederet aula
More novo contemptor opum, contemptor honorum,
Æternumque memor fido Rex æthere servat.
Ille Borysthenidûm motus, turbamque revicit
Immensam KOSTKÆ auspiciis; munusque Patroni
Grande sonans, cui se supplex discrimine summo
Obtulerat jam castra petens, mox vindicis alti
Nobile votivo simulacrum vestiit auro
Sospes, & edomito rediens jam major ab hoste.
Tandem inconcusso solio super astra serenus
Sternere amat sævos felici lumine fluctus,
Et prece victrici Superos armare faventes
Gentem in Threïciam SOBIESKÎ ingentibus ausis.
At Frater, qui sceptra prior Lechæa trophæis Vladislaus IV.
Extulit, Osmanni victor nunc denique vinci
Annuit, ardentis signa inter vectus Olympi
Notam ad Chocimi sedem; spectatque juvatque
Lechiadûm pugnam, fortunatumque laborem.
Barbaricos quippe assultus infregerat olim
Aggere castrorum Princeps, ubi noctis amicæ
Hostica per tenebras meditantem invadere castra
Luce Jagelloniden monitus præverterat hostis.
Tu vallo septum atque operosis molibus agmen
Sole palam exuperas, SOBIESKI; & splendidus ultor
Christiadûm caneris, communi pectus ahenum
Hosti objectasse, ac rapidum frænasse furorem

Terrificaſque minas ; & famam æquabis Olympo.
Nunc etiam lætis pugnæ ſucceſſibus inſtas,
Quà licet : & pulſum regni Vexillifer urget
Caplanum , Dux Magne , tuo procurrere juſſu
Acer in Ottomanos. trans Iſtrum cedere adegit ;
Et tractus purgat Valachos , tutiſque volentes
Inſidet hibernis ; vaſta dum ſtrage per agros,
Per montes , trepidis fugientum erroribus actas
Relliquias ipſi fervent abolere coloni.
Diſpoſita circum interea ſtatione fatigas
Mirum audacis opus ſtructuræ , Artiſque rigentem
Naturam armantis. quæ vix faſtigia pennis
Affectent aquilæ , nidis ſaxa alta legentes,
Caſtra ſupercilio rupis Camenenſia pendent,
Terriſque imperitant late , cœloque minantur.
Intus acerba furens arcem labefecit egeſtas,
Extruditque fames Huſſeinum , equitumque catervas.
Sic , ô, ſic ſtratis victor ſpolia ultima Turcis
Detrahe. Bellipotens felicis gaudia pugnæ
Præſtet inoffenſo late creſcentia curſu.
Danubium , Euxinum , ſacroque Propontida bello
Sarmata proſubigat , pacatoque imperet Hebro.
Diva , triumphorum mater , tuque optime ſemper
KOSTKA fave : celebrique affuſâ Polonia cultu
Quot vocat Indigetes , juſtis addicite votis
Optatum decus , & veſtro quæ nomine ſurgant
Æterniſque operum titulis ſignata trophæa.
At rerum caput & ſummam, præque omnibus unum
Largiri eximium donis properate benigni
Cœlicolæ , Regem , veſtro quem munere dignum
Unanimi agnoſcat gratata Polonia plauſu.
Impavidum belli Regem , ſed pacis amantem;
Juſtitiæ quem annexa Fides , quem ſtrenua Virtus,
Candida quem Pietas ; arteſque imbuta regendi
Ornet , & imperii vario Solertia motu

Nil titubans, fortique eadem placidâque ſalubris
Quæ rerum ingentes dextrâ moderetur habenas.
Dotibus inſignem tantis Heroa, Poloniſque
Uſu animoque graves aptum ſarcire ruinas,
Annuite, ô Superi. Nil Ambitus, aut vaga poſſit
Gratia, nil pretium; meriti vis unica regnet.
Concilia in regni, magnæ ad ſuffragia ſortis
Devolet, ancipitemque regat Concordia campum,
Nobilis & ſenſus acuat Prudentia turbæ:
Conſiliique auctor, divinâ Spiritus aurâ
Mentibus inſinuans, dociles ad publica flectat
Commoda; civiles & numine comprimat undas.
Quam mundus prenſat, Superi, deferre coronam:
Ac regem, arbitriis nunquam fallentibus ipſi
Deligite, aggeſtiſque illuſtrem fingite donis.
Magnificum humanis opibus, nec inane tumentem,
Augeat ætheriis divinæ copia gazæ.

Tartaricas hic ille acies, Turcaſque, recenti
Clade ſuper, damno inſolito probroque furentes;
Europæ atque Aſiæ contractis viribus, arma
Sævius attritæ jam jamque inferre paratos
Sarmatiæ, excipiens ſolido Rex pectore frangat:
Quò nova Chriſtiadûm reſonet victoria templis;
Primitiaſque dicans lætique exordia regni,
Principis auguſtum tollat ſuper æthera nomen.

HÆC ego; dum varios Muſarum educere fetus,
Præſulis auſpicio FERNANDI & numine vates
Accelero, æterni memoranda exempla favoris;
Sarmatico hæc bello ſuper, atque urgente periclo
Chriſticolûm, Ducis & Magni victricibus armis,
Cantabam, raptim, lauroque innexa recenti
Signa movens; ubi me Padebornæ afflavit Apollo,
Quo ſine nil amplum, & ſacro mens concipit
œſtro.

Namque mihi auſpicio præſens, & Apollinis inſtar
Unus adeſt, facileſque indulget cantibus aures
Uſque meis Princeps: latebris altoque receſſu
Merſum acuens, dulces in luminis evocat auras.
Quin & muneribus totam, quàm didita longe,
Pieriam gentem & claro dignatur amore:
Regia præſertim quà ſe Lutetia cælo
Extulit, ante alias Phœbi clariſſima ſedes.

Aureum numiſma Celſ. Princ. Ferdinandi Epiſc. Paderb. Coad. Monaſt.

Aurea FERNANDI paſſim collucet imago,
Quam citharæque tubæque, & ovantes carmine cycni
Aſtra inter celebrant ſurgentem; & amabile ſignum
Suſpiciens, cantuque ſimul plauſuque ſecutus
Incola Parnaſſi, & Pindi chorus omnis adorat;
Gentileſque notas, inſigniaque alta biformis
Imperij, & mentis radios à fronte micantes.
FURSTENBERGIACI ſpectator ſideris ignem
Concipit, & ſancto geſtit ſuſpenſus ab ore,
Grandibus inſcriptos titulis veneratus honores.
Numinis hinc ſpirans auguſta relucet imago.
Te duce ſurgentis, PRINCEPS, & ſegrege famam
Tentare audentis verſu, proſcenia libri
Aſpice, quo blandus ritu, quâ fronte ſerenus
Exigui toties munuſcula grata clientis
Spectaſti, Muſiſque jubens tua dona ſecundis

In Principis Ferdinandi Poëmatis multiplex ad ſacrũ bellum adhortatio legitur. Idem adverſus Barbaros & pecunia Cretam, & ſuppetiis militaribus Hungariam impenſe juvit.

Teutonicas paſſim & Latias volitare per oras.
Te præeunte modos & ſacri claſſica Martis,
Succinui, longe tenui veſtigia greſſu
Devenerata ſequens, & non imitabile plectrum.
At tibi non Muſâ Ottomanos agitavit inermi
Vox pariter ſuaviſque lyras, fortiſque tubarum
Terribiles meditata ſonos; auditaque toto,
Quà patet, orbe pios urgens ad prælia Reges.
Cretæas etiam donis porrectus ad oras;
Pannonico emeritus bello; Scythica arma, tuorum
Fregiſti manibus victor, dum myſtica tela

Ipſe moves, ſupplexque tuas operaris ad aras;
Cæſaris auxilio florentem ſplendidus alam
Tranſmiſiſſe equitum;ferroque auroque juvabas.
Ah facti maneat turbatis gratia rebus !
  Veſtphalicis dum ſævit agris Mavortia labes,
Heu nimium placidæ nimiumque adverſa Camœnæ;
Neuhuſia ſublimis agens tamen arce refulges
Horrificos inter nimbos, bellique procellas
Pacato exuperans animo, nec parcus avarum
Agminis infeſti pretio mulcere furorem.
Triſtibus hibernis vexatæ, armiſque ſuorum
Sic plebi tenerum impendis miſeratus amorem,
Paſtoremque gregi præſtas, patriæque parentem.
Sed pia confoſſus licet acri corda dolore
Vulnera perſentis populi, fœdaſque ruinas;
Haud dejecta ſuo mens robore perſtat : & Arctos
Pervigil ut vaſto bacchantes deſpicit undas
Oceano, fidaque vagas immota carinas
Luce regit; ſic illa feros ſuper ardua caſus
Eminet, invictaque potens virtute, frementum
Cœlo affixa videt terrarum inſurgere motus.
  Nec minus & ſummo Parnaſſi vertice regnat
Princeps; ac lucem ingeniis dum præbet amicam,
Cordibus ardorem vivo ſimul addidit igni.
Nil mihi Phœbeus, jactat quem fabula, fervor :
Solus agit placito FERNANDI ſpiritus æſtu.
Ille operis curſumque ciet, mollitque laborem :
Spem donis prævertit; & altæ ſemina mentis
Dividit, inclinatque apices, ac læta clienti
Dulcibus auſpiciis Superûm commercia præſtat.

IN OPERA POETICA CELSISSIMI PRINCIPIS FERDINANDI FURSTENBERGII, PADERBORNENSIS EPISCOPI, COADJUTORIS MONASTERIENSIS, PANEGYRICON.

INDECORES animas, turbamque exose profanam
Quam procùl Aoniis summotam finibus arces,
Tu quoque Musarum fanis absiste Sacerdos,
Flacce procax; tuque ô, Flacco cum Vate, Properti,
Et qui virginibus male-gratus cunque Camœnis
Sacra tulit. melior castas operatur ad aras
Fatidicæ Antistes gentis, quem [1] suavis ab alto
Spiritus, & certi vis plurima Numinis afflat.
Amisii ripas virides & glauca salicta
Testor, ubi exanimem lugebas Tityre [2] Daphnin,
Insignem meritis, insignem Prole Parentem.

[1] Lemma Principis, *Suaviter ac fortiter.*
[2] Primum Poëma inscribitur *Daphnis, sive Fredericus Furstenbergius, Parens.*

Vestphaliam,

Vestphaliam, Angariam, Nymphasque ad justa ciendo,
Sollennem ipse præis planctum; laurumque cupressumque,
Atque apium, atque hederam cumulas, suprema sepulcro
Dona ferens, cælasque æternum in marmore carmen.
Felix ille pio facundi munere Nati,
Quem Paderæ campos & pinguia regna tenentem,
Ipsa etiam, pecorumque ferax domitrixque luporum,
Adscivit Mimigarda ducem; quem summus & ultro
Fovit ALEXANDER claro complexus amore,
Pastorumque idem Princeps, Vatumque Magister.
Scilicet intactæ vitiis, doctæque beatas
Mentis opes miratus, adhuc florente juventâ
FERNANDI, sensusque graves maturaque corda,
Ætheriæ afflatus auræ, & commercia Divûm.
Nec tamen impenso supremus honore Clientem
Chisius evicit, Regum Pater, Arbiter Orbis.
Splendida judicia & generosi præmia cultûs
Mutua Pontifici referens; quos cepit, amoris
Pignora magnifici, titulos decorabat honorum,
Exsuperans meritis, lucemque in dona refudit
FURSTENBERGIADES. age, quo divina rependat
Carmina Regalis pretio Favor, aut quis Eoâ
Hesperiaque micans gaza compostus acervus?
Carmina, quæ Tuscos inter spectabilis amnes,
Umbro [3], populeâ vernantem fronde coronam
Cœruleo indutus capiti, meditatur, ubi omnem
Puniceo ripam vidit florescere cultu,
Ac teneris hiemem Zephyri intepuisse flabellis.
Felices ortus, ingentia fata renarrat
Chisiadæ pueri, & cunas præsagus adorat.

[3] Umbro, nobilis Hetruriæ fluvius, inducitur à Ferdinando, Fabii Cardinalis Chisii natalem Hendecasyllabo suavissimo celebrans.

Haud tales dedit ante modos,[4] cùm Statius ipsam
Calliopen Vati nutricem admovit Ibero,
Ausus Smyrnæo Bætin præferre Meleti.
Quid, cùm tergeminæ redimitum luce tiaræ,
Purpureos inter Proceres, sacrumque Senatum,
Et Vaticanæ sublimem in culmine Sedis
Dicit Alexandrum Fernandus, & aurea secla?
O Veleda[5],ô virgo,sortes adjungere docta
Imperiis ! summas insederat ardua turres :
Hinc responsa dabat, dum totæ limina circum
Bructericæ pendent poscuntque oracula gentes.
Altiùs illa sonans nunc magni voce [6] Nepotis,
Paciferùm invitat Fabium, gratansque salutat
Concilium Europes Mimingrodense petentem :
Jamque suis Regina monet proludere fatis,
Arbitriis geminos recturum ingentibus axes;
Principibus dare jura, & fessis otia regnis.
Evenêre. suo plausit Germania Vati,
Plausit Roma suo. Studiis concordibus acti
In laudes, Fernande, tuas Rhenusque Anioque:
Lætior & flavô Tiberis sese extulit alveô
Hospitis adventum in tanti : septena Quiritum
Emicuere juga, & colles sprevere Pelasgos.
Te simul ingenio regnantem [7] Academia vidit,
Gestiit obstupuitque : & Romuleæ Aganippes
Sub tua jura fluens jam largiùs Humor amœnis
Fontibus intumuit, gemmisque auroque refulsit.
Tum vicina polo [8] Seni fastigia Montes
Inclinant; sanctisque adstat quæ Montibus ingens,

[4] In Genethliaco Lucani.

[5] De hac Virgine fatidica, & latè Bructeris imperante, Tacitus l. 4. histor.

[6] *Tunc aliquis vates, Procerum de stirpe meorum, &c.* in Carmine ad Alex. VII. Pontif. renunciatum.

[7] Ferdinandus Romanæ *Humoristarum* Academiæ præfuit.

[8] Alluditur ad insignia gentilitia Alexandri VII.

Et Latio non vana ſonans oracula [9] Quercus
Protegit & patulâ cantantem amplectitur umbrâ;
Sponte etiam nitidas capiti demittere frondes
Viſa tuo, & ramis placitam circumdare frontem.
Chiſiacæ arriſit Stellæ pulcherrimus ignis,
Et citharæ aſperſit radios, Vatique coronam
Addidit allabens Phœbeæ lucis imago.
Urbem, [10] Orbis caput inſiſtens, veteriſque novæque
Mirator, quam Germanas tranſmittis in oras
Effigiem, ac tanti ſpecioſam nominis umbram!
Funereo ſpectas redivivam è pulvere [11] Trojam;
Utque cinis terras ſupra ſe Dardanus omnes
Suſtulerit, ſeptemgeminas extructus in arces,
Fervidus, ac denſo populorum ſanguine miſtus.
Mox eadem recidiva, in ſe conſidere viſa,
Externis pariter facibus furiiſque ſuorum
(Heu cinis!heu toties vaſtum & lacrymabile buſtum!)
Occubuit nova Troja, ſuiſque alterna favillis
Roma reſurrexit, ſibi jam fatiſque ſuperſtes.
Quin & ſplendidior crebris majorque ruinis,
Explicat immenſum imperium: Claveſque tetendit
Relligio, ſua ſceptra, ſacrique inſignia regni,
Laurigeros quò non vis olim Martia faſces
Intulerat, dominaſque, immania jura, ſecures.
Cæſareos apices ſupra, ſellaſque curules,
Sanctior æternâ Majeſtas Sede triumphat.
Hîc Lateranæ arces, Vaticanumque tribunal;
Hîc Cephæ ſolium, hîc cæli terræque poteſtas.
Chriſtiadûm auguſto ritu ſacriſque piata
Roma Crucem, ligno domita atque imbellibus armis,

[9] *Habita Graiis oracula quercus.* Georg. II.
[10] De admirandis priſcæ ac novæ Romæ operibus inſignis Elegia Ferdinandi.
[11] *Dicam, Troja cades & Troïca Roma reſurges.* Propert. l. 4 el. 1.

Regis adoravit ſuperi venerabile ſignum;
Signum, quo Stygii vires cecidere Tyranni,
Pactaque Flaviadæ Magno Victoria fulſit.
Jam chaos antiquum, Errorum nox atra refugit;
Omnigenûmque Deûm collectis undique monſtris
Cæca Superſtitio Fidei conceſſit, Agrippæ
Pantheo abacta fremens, & queis regnaverat aris.
Inſanos operum ſumptus, moleſque profanas
Aſſerit, & verâ ſub relligione Tonantis
Magna tenet Mater, rutilis [12] quam denſa coronis
Agmina Cælituum & dio comitantur honore.
Atque hæc Martyrii aggeſtis loca clara trophæis,
Sanctorum egregio Pugilum rubefacta cruore.
At [13] nivibus, dum candet atrox fervoribus æſtas,
Exquilio latè clivo deſcripta renidet
Area virginei, MARIÆ digniſſima, templi.
Sic tibi, ſic purô ſplendeſcit carmine mirus
Ille nitor ; vitæque ac morum concolor ædi
Reſponſat niveæ ſpecies. quâ tu æde, ſacrorum
Primitias libans, Fernande; adytiſque repoſta
Maternis Bethlea Dei cunabula, partu
Rite novo & junctæ ſimulacro cædis, ad aras
Dilectas celebrans, æterni Principis ipſâ
Natali ſub nocte; oblato Numine Numen,
Ætherium cæſa coluiſti Prole Parentem.
Tanta novæ memoras, Præſul, miracula Romæ,
Diviniſque refers numeris cæleſtia facta.
Quidquid & humanis Ars extudit improba curis,
Naturam dum verſat agens, mundique ferocem
Romam ornat ſpoliis, & Olympo æquare laborat;

[12] Pantheon ab Agrippa conditum, ceſſit in cultum *S. Mariæ ad Martyres.*

[13] D. Virginis ædes in Exquiliis , æſtivæ nivis miraculo deſignata. Ibi ſacrum Domini Præſepe ſervatur ; eaque primùm in æde Ferdinandus litavit inter ipſa Christi Natalitia,

Ludibria annorum, atque opulenti rudera faſtûs;
Roſtra, Theatra, Arcus, Circos, Thermáſque Columnáſque
Æterno inſtauras cantu, reparaſque potentis
Viribus ingenii, famâque ad ſidera tollis.
Pamphiliam inprimis Obeliſci Romula molem
Ad fora defixam, ſaxumque immane revolvis,
Magnificum Ægypti ſpecimen, quo myſtica toto
Signa, feræ variis volucréſque ambagibus errant.
Nec minùs & librum [14] doctrinæ immanis & artis,
Priſca reſignantem latebroſi arcana Canopi;
Oedipodæ ſolertis opus, mentiſque profundæ;
Cæſaris auſpiciis eductum opibuſque ſub auras
Grataris, penituſque acri jam luce retecta
Symbola, & in cæco deprenſam Sphinga receſſu.
En tibi ſe, vanâ Memphis quam condidit umbrâ,
Explicat abductô, quanta eſt Sapientia, velô;
Totaque inexpleto ſub pectore clauſa Vetuſtas,
Mille tumet cumulata novis, Fernande, bonorum
Partibus; ac ſtudiis immenſum colligis orbem.
Nunc lacrymas fundis, myrrhæ queis ſuavis amaror
Cedat, & Auroræ concreti lumine rores;
Caſtalii increſcant fontes. ſata [15] lilia fletu,
Humenteſque roſas, violas calthaſque pheretro
Spargis dulce gemens, æternoſque addis honores.
Sic & Alexandri occaſus, tua funera (quanquam
Publica Romulidûm, ac mundi communia fata)
Proſequeris grato mœſta inter carmina ſenſu.
Sic & delitias patriæ, floremque jubarque
Luſiadûm, ah, primæ ſpectatâ in luce juventæ
Flebas [16] Theudoſium extinctum. ſpes illa decuſque
Occidit, exemplumque Aulæ, cenſuraque Regum.

[14] Athanaſii Kircheri *Oedipum Hieroglyphicum.*
[15] *Alba lilia... ſeruntur... & lacrymâ ſuâ.* Plin. l. 21. c. 5.
[16] Ode perelegans de Morte Theodoſii Luſitaniæ Principis.

Aſt idem Heſperiâ poſtquam Sol abditus undâ eſt,
Purpureos Oriens formoſior explicat ignes.
Talis & ille Tago Princeps veneratus & Indo,
Emicat in ſuperas arces, æthrâque renatus
Deſpectat fragili turrita palatia faſtu;
Regna tenens, non ſepta loci, non finibus ævi,
Jam Divûm æterni conſors hereſque Parentis.
Privatas [17] etiam dignaris grandibus umbras
Inferiis, tumuloſque abſens attollis inanes :
Ac ſimul exequias regnato Helicone frequentes
Indicis; ſimul atrati, tua turba, Poëtæ
Concurrunt, doniſque oneratas triſtibus urnas
Pierio luſtrant latice & vocalibus undis.
Vindice te, docti fugiunt oblivia Manes;
Elyſiis volitant campis, atque aſtra capeſſunt.
Nunc joca, [18] ſed tenero nil averſanda Pudori,
Ingenuoſque ſales riſu miſcere decoro :
Quondam etiam partem invergens mordacis aceti;
Tunc quoque non inſuavis; amici [19] Vatis & ultor,
Ignarum, audacem gaudes illudere Momum.
Jam fidos monitus & Principe digna ſonantem
Audimus; ſeu Chriſticolas civilibus armis
Parcere, in Odryſium convertere bella Tyrannum,
Barbaricamque urges Solymâ detrudere Lunam:
Seu Clariæ fetus Artis, placidæque Minervæ,
Muſæo elicere, ac doctos vulgare labores
Emerito per blanda inſtas convitia [20] Vati.
Nam quid Apollineas celarunt ſcrinia gazas
(Invidiæ genus !) & gremiô remorantur avarô
Maturos famæ dudum, tenebraſque peroſos,
Et cedrô & laurô dignos Parnaſſide verſus?

[17] Natalem Rondininum, Dionyſium Petavium, &c.
[18] Arguta Epigrammata.
[19] Auguſtini Favoriti.
[20] Alexandro Pollino.

Nec modò, cui Superos vivo affectare poteſtas,
Addis Pollino ſtimulos, dum publica vota
Increpitant cunctantem,& iniquâ nocte ſepultum:
Officiis ultra cineres progreſſus amicis,
Holſtenium ad lucem revocas, vitamque perennem;
Debita munifico quæ poſthuma vita Patrono.
Hic decuit ſumptus Proceres : hinc ſemina laudum
Fœnore multiplici, pariterque Autoribus amplô
Auſpicibuſque operum proventu edenda ſub auras.
Serviat ingeniis, & largô nobilis uſu,
Quem parit excuſis ſplendorem Opulentia libris,
Contrahat, & nullâ metuat rubigine carpi.
Heu ſolidæ ignari laudis, quos garrula vano
Plebs [21] Rumore capit; queis auro vitrea ematur
Gratia, & in tenuem dilabens Gloria fumum.
Quid turbarum æſtus, quid inanis ſibilus auræ
Corda movet?miſeri ante diem formidine pallent,
Aut temere concepta levi ſpe gaudia ventos
Ferre vident,quos Credulitas improvida verſat,
Dum populi arbitrio vaga quid fortuna minatur,
Dulcibus aut animos promiſſis lactat hiantes.
Atqui ceu pelago fluctus, aut aëre nubes,
Blanditiæque Ireque incertum agitantur in orbem,
Et fuco perfuſus Amor, Livorque veneno
Turgidus,atque atros larvata Calumnia vultus.
Tu brutos ſtrepitus, varioque incondita motu
Falſique ac nimiùm fallacis murmura vulgi,
Opprobria & fictę pariter pręconia vocis,
Spernere ceu ludicra doces crepitacula puppi.
Ne vulgo explodenda tamen ſe fabula Vates
Prębeat, inſanum ſpirans, [22] ſuaque ipſe ſuperbus
Jactet; ut amplexu informes quę ſimia partus

[21] Ferdinandi Lyricum de fide popularibus rumoribus non habenda.

[22] De Philautia fugienda.

Enecat usque fovens, passimque ostentat, & altè
Pignora miratur fœdę haud indigna parentis.
Neu, cęcô infelix veluti Narcissus amore
Obstupuit, sibi frustra inhians, sibi pulcher, & ignem
Concipiens haustâ specularis imagine lymphę.
Qualem se vecors, Musisque invisus agebat,
Mendacique operum formæ arridebat & umbræ
Suffenus, procus ipse sui; pavonis & instar
Circumspectantis sese, caudamque rotantis,
Stellatas oculis & pictas Iride pennas.
Hęc prudens consulta dabas; similemque furori
Errorem haud patiens Scriptorum inolescere menti,
Morum expurgabas studiorumque, Optime, pestem.
Judex ipse adeo, rigidusque in singula censor
Primùm esto sibi quisque, incorruptamque subito
Dein Criticen, taciti cautus metuisse Favoris
Insidias : doctique notâ perstrictus amici
Gaudeat; ac proprii illecebras & Amoris ineptam
Mollitiem excutiens, verum condiscat Amorem.

PANEGYRICI PARS ALTERA.

TE verò ante alios, exactum pumice carmen
Si quis amat, spectare juvet, Princepsque Paterque
Aonii venerande Chori ! Te secla Magistrô,
Forte quid & pulchrum, quid suave, quid vtile discant.
Vestphalico depacta solo [23] monumenta, per urbes,
Per loca vasta ferisque eductas montibus arces,
Fluviorum ad capita, & fusos longo agmine fontes.
Marmore nec muto, aut rudibus signata locorum
Indiciis monumenta; sed aureâ voce canora
Stant, ingens queis se Padebornę Gloria cęlo
Extulit, atque oras terrarum provocat omnes.

[23] Monumenta Paderbornensia, magnificis marmorum inscriptionibus, aureis versibus exquisitissimisque notis à Poëta Principe insignita.

Victuris eadem libris geminata, per orbem
Laude volant meritâ plausuque accepta secundo.
Hîc Magni ante omnes Caroli decora ardua fulgent;
Cæsaris imperium Occiduas qui primus in oras
Rettulit, & Grajis indebita sceptra Tyrannis.
Fregit, quos vario exundans immiserat æstu
Hinc Asia, hinc Libye, Maurosque Arabasque profanos.
Europę aut domitor Princeps, aut vindice dextra
Servator, longe populos lateque feroces
Perculit, & Septem sub Francica jura Triones
Misit agens; durumque armis, totiesque rebellem
Saxona divino instituit mansuescere cultu.
Nimirum hoc illo fuerat victore domari;
Hoc juga magnanimi legemque capessere Regis.
Felix clade sua tellus, penitusque solutæ
Servitium antiquo melius cervicis honore!
Tartareo subtracta jugo, purgatáque fœdis
Barbarię sacris, Carolo sic Principe genti
Addita libertas, Christi cùm subdita regno.
Nec tu felicis tantùm fastigia belli,
Maxime prosequeris Vatum, camposque cruentos;
Palmarum segetes, spoliisque induta [24] Trophęa,
Pyramidum potiora situ, super ęthera tollis.
Conciliis etiam celebres, templisque vetustis
Pervolitans oras, pariter fortique pioque
Franciadûm imperio, & gestis insignia rebus,
Cuncta recognoscis patrię monumenta sagaci
Ingenio, & longi renovas haud immemor ęvi.
Altius & priscos repetis, Fernande, labores,
Romulidûmque graves casus, & castra Neronum,
Totque operum moles, objectaque claustra Sicambris,
Terribiles [25] saltus, cęsi loca sanguine Vari
Inclyta, & Augusto defletæ conscia cladis:

[24] Trophæa Caroli M. in campo *Sintfeld*.
[25] Saltus Teutoburgiensis.

Arminio ut gratata duci Germania rifit
Captivas Aquilas Latii fpolia ampla Tonantis.
Omnia colluftras : & quam Germanicus Aram
Manibus erexit patriis, informia poftquam
Offibus, horroremque adiit fpirantia luftra:
Mactatis & quas veniens legionibus ultor
Detulit inferias; feralifque aggere bufti
Relliquias, lateque errantes condidit umbras.
Nunc, quę fanguineis fquallebant atra fluentis,
Lęta refers lymphis paffim felicibus arva;
Quas neque Romanis cantatę Vatibus undæ,
Vitrea Blandufia & Venufinis florida fertis,
Martiáque [26] Aufonias inter pręclara Napęas
Æquiparent, Aponive [27] ægris aqua fofpita membris;
Non Rivi [28] Herculei metuens connubia Virgo,
Non Arethufa fugax cęco per operta meatu.
Talia & Alphei duplicans miracula, grato
Cum ftrepitu ruit, ac Refonus [29] Fons nomine gaudet,
Per cava faxa folo fubiens altifque latebris;
Unde iterum emergens, & apertis redditus agris,
Explicat undofum Nymphis plaudentibus agmen.
Ille etiam Procerum excubias, convivia, ludos
Allexit, dum infueta frequens fpectacula cœtus
Captat, & affimilem pelagi revolubilis æftum.
Driburgi [30] latices, Smechtę liquentia faxa,
Cryftallum ambrofiâ mifcent, dulcedine frigus;
Plurimaque inde Salus panaceâ manat inemptâ.
Nec minùs & fuaves [31] opifer tibi prębuit hauftus,

[26] *Clariffima aquarum omnium .... praconio urbis, Martia eft.* Plinius l. 31. c. 3.

[27] Fons Aponus à Claudiano cantatus.

[28] *Iuxta eft Herculaneus rivus, quem refugiens Virginis nomen obtinuit.* Plin. ibidem.

[29] Vulgo *Bullerborn*, fons æftuofus, &c.

[30] Driburgum & Smechta, falutaribus aquis celebres vici.

[31] Princeps Ferd. aquâ Paduli fontis in febris ardoribus recreatum fe pofito monumento teftatus.

Proluit & flagrante levans labra arida febri,
Clarior argento Padulus. doni ipſe viciſſim
Haud uno memorem conſignas munere ſenſum.
Luppia & Amiſius, Sennâ [32] prognatus uterque;
Et cujus gremio ſurgit pulcherrimus, urbi
Natali Padera inducens memorabile nomen;
Quiſque ſuę cultus gratantur originis auctos
Marmore, & inſigni per ſaxa loquentia verſu:
Ripaque [33] velivoli per te decorata Viſurgis.
Quot, Fernande, tuis interlabentia regnis
Flumina diversô volvuntur in ęquora curſu,
Oceano laudeſque tuas tituloſque recenſent.
Queis & Pegaſei donas conſortia fontis,
Certatim exiluere tua jam laude ſuperbi
Ornatuque novo; atque infuſo à ſole micantes
Mille coloratam ducunt Thaumantida formis,
Jamque ſacri innumerum reſonant tua carmina fontes.
At tibi inexhauſtô felicior ubere vena
Nectar agit; ſeſeque perenni ad ſidera jactu
Purior electrô vibrabit, ditior aurô.
Dum ſtabunt montes, ac Montibus edita Caſtra,
Nempe tuum, Princeps, æquabunt nomen Olympo.
Doctrinâ [34] & Virtute domus tibi famaque in ævum
Ceu geminæ ſolidô fulcrô ſubnixa Trabis ſtat:
Qualibus Oldenburga rubentibus aurea tignis
Scuta nitent, altæ quæ nota inſignia genti.
Sic tu diverſas æterno fœdere dotes,
Pulchriùs & vitâ, Præſul, quàm lemmate nectis.

[32] In deſerto Sennæ, clari duo naſcuntur amnes, Luppia cum Amiſio.

[33] E regione Heriſtalli Saxonici.

[34] Alterum Ferd. Principis lemma, pro arce Oldenburgâ in monte Furſtenberg, uſurpatum: quo alluſit ad binas Oldenburgicas Trabes in aureo ſcuto rubentes, à primâ uſque origine Furſtenbergiis uſitata inſignia.

Furstenbergiacæ quis robora ſtirpis, & armis
Neſciat illuſtres animos, heroaque corda,
Conſiliis præſaga eadem, generoſaque factis;
Et placidos mores, ac multo tincta lepore
Ingenia, & ſtudiis utramque amplexa Minervam?
Sic Belli Paciſque Artes, ſic plurima in unam
Confluxere domum geminæ decora inclyta laudis
Certatim, & palmâ texunt oleâque coronas.
Hinc tibi primus honos. nec tantùm ſuavis Hymettum
Spiras, & liquidis manantem vocibus Hyblam:
Bilſtenias [35] arces, atque ardua Valdenburgi
Caſtra ſonas; validumque & inexſuperabile pectus
Saxonas excelsâ Proceres ab origine reddit.
Pars pietatis erat Majorum agnoſcere laudes,
Auguſtô nec degenerem Virtutis avitæ
Progeniem exemplô ſummis accingere rebus.
Carminis ipſa adeo facies, Autoris imago.
Nobilis in teneræ vultu ſe gratia Muſæ
Explicat, & blandâ Majeſtas fronte renidet.
Haud ſecùs & vivis ſeſe illa coloribus effert
Vis animi, numeros Virtus expleta per omnes,
Ac tenuem vulgum non aſpernata Poteſtas,
Fidaque Amicitiæ & grati ſpecula undique ſensûs.
Largiùs officio indulgens, & prodiga laudum
Carmine magnifico per gentes Muſa vagatur:
Teutonici nec ſola petens faſtigia Pindi,
Jam florem Italiæ, jam Belgica lumina cantat,
Luſiadas, Celtaſque & Phœbo & Marte potentes.
Quàm teretes verſus! Latiæ quàm candida linguæ
Copia! quæ doctrinæ opibus congeſta ſupellex!
Qui cultus! qui ſplendor, & immortale beatæ
Mentis opus, Naturæ ingens certamen & Artis!

35 Bilſtenium, arx Angariæ munitiſſima, Dynaſtiæ cognominis, ubi natus Ferd. Valdenburgum, item Dynaſtia Furſtenbergiorum.

Quanta vetuſtatis ſpecies! melioris & ævi
Principibus lemniſcatam rapit æmula palmam,
Quæ priſcos imitata, novis imitanda Camœna:
Et divina colent ſeri Monumenta nepotes.

O DIGNUM, laude omnigenâ [36] cui ſerviat uni
Muſarum chorus omnis, & antris omnibus unum
Concelebret luciſque Helicon, undæque loquacis
Fontibus; ac ſtudiis certantibus ambiat Orbis!
Debita jam, Princeps, tibi vectigalia cunctis
Partibus Europe ſolvit, nec digna rependit.
Ordinis Aonii cenſu lectiſſima luſtras
Agmina, juratoſque ſequi tua caſtra Poëtas.
Ac velut in ſilvis, ubi formas dædala miſcet
Inſitio, diſcuntque novos arbuſta ſapores;
Argutô exceptas ſocialia germina lucô.
(Nil tua adoptivis ſedenim viridaria ramis,
Quantum adſcita tuis debet Pomona viretis,
Vitam animamque trahens & opimo à ſtirpe nitorem)
Aut versô laureta ſolô, jam ſedis amicæ
Dulcibus hoſpitiis, cui mente addicta Satorum,
Gratius exurgunt; cultiſque hilarata propinquis,
Nativum hinc augent decus, ac felicibus umbris
Subjiciunt ſeſe, & magnum crevere per orbem.
Atque hîc, Cecropidæ [37] mellitis prodita chartis,
Apta libris, Fernande, tuis, memoranda recurrunt,
Spartano quæ mira Duci ſpectacula pandit
Cyrus, Achæmeniæ regnator ſplendidus aulæ,
Regibus inſuetâ florens idem arte colonus.

PANEGYRICI PARS TERTIA.

[36] Ab laudatiſſimis Europæ Vatibus, Poëtarum Princeps veriſſimè ſplendidiſſimeque collaudatus: quorum encomiorum duo extant libri à Ferdinando adoptati.

[37] Xenophon, Apis Attica; cujus ex libro Oeconomico Tullianus Cato refert, Cyrum Minorem Lyſandro *quendam conſeptum agrum diligenter conſitum oſtendiſſe, &c.*

Mollis agri conſepta, & amœno conſita cultu
Læta renidebat facies, glebâque ſubactâ
Pura nitebat humus ; ſimul omnis copia Floræ
Suavibus areolis miſtos afflabat odores.
Pulcrô in quincuncem directas ordine plantas
Proceri nemoris, ſcatebriſque micantia culta
Cernere erat, cuncta intento luſtrata Laconi.
Hîc gnavam laudare manum fortiſſimus hoſpes,
Et curam ignoti pariter cultoris & artem,
Quæ ſpatiis dimenſa ſolum, picto imperet arvo.
At Cyrus : mea regna vides, operumque labores.
Cuncta mihi deſcripta : meâ nemus arte, meiſque
Digeſtum ordinibus : per me ſecta area florum ;
Irriguis per me ſpirant violaria lymphis.
Multa etiam ſylvâ ex iſtâ, quam ſuſpicis, arbos
Hac ſata rite manu ſuperas ſe tollit ad auras.
Tum ſtupefacta Lacon defixus lumina Cyro ;
Regalem ornatum, & quem Perſica gaza nitorem
Corporis auguſti gemmis acuebat & aurô,
Contemplatur, & attonito ſic ſubjicit ore.
O te purpureo felicia rura colono !
Sceptriferæ dextræ pulchrum ſenſere laborem.
Ut te felicem non mendax Fama locuta eſt,
Submiſſique ferunt populi, quando addita regnat
Virtuti Fortuna comes ! nec terra recuſat
Imperium ; nec, Cyre, tuas Bactra ultima leges.
Ac ſtudiis ut non-ingloria cura feracem
Ornat humum ; famulam tractat ſolertia gentem,
Regnaque frugifero exercens beat aurea cultu.
Principis agricolæ ludens induſtria laudem
Si meruit, manibuſque agitati gratia ruris ;
Quas labor egregius mentis, doctæque Minervæ
Splendida culta ferent laudes, Parnaſſia Tempe ?
Hoc mutæ non Artis opus, frondeſve caducæ
Aut fetus nemorum, & marcentes Veris ocelli.

Hanc segetem, hos fructus, Musarum exercita curis
Otia fuderunt. [38] viget, æternumque vigebit
Scilicet atque ipso florescet lætius ævo,
Ingenio quodcunque satum est, & pectore ab alto
Indita vis alit, ac divinæ spiritus auræ.
Clarior ista tuæ, Procerum Doctissime, regnat
Conscia Fortunæ Virtus, Opulentiaque Arti:
Laurea & augustam pariter stellataque baccis
Infula cœlesti frontem convestit honore.
  Tu Pastor populorum, & jura biformia longè
Das Princeps lateque potens: civilia sacris
Imperia, & Vatis citharæ gladiumque pedumque
Annectis; suavique idem fortique gubernas
Cuncta manu: templis crebras atque arcibus altis
Magnificusque ornas, firmas & providus urbes.
Gaudet sorte suâ, & rerum Padeborna Magistrô:
Æmulaque optavit dominum Mimigarda Patremque,
Proximus emerito ut solium, Fernande, capessas
Christophoro [39], quo nunc (heu, longùm oppressa) triumphat
Vindice Relligio; socialiaque arma regentem
Pannonico [40] expavit nuper gens Thracia bello,
Invicta pietate virum; modò fracta tremiscit
Consortem Franco refugitque Batavia Marti,
Tot cursim rapientem urbes, torrentis & instar
Fana salutiferâ vertentem inimica ruinâ.
Talem [41] peniculo Frater, tu carmine pingis;
Mox aucto clarum imperio, Fideique trophæis,

[38] *Nullius agricolæ cultu stirps tam diuturna, quàm Poëtæ versu seminari potest.* Cic. 1. de Leg.

[39] Celsiss. Princeps Christoph. Bernardus, Episc. Monasteriensis.

[40] Hungarico bello *Director* fuit copiarum Imperii nomine adversus Turcas conscriptarum.

[41] Theodorus Caspar Lib. Baro de Fustenberg, Canonicus Moguntinus & Spirensis.

Magnanimum populo reddes Heroa clienti :
Desponsæ impones decoris fastigia Sedi.
Seu templis reddendus honos & mystica jura,
Civica seu poscunt alternas munia curas ;
Virtutum hinc, atque hinc Musarum sedulus adstat
Æternùm, Fernande, tibi chorus. alba relucet
Justitiæ comes Integritas, & prævia gestat
Pervigili stellantem oculo Prudentia virgam :
Ornatumque [42] addens, nec inertia gaudia, cunctas
Muneris in partes fertur divina Poësis.
Laudibus hæc Superos, blandis mortalia jussis
Corda movet ; quondam illa feras, silvasque sequaces,
Nec-surdas traxisse potens testudine rupes.
Aspera sic hominum flectebat pectora carmen !
Assuetus numeris, concinnoque ordine, Vates
Publica [43] describis justas in commoda leges.
Utque graves, Fernande, modos tibi plurima condit
Gratia ; clementi non seciùs omnia ductu
Temperat, & certâ versat ratione Potestas :
Exemploque gregem [44] formas, Mystasque refingis.
Nec verò tantùm placidas Musa excitat Artes :
Armatis eadem dux & Virtutibus auspex,
Aut socia incedit ; victricia signa coronat,
Et læto decorat celebres Pæane triumphos.
Spartanas acies Tyrtæi accendere cantus
Plus valuit, rauco quàm clangor ab ære tubarum.
Fulmineos animos Macedo, sectator Achillis,
Iliade oblectans simul informabat ; & illum
Fatalem Auroræ populis, Mundoque tremendum,
Appositô gladium incumbens acuebat Homerô.

[42] Poëtices dignitatem amplissimam uberrimosque fructus præclaro carmine complexus Ferdinandus,

[43] Politicum Ecclesiasticumque statum scitissime sanctissimeque composuit.

[44] *Forma facti gregis.* 1. Petr. 5.

At

At te ſacra decent palmatæ exempla Camœnæ:
Nec deſunt adytis & cælo digno profati;
Immenſumque pii vanos vicêre Poëtas.
Princeps ille tibi ante oculos Vatumque Ducumque;
Quem fragili inſtruxit virgâ tela omnia contra
Bellipotens, ſpoliiſque Ducem Deus auxit opimis;
Intimaque admiſſum ſanctæ in penetralia nubis,
Colloquio Vatem & viſu dignatus amico,
Cornibus ardentem radiorum inſigniit aureis.
Tu rerum Autori ſollennia [45] debita laudis
Magnificæ æternâ meditantem voce ſecutus;
Iſaciæ reſonas Erythræa ad littora genti
Digna triumphali præeuntem gaudia cantu.
Vatis ad imperium, & virgæ fatalis ab ictu
Æquora diſſiluere: tumentibus arduus undis
Biſgeminos ſeſe in montes ſuſpendit Erythra,
Et vitreo horrendas libravit in aggere moles.
Jamque hiat, & ſiccâ patet alveus imus arenâ.
At populus mirum per iter, convalle profunda,
Hinc, illinc ſtantes ſolido ceu marmore fluctus,
Audacem rapuere fugam matreſque virique,
Ac medio emerſi barathro gratantur ovantes.
Rurſus ad imperium, & radii nova verbera ſacri,
Ardua procubuere gravi freta verſa fragore,
Protinus & tumida geminus ſubſedit aqua mons,
Marmoraque implerunt vaſtas undantia fauces.
Spumea purpurei ad nubes maris ira reſultat.
Dum trepidant, Phariam revoluto gurgite turbam
Obruit agglomerans æſtus, curruſque viroſque
Armaque cornipedeſque, & cum Pharaone ſuperbo
Demerſit, Regiſque capax Regnique ſepulcrum.
Quid mirandum [46] æquè Vates ſonuere profani?

[45] Moſes Euchariſticon Deo cecinit, *Exod.* 15. [46] Ad majeſtatem Poëticam ſacrorũ Vatum, ac Moſis potiſſimum & Davidis, quos mirificè collaudat Ferdinãdus, nemo profanorũ adſpiravit.

Inde quaterdenûm vaſtas emenſus arenas
Curriculo annorum, quo fœdera carmine ſancit
Legiferi Interpres ſummi, populique Sequeſter!
Cælo [47] audita ſimul Terræque potentia verba,
Naturamque omnem vox imperioſa coërcet.
Quo fluit eloquio divinæ copia linguæ,
Fecundique ſolum rigat inſtar gemmea roris!
Quas eadem irato jaculatur Numine flammas
Lingua minax, immane tonans! quo turbine acutum
Fulguris inſtar agit gladium, depaſcere crudâ
Corpora cæde avidum, calido ebria tela cruore!
Qui tam ſublimes Graii Latiive Poëtæ
Aſſurgunt? tanto infremuit quis Jupiter ore?
Nec ſacro inferior cantu, quem dia ſonantem
Auritâ Jordanis aquâ pendenſque ſilenſque
Hauſerat: & citharæ ſolitam vibrare canora
Fila manum ſenſere urſi, ſenſere leones,
Senſit ſanguinea fuſus Goliathus arenâ.
Ipſa, Saülem agitans furiis, infracta Erebi vis.
Vim Muſæ placidam, ludum ſtupet Aula ſalubrem.
Ut Deus [48] aligeros ſupra volat arduus axes,
Colla ſuper Geniorum, altæ caligine lucis
Circumſeptus, ovans; Majeſtatiſque ſatelles
Terror adeſt, flammis & militat acribus æther,
Nubilaque agglomerant venti, rapidæque procellæ!
Flumina tum plaudunt manibus; tum frondea montes
Culmina ſuccuſſant, agnos imitantia ſaltu.
Numine conſpecto refugas Timor in caput undas
Diſpulit: in fumos abeunt tabentia ſaxa,
Ocyus & cerâ tellus reſoluta liqueſcit.

[47] *Audite Cæli quæ loquor* &c, Deuter. 32.
[48] *Aſcendit ſuper Cherubim, & volavit.* &c, Pſalm. 17. & alia aliis paſſim Pſalmis planè divina.

Tanta ſacer volvit [49] Fidicen : tu, Magne, viciſſim
Jeſſiden, Fernande, canis, palmaribus armis
Sceptriſque ac lituis jungentem nablia Regem.
Fatidicis Vates numeris correptus ad aſtra,
Jam Superos inter, fulgentia templa canorus
Ales obis, nubes deſpectans altus Olympô,
Dircæique humilem Cycni per inane volatum.
Regibus hinc aptam, dignam Cæleſtibus Artem
Diſcimus. ingeniis animos æquantibus, iidem
Geſſerunt ſcribenda Duces, ſcripſere legenda,
Externoſve ſuoſve ipſi cecinere labores,
Atque operum famam & pretium peperere canendo.
Belligeræne decus Pietatis, & inclyta facta
Hîc repetam, quantiſque implerit laudibus Orbem
Occidui [50] Pater Imperii, virtute fideque
Eximia Cuſtos æternæ maximus Urbis,
Vindexque & columen ſacratæ immobile Sedis?
Haud minùs Aſſertor Muſarum, opibuſque benignis
Conditor Aonii (teſtis Lutetia) regni.
Creber & Auſonias Germanaſque ille per urbes
Regifico templa attollens ingentia ſumptu,
Artibus omnigenis poſuit ſacraria, & ipſe
Cæſareis claras ſtudiis exercuit Artes,
Doctrinâ, pietate, armis ter-Maximus Heros.
Terror & orbis amor, quâ ſævos contudit hoſtes,
Stravit Barbariem, ſceptris Latia addita Francis
Sceptra tulit, verſus auguſtâ ſcribere dextrâ
Non timuit : nec tanto indignam vertice frondem
Credidit Aoniam, atque hederæ ſerpentis honorem;
Vertice, quo regnans gemmiſque auroque ſuperbi

[49] *David, Simonides noſter, Pindarus & Alcæus, &c.* Hieron. Paulino.

[50] Carolus Magnus, Univerſitatis Pariſienſis aliarumque paſſim Academiarum Fundator, verſus etiam ipſe factitavit.

Sideris instar habens, Romanæ summa coronæ
Cincta triumphali Majestas fronde coruscat.
Non ego Paulinum [51] sileam, quem suggerit ultro
Ipse locus, flavi dum me tenet ora Garumnæ,
Quondam olli regnata : & adhuc ingentia nomen
Tecta decusque Viri, ac memori templa insita castro
Servant, & priscæ turrita cacumina molis.
Gentis Aquitanæ, & Viviscæ gloria [52] Lunæ,
Notus & Ausoniis fastis, sellâque curuli,
Consulis & trabeâ ; sed fastu clarior omni
Funditus abjecto, & calcato major honore ;
Pauperiemque ausus latis præponere fundis,
Et servum induere, atque hortum versare colonus.
Ille tot egregius titulis, tanto ille piorum
Concentu & studiis Patrum celebratus amicis,
Virtutumque gravis meritis ; sollennia vota,
Cùm Nolana sacram circumdaret infula frontem,
Carmine reddebat ; præstantiaque acta decoris
Cantibus exornans, Musas super astra ferebat.
Et quisquam dubitet sanctos effingere Vates ?
Aut velut indecori Proceres avertere Cyrrhâ
Tentet, inops mentis, nec sensu imbutus honesti ?
Cetera quid longo percurram nomina tractu,
Ille tuus docto quæ [53] Plettenbergius ore
Percenset capita alta, tuæque accommoda sorti,
Pontificum Regumque apices, certissima Vatum

[51] S. Paulini domus hodieque Burdigalæ visitur sanè magnifica, vulgo *Puy-Paulin*. atque is opum generisque splendore & Consulatus gloria, sed vel maximè insigni heroicaque virtute floruit ; idem ingenio & Poëtica facultate spectatissimus.

[52] Burdigalæ, quam *lunatam* appellat Ausonius, insigne *Luna* est, ipsi portûs formæ congruens.

[53] Christianus Theodorus de Plettenberg ex Lenhausen, Ferdinandi Sororis Filius, Præfatione ad Illustriss. Wilhelmum à Furstenberg, cui Fratris, Episcopi Principisque Paderb. Poëmata dicavit.

Stemmata, & Indigetes, neſcit quos fabula, Divos,
Gregorios, Damaſos, alioſque ex ordine Myſtas,
Chriſtiadûm impoſitos Parnaſſo, ariſque dicatos?
Perge auguſta ſequi venerandæ exempla catervæ,
Præſul, & ipſe virûm ſumma inter nomina jam nunc
Propoſitus Magnatum aulæ, Vatumque cohorti.
Urbani ſectatus Apes, puriſſima mella
Fundis: Alexandri [54] Juveniles promere Muſas
In lucem, artificis genio delectus amici,
Ne triſtem ipſe tuis metuas, Fernande, ſenectam,
Queis cani gravitas ſensûs ponduſque Camœnis,
At vigor æternæ lumenque decuſque juventæ.
Jam tibi quæ Gradii, quæ Torcki nobile plectrum
Concinuit, ne, Magne, tuas ne deſere Muſas,
Ingemino. ſacra ſerta, pios cole gratus amores.
Vive, vale, regna. partæ dulcedine laudis
Perge frui, ſemperque novas contexe coronas:
Sordida & ingenia, inſultans, liventis inanes
Barbariæ fremitus ac plumbea protere tela.
En medium tibi ſe turbis plaudentibus infert
Regnantum Princeps Ludovix, dignumque Suprema
Nacta ſuæ laudi Majeſtas denique Vatem,
Accepto ipſe tuam Gallis pro carmine laudem
Indicit, doniſque fovet gratatus amicis.
Itala nec ſtudio vincet, nec Belgica tellus,
Utraque Fernando jamdudum exercita; nec quæ
Te felix ſeſe Germania jactat alumnô;
Quo Romæ Imperium, & Padebornæ publica ſummo
Principe civilis, ſacra res Antiſtite gaudet.
Verjuſi, patriæ non ultima gloria, Fratres,

[54] Alexander VII. Opera ſua Poëtica, quæ *Philomathi Muſæ Iuveniles* inſcribuntur, Furſtenbergio vulganda commiſit.

Delicium Francique decus, par nobile, Pindi,
Grande ministerium queis & regalia latè
Circumferre datum est arcani pignora sensûs,
Agmen agunt, doctamque vocant ad signa cohortem.
Splendidus ille tui præco Geniique librique,
Muneris interpres gazas superantis Eoas,
Quas offert Charites, quantos tibi lætus honores,
Digna Palatinus quæ scripta receptet Apollo!
At grati quem vis animi, quem rara voluptas,
Mirantemque avidumque, ac sese explere negantem,
Entheus ardor agens tua per vestigia raptat,
Suscipe devotum Princeps Auspexque Poëtam.
Quidquid & immensâ laudum sub mole fatiscens
Debilitas, vivique audacia peccat Amoris,
Mixta verecundæ Spes & non improba Curæ,
Cyrrhæo facilis nec ficto ignosce clienti.
Fors etiam sacrari adytis, aut arce locari
Carmina ames, Fernande, tuis è fontibus hausta,
Ignibus aut accensa tuis, radiisque corusca.
Ingenium certè nutu stabitve cadetve
Omne tuo: & Pindi regnis quæcunque refulget,
Inclyta lauricomos summittet Gloria fasces.
Si qua mea est, necdum Artificem [55] rapido axe refugit,
Quem varios Bellique inter Pacisque labores
Alta coronato respexit Gloria curru;
Hîc ego, quodcunque hoc decoris, quodcunque trium-
phi est,
Abjicio, & Summi fastigia Vatis adoro.

[55] Alluditur ad Poëma, cujus inscriptio est, *Currus Gloriæ in Triumphalem è Belgio Reditum*, &c. an. M. DC. LVIII. *Insulam Fortunatam, sive Insulam Pacis*, &c.

VESTPHALIA LIBERATA AD FERDINANDUM S. R. I. PRINCIPEM, EPISCOPUM PADERBORNENSEM, COADJUTOREM MONASTERIENSEM, EUNDEMQUE MAGNIFICENTISSIMUM ERUDITISSIMUMQUE MONUMENTORUM PADERBORNENSIUM AUCTOREM.

CERNE tuam indigna, PRINCEPS, à clade recentem
Vestphaliam, & nostri vestigia sæva doloris.
Germanis, eheu, manibus lacerata, sed armis
Franciadûm jam sospes, & arcto libera nexu Sub initium an. M. DC. LXXIII.
Vindicis augustum LODOICI nomen adoro.
Tu Pastor, vigilemque agitans pro me, Optime, curam;
Nunc etiam grati tanto pro munere sensûs
Splendidus interpres, partam gratare salutem:
Æternæque opifex, atque idem publica laudis
Materies, nova divinas monumenta per Artes,
Ingenii molire sacri, FERNANDE, labores.
Jamdudum latios inter Francosque vagata
Saxoniæ annales, duce te, connexa Poësis
Historiæ, studiis arrectas pervolat urbes,
Magnarum condensa legens vestigia rerum.
Sparsa Paderbornæ vasto quæ rudera tractu,
Oppidaque & summis dejectas montibus arces,

Altiùs, antiquis ſteterant quàm molibus, effert.
Campoſque fluvioſque notas, ſaltuſque vetuſtis
Cladibus inſignes ; quas Varus ſanguine terras
Nobilitat ; queis ſe Germanicus intulit oris
Ultor, acerba gemens, legionumque oſſa ſepulcro
Compoſuit ; manibus disjectam hoſtilibus aram
Reſtituit Druſo, decurritque ipſe parenti,
Agmine cum toto, fulgens victricibus armis ;
Funereo mœſtos ludo celebravit honores.
Et centumgemini Paderam inclareſcere fontis
Ubere feciſti, & rivis ſalientia mella
Smechtæque Iburgique, Machaoniiſque reperta
Artibus auxilia, & medicas in pocula lymphas.
Marmore quos circùm latices, venaſque ſalubres,
Silvarumque comis & amœna plurimus umbra
Sepſiſti, dulcique ſonantes carmine inauras.
Sic tua, muneribus conſors, Paderæa per arva
Magnifici ſpecies animi, doctrinaque certat,
Splendida regales Perſarum vincere gazas.
Egregiis ſtellata notis monumenta coruſcant,
Quæ patriæ quæque ipſe tibi clariſſima condis :
Certiùs & chartæ, ſaxo quàm credita, vivent,
Inque alia ex aliis current per ſecula prælis.
Marmora conſument anni : ſed labilis ætas
Quantum operi externo & manuum detraxerit arti,
Laudibus ingenii & Muſæ tantum addet honori.
Semper amor, ſemper generoſæ gratia mentis,
Veſtphaliam amplexæ ſtudiis cultuque ſuperbo,
Creſcet ; & illuſtres ibunt ſuper aſtra ruinæ,
Quas docta, Fernande, manu caligine ab ævi
Excidioque rapis, cœcoque evolvis acervo.
Maximus ille tuæ VIDICHINDUS gentis origo,
Eximii curam, decus immortale, nepotis
Agnoſcit. nec non, acres qui Saxonas unus
Perdomuit, Chriſtoque ferocia corda ſubegit ;

Hoſpes & Auguſtus Paderæam inſigniit urbem,
Cæſareâque frequens aulâ cœtuque ſacrato,
Præſulis & ſolio & regnis ingentibus auxit.
O mihi ſuprema felicem in clade triumphum
Cùm placida tandem vi debellata refugit
Priſca ſuperſtitio, doctæque ignara palæſtræ
Barbaries ! fractæ ipſa jugum cervicis amavi.
Saxonici tunc & ſimulacrum *Irminſula* Martis
Corruit infelix, & Chriſto numen inane
Deceſſit ; Chriſto, nutu qui prælia torquet :
Auſpice quo latè vicit, Romanaque ſacra
Gallicaque Europæ CAROLUS circumtulit arma.
At pius everſor ſimulacri immanis, & aræ,
Quam laudum ſegetem, quantâ inclyta mole Trophæa
Nunc operi, Fernande, tuo debere fatetur,
Vertice ab ætherii lætus ſpectator Olympi !
Tecum ingens, totamque trahens in myſtica victor
Bella vetuſtatem, victiſque ſalutifer Heros,
Pugnat adhuc, Romæque hoſtem Cœloque rebellem
Lutherum contra, pro majeſtate ſacrorum,
Teſtiſque & Fidei Vindex acerrimus inſtat.
Qualia per memores ducunt ſollennia faſtos
Chriſticolæ, ſanctoſque agitant ex ordine ritus,
Legibus & factis idem regalibus ornat.
Hic decoris monumenta tibi communia ſecum
Eſſe jubet, paribuſque it mutua gloria fatis.
Hac, Fernande, tenus veterum monumenta potenti
Ingentes Paderæ Genio celebrata per oras :
Artifici cura emerito nova ſurgit, honoris
Ubere ſuccreſcens, operoſaque adorea belli.
Quanquam haud iſta tuis, Princeps, intacta Camœnis.
Jam Batavas Regis lauros, ſiſtique negantem
Aggeribus Lodoicum, & ineluctabile robur
Cantare, aſſertos jam Relligionis honores,

Aggressus, summoque cies præconia Pindo.
Nec tua, crudeli Bellonæ oppressa tumultu,
Suada tubasque inter tormentorumque fragores
Conticuit, simul ac Paderano exercitus agro
Austrius insedit, Brandeburgæque phalanges.
Quippe meum patrio sensu miserate dolorem,
Magnanimos alto misisti pectore questus :
Ac totâ gravis Europâ, variasque per aulas
Littera, turbatum Imperium temerataque jura
Incusans, crebro eloquii ceu fulmine vindex
Procurrit, viresque ultricibus addidit armis.
Vim diram & fœdè grassatum aperire furorem
Strenua Principibus, tristes exsuscitat iras.
Sed præsens nobis tanto in discrimine rerum
TURENI adventu auxilium, terrore propinqui
Fusa Ducis, miserum damnant socia agmina fœdus:
Nec mediæ tardant hiemes, nec flumina cursum,
Luppiaque Amisiusque & cum rapido Ambra Visurgi.
Sic reduces Francos, optataque pignora sensi :
Antiquam exitio sic exemere parentem.
Ergo rite novos, Vatum Supreme, triumphos
Et faciles Regi grateris carmine palmas ;
Reddita quo nobis summo jam Vindice constat
Libertas. Hic ille Opifer subvenit ; & absens
Præcipites ipsâ victor dispellere famâ
Evaluit, longeque tremendo nomine turmas.
Nimirum pictas, regalia munera, formas
BORBONIDÆ magni atque Augustæ Conjugis ora,
Et teneri vultus Delphini habitusque decoros,
Jam duplicem facie atque animo spirante Parentem,
Laudibus æquasti cœlo, Divisque remiscens
Pierio æternas retulisti munere grates.
Nunc age, nunc tantæ quæ molis publica tecum
Dona tuli, claro testari lætus honore ;
Invia per spatia & glacialia tempora missas

Subſidio vires, gravibuſque erepta ruinis
Oppida, Francorumque vias ſignare labora,
Totque operum famam venturis adſtrue ſeclis.
Huc Parii veniant lapides, auroque diſerto
Carmina viva ſonent. Tureni hîc fortia caſtra:
Hîc turmas equitum fudit, peditumque catervas;
Hæc juga, præſidio dejecto, hæc mœnia cepit.
Parce tamen vaſto nimiùm, Fernande, labori.
Tot loca, tot populos urbeſque arceſque ſubegit!
Quin ego Tureni monumentum adſtare, trophæis
Majus, amem ſervata, & pulchris conſcia factis?
Nec ſatis eſt, ſævus quæ latè invaſerat hoſtis,
Arva recepiſſe, & paſſam vincla aſpera gentem.
Ipſa etiam pulsô dominô captiva viciſſim,
Et ſolida in prædam victori Markia ceſſit.
Arte animiſque potens, biſſenos ordine menſes
Indefeſſus agens, nimbiſque invictus & armis,
Trans montes pavidum, trans flumina reppulit hoſtem:
Extremumque agmen, tormentis ponè relictis,
Palantum, & ſciſſis, quos fœdus junxerat, oras
Per varias cuneis fugientia terga premendo,
Francus ovat ductor, ſpoliiſque potitur opimis,
Ac domitis hiberna legit pinguiſſima terris.
Vidiſti, quo ſe ferat Heros arduus ore;
Officiis dum nuper adit ſollennibus arcem
Neuhuſiam Princeps. tantum Romanus Aliſo
Nec Druſum ſtupuit, moles quondam iſta Sicambris
Caſtelli opppſita, & non exuperabilis agger.
Aſt eadem auguſtæ nunc Relligionis, & Artis
Omnigenæ, deceat culti quæ Preſulis aulam,
Splendet amœna, ingens, par Regibus, aurea ſedes,
Gloria ubi faſtum luxumque Opulentia neſcit.
Luppia turrigeras infrà coëuntibus undis
Almaque ſuſpiciunt excelſi Principis ædes.

Aliſonis, caſtelli à Druſo conditi, locum occupavit arx & ſedes Epiſcopi Princip. Paderb. Neuhuſiū ad Luppiæ Almæque confluentes.

Iſtuc &, Mimigarda colit quem læta triumphis,
BERNARDUS placidam caſtris excurrit in arcem ;
Ille, togâque ſagoque, armiſque ſacriſque potentem,
Jam ſecurum ævi, tua quem monumenta loquuntur.
Quà ſe Iſalæ regio, quà porrigit hoſtica tellus
Markia, & aërias oſtentat montibus arces,
Quáque Ravenſbergi patuit plaga ; fulminis inſtar,
Miſſilibus flammis & candentûm ære globorum
Obvia perrupit, ſubjectaſque expiat urbes.
Convenere Duces, ſtudiis concordibus ambo,
Erepti inſidiis ambo, cœciſque periclis ;
Nuper atrox, & conſiliis agitata nefandis,
Barbara quos petiit, Germano indigna ſolo, fraus,
Numine, cui ſociis ambo meruêre ſub armis,
Servati, noſtræ fatalis uterque ſaluti.
Scilicet omnipotens rebus Vigil excubat, orbis
Arbiter, & ſuavi pariter fortique ſupremos
Contingit dextrâ fines, atque omnia verſat.
Quidquid proditio, quidquid furiata coquebat
Perfidia, hic tenuem ſubitò difflavit in auram
Providus illudens, feraliaque auſa retexit,
Cara ſibi capita & partes tutatus amicas.
Quare age, divinam celebra, Fernande, Pronœam ;
Quam denſas inter ſtrages hominumque locorumque
Et circumjectis bacchatos gentibus hoſtes,
Hactenus incolumi Padebornæ ſede benignam
Agnoſcis, Caroli memorando à Cæſaris ævo.
Nunc quoque cæleſtes dignatam impendere curas,
Regaliſque miniſterii præſentia dona,
Altiùs extolle, & cultu venerare perenni.
Exhauſtis lætare malis, fructuque dolorum,
Quos pia mens, patriamque arctè complexa gementem
Pertulit, & conſtans animo Prudentia fregit.
Hinc & partus honos, & major ab æthere merces.

Mox damna in quæſtum referas, quæ plurima Franci
Nominis invidiâ atque odio perpeſſus iniquo.
Interea doctum ſurgent æterna per orbem
Digna tui monumenta ; & quæ cæleſtibus ipſe
Ingeniique Artiſque opibus miranda paraſti ;
Et quæ cuncta tibi Parnaſſia debuit ora,
Reddere certatim accelerans : ſed Gallica tellus
Ante alias, totiſque applaudens Sequana ripis;
Oceanique hoſpes, quo non velocior alter
In laudes reſonare tuas aut lætior amnis,
Flavus Aquitano exultans Helicone Garumna.
Tu, Fernande, meæ Princeps & maximus Auctor
Laudis, in extremas pergis diffundere terras
Veſtphaliæ famam, rerum & monumenta mearum.
Jam Furstenbergi veterem faſtigia Pindum
Effinxêre mihi, ac peregrinos undique Vates
Alliciunt, & te gaudentes preſide Muſas.
Dumque hîc ore meos auguſto paſcis amores,
Circùm inhians mundus cunctis ſpectabile ſeclis
Invidet ac tanti gratatur Principis aſtrum.





HEROICON
LIBER II.

CAROLO AURELIO
COMITI SAMPAULANO
SUB EXEQUIAS PATERNAS
HENRICI
DUCIS LONGAVILLÆI &c.
CONSOLATIO
PANEGYRICA ET PARÆNETICA.



OBILE jam vasto pheretrum squallore secuti
Plangere amant dudum populi; fusísque per Aulam,
Certatim patrio celebrat te in funere mœror,
CAROLE, & officiis Procerum sollennibus ambit.

Atratos subiisse lares nec Maximus ipse
Regnantûm, Heroë amisso communia tecum
Damna querens, blandisque ferens solatia dictis,
Cunctatur : penitusque animum, solitasque Parentis
Suscepisse vices tenero dignatur amore.

An. M. DC LXIII.

Venit & Uranie, doctæ venêre Sorores,
Ore habituque Deas referens chorus : una * sed omnes
Majestate premens, longè spectabilis anteit.
Carbaseos substricta sinus, chlamydemque figuris
Inscriptam variis, tenui quas dædala filo
Addidit ipsa operi, mirâque intexuit arte ;
Naturæ immensus quidquid complectitur orbis,
Veste gerit, sceptrumque manu regale coruscat.
Splendent ingenui mixtâ gravitate lepores,
Et nodo incomptum religavit tænia crinem ;
Neglectusque decet : pulcroque incendit amore
Devenerantûm animos augustæ gloria formæ.
Ignea vis oculis, quæ terras, nubila, fluctus
Permeat, & visu penetrans rimatur acuto;
Fœderaque & pugnas, primâque ab origine cursus
Rerum aperit, veroque offusas discutit umbras,
Interdum medio insertans caput ardua cœlo,
Concentum & mundi numeros revolubilis audit:
Mortalem jam se in speciem demissa modumque
Colligit, atque hominis veniens sic voce profatur ;
Florentique ulnas circùm Dea fudit Alumno.

* Philosophia, cui tum Princeps operam dabat.

Non ego, dulce mei decus & lux prima Lycei,
Carpere acerba tuos aut imperiosa dolores
Opprimere (indignum) meditor, nimiúmque potenti
Naturæ vim ferre, & ahenea fingere corda.
Nec verò rigidas leges, immania jura
Stoïcidûm jussi, aut hominem dediscere suasi:
Fasa sed immites animos Sapientia fecit,
Splendidus ille furor, popularis & ambitus auræ.

Magnificum, ſtupuiſſe, & Divis proxima virtus
Inſano viſum generi : quanquam intima fluctus
Pectora miſcebant, ventoſæ diſſona linguæ.
Ferreus, extremo Genitorem in cardine vitæ
Cernere qui ſiccis oculis, terrâve repoſtum,
Suſtineat : monſtro ſimilis, conſortiáque extra
Civica Gætulas procul exportandus in oras.
Tu Patrem decora lacrymis. nil fletibus obſto
Quos ſacrat Pietas. Heroüm lumina vinci
Nec puduit, guttiſque rigare ingentibus ora.
Sic pius Æneas, ſic acer flevit Achilles.
At non immenſis conceſſum planctibus auras
Rumpere;& antiqui cecinerunt qualia Vates,
Mollitiem exemplis prætexere grandibus auſi,
Sublimeſque animos & maſcula frangere corda.
Degener Alcides, tantorum in fine laborum,
Immemor & laudum furit, impatienſque doloris:
Perſonat & fœdùm muliebribus Oeta querelis.
Immodico parce, ô Princeps, tabeſcere luctu;
Et cape juſta volens tantæ ſolatia cladis.
Publica lex, dirumque & ineluctabile fatum
Humanæ incubuit ſtirpi. Nil purpura juvit
Regia, nil fidæ prætoria ad alta cohortes,
Armáque opeſque Ducum , congeſtáque marte trophæa.
Parcarum, ſcis ipſe, colos & inania penſa,
Queis ſuſpenſæ hominum fluerent cum ſtamine vitæ,
Fabula jactavit, rapidæque obnoxia falci
Viventum capita, & cæcæ ludibria mortis.
Aſt innata mali, concretaque ſemina vobis,
Terrigenæ ! quotquot vitales carpitis auras,
Vivitis in mortem : ſerieſque miſerrima leti
Vita fugax, penituſque occulto exercita bello.
Quattuor implicito confligunt agmine, & ipſis
Viſceribus clauſi, donec per mutua tandem

Vulnera conciderint hoſtes ; ſimul ipſe ruinam
Campus, ubi adverſas ſoliti collidere vires,
Traxerit everſus pariter civilibus armis.
Quin age, & hanc rerum vaſtam circumſpice molem.
Disjectas urbes, horrenda cadavera, eaſdem
Civibus, en, cernas propriis ingeſta ſepulcra.
Quid loquar, ut longâ conſumpta ætate fatiſcant
Marmora, & aëriæ montano in vertice cautes ?
Cœlum etiam ſua fata manent. populabit Olympum
Flamma vorax ; ſident terræ, miſcebitur æquor
Sideribus : jam jamque ruens diſſoluitur Orbis.
Fortior una adamante, & ſtellis altior una
Stat, mundi occaſus inter, mortalia Virtus
Deſpiciens, ſummumque volans ſuper emicat axem.
Illuſtres meritis animas, utcunque ſolutis
Membrorum elapſæ vinclis & carcere gaudent,
Semideûm adſcribit numero ac felicibus arvis.
Et lugebis adhuc, Princeps, quem vivida leto
Aſſeruit Virtus, Divorumque intulit aulæ ?
Vos ego, quæ nivium aggeribus, quæ montibus, Alpes
Extructæ nimborum ; &, Clauſtra Seguſia, ſævis
Rupibus armata & confertis horrida telis,
Appello. Vidiſtis enim, ſubitoque pavore
Intremuere juga & concuſſæ funditus arces:
Cùm primam Dux ante aciem, lectamque catervam,
Pectora præſenti juvenum devota periclo,
Tenderet, Alcidæ calcans veſtigia ; Franciſque
Invia geſtiret vaſtâ ſtraviſſe ruinâ.
At ſolido inſani ſubſidant corpore montes,
Terrificæ moles, & ſaxa minantia cælo :
Longavillææ monimenta perennia laudis
Stabunt, atque ipſo creſcens formoſior ævo
Ardua floreſcet geſtarum gloria rerum.
Ant Padus Rhodanuſque, mari torrentibus undis

Henrici laudes bellicæ.

Turbidus irrumpens hoſpes, maris inſtar uterque,
Deficient arente vado ; quàm ſplendida latè
Occumbant memores gemini per fluminis oras
HENRICI decora æternis defixa trophæis.
Qui vigor Herois, quàm non tolerabilis ardor !
Teſtes Allobrogum turmæ, teſteſque Salaſſi.
Sequanus, Auſtraſiuſque, & fractis Inſuber armis,
Germanuſque, feroxque Henricum ſenſit Iberus,
Turbine quo populos, quo fulmine proterat urbes.
Tuta ſitu, munita manu Dertona ſuperbam
(Centum alias ſileo) turritis collibus arcem
Summiſit Victori, & Gallica fræna recepit.
Conſilio dextrâque potens, palmaria ſigna
Gentibus attonitis circumtulit. inter & amnes
Arctatus quondam geminos, totidem hoſtica caſtra,
Ancipitíque malo preſſus, majorque periclo ;
Ut leo Maſſylâ venantûm indagine ſeptus,
Acrior inſurgens collecto robore, belli
Felicem explicuit per tot diſcrimina curſum.
Quid, quòd & hiberno ſpumantem gurgite Rhenum
Cymbâ tranavit fragili ; & diviſa phaſelis,
Virtutem ſimul arte juvans, innoxia Ductor
Agmina tranſvexit ? penniſque animiſque refectas
Terruit audaces Aquilas, teliſque fugavit,
Unguibus excutiens ac roſtro rapta cruento.
Mox illum tellus regali Veſtphala pompâ
Spectandum ante alios ; nec jam metuenda ferentem
Arma, ſed abſterſo Gradivi pulvere blandum
Adſpexit, ſtupuitque Ducem, cui jura fideſque
Credita Francigenûm, & Pacis commiſſa poteſtas.
Nec quiſquam Europæ immenſos componere motus
Dignior, aut Regum cauſſas ſolertior alter
Cernere, Chriſtiadiſque optatam condere Pacem,
Tres adeo, cœptis inſtans felicibus, annos
Et curas Paci addixit lætiſſimus omnes

Legatio Principis ad Tractatum Pacis Monaſterienſem.

Concilio in magno Procerum; quos undique, florem
Regnorum excerpens delectu Europa superbo
Miserat, augusti speciem molita Senatûs,
Unde novas populi leges requiemque laborum
Et prisco acciperent florentia secla metallo.
Jamque moras operum, & quales non ense recidit
Ille Asiæ Domitor, cæcis vincla aspera nodis
Ingenii superans acie discluserat Heros;
Ni studia Hesperius curasque eluderet hostis,
Pacis egens, sed qui Fortunæ mobilis æstum
Alternum expectans, duram sine honore quietem
Sperneret intereà & cassâ spe damna levaret.
Debitáne Austriadi Pax & servata puellæ,
Dotale à Superis munus? Regumque Hymenæos
Pignore firmari tanto, penitusque beari
Sic decuit geminas duplicato fœdere gentes?
Maturam confecta malis Germania Pacem
Arripuit; fortemque Ducis mitemque probavit
Unam eandemque manum, belli pacisque potentem.
Redde triumphalem Victori, Gallia, palmam:
Quas retulit bello exuvias, jam Pace revinxit;
Et sancto proprias ipsis cum gentibus urbes
Fœdere subjunxit patriæ, finesque vetustos
Protulit. armorum vim duram & ferrea Martis
Jure novo firmat placidus cum Cæsare jura.
Gallia Civilem, túque ô Germania, quercum
Nectite Pacifero! servatos utraque cives,
Tu magis, & partam Imperio gratare salutem.
Quanquam oleæ fragilem aut quernâ de fronde coronam,
Despicit ætheriâ Princeps nunc arce potitus,
Pacis ubi æternæ regio, æternique Triumphi.
Illic sidereum fronti diadema coruscæ
Induit, & silvæ numquam marcentis honores.
Hoc altæ de se potior victoria Menti

Virtutes Henrici variæ.

Extudit immortale decus, non indiga ferro,
Militis aut operâ ; non dextræ obnoxia ſorti.
Quàm variæ jactant mortalia pectora turbæ !
Spes avidæ, refugique Metus, & miſta Dolori
Gaudia inexpletos vulgi lactantia ſensus ;
Ambitio flagrans, ultricis & impetus Iræ,
Totque alii ſurgunt animis diſcordibus hoſtes.
Hos motus vitiorum, hæc, Carole, monſtra domari
Rara, vel Herculeas paſſim frangentia vires,
Ille tuus ſtravit Genitor : nec tam ille reductâ
Teutonibus, quàm compoſtâ ſibi Pace beatus.
Nunc terræ grave pondus, inertia corpora rerum
Pyramidas turreſque & nota palatia longè
Tranſvolat, & fœdo bacchantes agmine nimbos :
Sanguinei Martis ſignum, diroſque cometas
Sub pedibus, Lunamque videt, Caſuſque malignos,
Fortunæ inſultans ; certoque inſiſtit Olympo.
Sublimes inter Proavos, magnoque DUNENSI
Aurelianenſis Puella. Proximus ingreditur, Bellatricique Puellæ ;
Reddita quæ cœlo, ſpecioſis ignibus ardet
Francorum Heroïna jubar, columenque Britannis
Semiruti quondam ſolii, fatalis Amazon.
Aoniam Henrico famam debere fatetur,
Acceptaſque refert divino carmine laudes.
Ergo conſortem Superûm, & fulgentia templa
Laurigero invectum curru mœrere parentem
Quod genus invidiæ eſt ? Nam quæ majora vovere
Aut meliora Patri licuit ? ſolatia luctûs
Ampla tibi, & vitæ moriens exempla reliquit.
Providus ante obitum, populique Aulæque tumultus
Fugerat, & nemorum in latebras tacitoſque receſſus
Abdiderat ſeſe ; commercia quærere cœli,
Terrenis animum, quà fas, exſolvere curis
Sollicitus, vivoque abductam corpore mentem.
Quin etiam injuſſis delicta extinguere pœnis

Inſtituit, ſupplexque iras mollire Tonantis;
Loricæ aurato pro tegmine, texta ſevera
Indutus Cilicum, & Stygios armatus in hoſtes.
At laudis caput innumeræ, præque omnibus unum
Enituit, cœleſte, recens, memorabile factum.
Divelli, mandante Deo, ſua paſſus ad aras
Viſcera; turicremiſque imponens rite dicavit
Ipſe focis detracta ſibi & ſpirantia corda,
Primigenam, patrioſque volens mactavit amores.
Gaudet Relligio ſacris; Natumque Patremque
Francia miratur: nec debita præmia differt,
Et caro ſolidum appendit Deus æthera dono.
Qualis erat, cùm te alloquio Fratremque ſupremo
Plurima, jam leti medius, victorque doloris,
Edocuit, pulchriſque oneravit pignora juſſis!
Punica ſic Ludovix moriens ubi littora preſſit,
(Tantorum, ah, moriens operum ſub limine Princeps!)
Adſtantem erudiit Sobolem, monituſque ſalubres
Imperiis urgens, & pondus habentia legum
Exempla oſtentans, vicino accenſus Olympo:
Et jam conceptum ſpirabant pectora Numen.
Tu Proavum Indigetem, generis quæ gloria veſtri,
Suſpiciens, tanto dignum te finge Magiſtro,
Aſſiduus memores virtutum evolvere faſtos.
Letiferæ hinc odium noxæ, pietatis amorem
Diſce; jubet, factis monimenta ingentibus olim
Exſcribenda Pater tradens, chartæque perenni
Et fidæ mandata ſimul jura aurea menti.
Sic adeo tecum ipſe agita. Non proxima Regum
Nobilitas ſceptris & eâdem à ſtirpe profecta;
Non opibus crebriſque domus decorata triumphis,
Quantum impenſa Deo Pietas & ſplendida proſint
Obſequia, imperio & Francis meliora coronis.
Longè illi, queis dextra Deus, queis improba faſtu
Lingua Gigantæo, & Titanum immania corda,

Sub obitum Henricus ſupremа liberis mandata, quæ attexuntur, de ſcripto tradidit.

Longè abſint ; oculiſque nefas atque auribus arce ;
Neu tua Tartareæ contingant limina peſtes.
Nec minùs & ſi queis novitas afflata profani
Dogmatis, occultoque Fides tentata veneno ;
Et queiſcumque malas captari ſueta per artes
Gratia, non fauſtos dominis horreſce clientes ;
Illecebraſque omnes ſcelerum, contagia, ſordes
Disjice. nec vani ſpecie deluſus Honoris,
Non gazâ luxuque ferox, ſed fortibus auſis
Egregius, certas quondam Rege auſpice lauros
Spe jamnunc præſume, novæque accingere laudi.
Barbaricos ſensus & plumbea dicta refelles
Tu quoque victrici dextrâ, frigeſcere inertes
Doctrinis jactantûm animos & languida corda.
Præcipites cæcique ruunt, ac more ferarum ;
Virtutiſque umbrâ rapidum obtexere furorem.
An noſtras Macedo Juvenis non hauſerat artes ?
Segniùs an Perſas ingens poſtravit Alumnus ?
Pulcriùs & campo pugnax inferre Lyceum,
Mortis ubi imbuitur teneris contemptus ab annis,
Magnanimo CONDAEUS ovans cum Fratre docebit.
Quos Pater indixit, meritos agè reddere cultus
Perge tuis. Caro decus & tutela Nepoti,
Sidus uterque tibi mediis affulgeat undis.
Cetera quid referam magni præcepta Parentis ?
Sed tamen exilem, repeto, ne deſpice turbam,
Triſtiaque afflictæ miſerare incommoda plebis.
Aurea quos humili Proceres Opulentia vulgo,
Quos altus ſecrevit Honos, Clementia cœlo
Æquat adoratos populis, votiſque vocatos.
Cernis, ut Henrici exequias, ceu publica gentes
Funera pullatæ celebrant ? quo ſaucia luctu,
Sciſſa comam, laniata genas, velut orba parente,
Neuſtria ? ut Henricum Morini gemuere jacentem ?
Necdum animis priſci exciderant Prætoris amores ?

Illum etiam Helvetii flerunt monteſque lacuſque;
Et Nova, quæ ſummo gaudentia Principe nuper,
Nec domini alterius faſces metuentia Caſtra.
Quippe gravis nulli, atque alieno creſcere damno
Inſcius, & populis tantum exprompſiſſe juvandis
Vim ſolitus, patremque gerens; & corde benigno
Fovit amans, ſeu quas propriâ ditione regebat,
Seu quas Proregis commiſſas nomine gentes.
Sic facilem in cives animum, manſuetaque corda
Suſcipe; ſic veterum, Princeps, oracula ſanci.
Felices olim populos, felicia regna,
Si quando rerum melior Fortuna magiſtros
Deligeret Sophiæ gremio ac florentibus hortis,
Divinus cecinit cycnæis vocibus autor.
Tergeminum Rationis opus variumque laborem
Scrutatus, ne quà inſidians adreperet Error,
Arte obſtruxiſti; merſum caligine Verum
Eruere, abſterſoque ſagax depromere fuco.
At ne iſtâ pigeat, terris quâ te arduus effers,
Arce exoptatos patriæ deſcendere ad uſus;
Et quæ ſidereæ ſpeculatus vertice mentis,
Mox perfecta dare, & populis aptare regendis.
Verboſo ampullas ſtrepitu Zenonis inanes
Vita imples ſolidâ; dignos & Principe mores
Exprimis, ac molles ſuperas Virtutibus annos.
Maturum jam te Aula vocat, noſtroque revellet
Complexu; rumpentque graves docta otia curæ.
Sed priùs ad metas exacto Academica curſu
Emenſum ſpatia, & Circenſi pulvere ovantem
Proſequar uſque comes; nec vano ſedula fungar
Officio, dextrâque facem præferre juvabit,
Inter & ambiguos flexus calleſque malignos
Ducere inoffenſo vitam pede. Nunc age, & omnem
Arripe Naturam ſtudiis animoque capaci.
Aude, &, quis Naturæ Opifex; quæ machina Mundum,

Extulerit; terram informem tenebriſque ſepultam
Unde novâ cum luce color, pictique lepores
Imbuerint: totumque adeo cum Numine Olympum
Veſtiga, & pulcras agita me judice lites.
Fuſos ære globos, an tenuia corpora Mentes
Aſſiduæ volvant Superûm? ſtellæne vagentur,
Per mare quo piſces volucreſve per aëra ritu;
Sedibus an fixas propriis, claviſque rotarum
Aſſimiles, clavis adamante auróve coruſcis,
Incita multiplicis circumvehat orbita cœli?
Quæ Solis maculæ, obtuſa qui luce labores:
Unde vices Lunæ inſtabilis; quæ tanta poteſtas
Oceanum exercens, refluentibus imperat undis:
Unde imbtes ventique, & lurida flamma cometæ;
Inſolituſque olim Gallis tremor, unde Pyrenen
Movit, Aquitanas nuper graſſatus in oras?
Palladios quodcumque viros, operoſa fatigat
Ingenia, & vulgo ſummota arcana profano
Omnia colluſtra, denſiſque evolve latebris.

Exercitationes Philoſophicæ Caroli, ſumma laude plauſuque publico celebratæ.

Seu caſtris medius, ſeu campo egreſſus aperto,
Argutum exerces placido certamine martem:
Victricem puramque refers ſine ſanguine laurum.
Arrectis inhians animis immenſa corona
Circumfuſorum Procerum, dicentis ab ore
Pendet; & Actæo numquam exaudita Lyceo
Reſponſa accipiens, celebri ſonat undique plauſu:
Splendida & oracla, & Juvenis miracula jactat.

Hæc inter, ſolare pium, mea cura, dolorem,
Dum Famâ præſens, vivax dum laude perenni
HENRICUS, terraſque implet, cœloque beatus
Regnat, & ardenti reſpectat ſidere Natos.
Nec mora, inexhauſtos Patriæ ſolabere luctus,
Dum populi communis Amor, dum Gloria Franci
Nominis, ac Belli emeritus Paciſque Miniſter
Cernitur HENRICUS generosa in Prole ſuperſtes,

Augusto spirans vultuque animoque refulget.
 Talia fundebat sacri Regina Lycei,
Luce nitens purâ, & multo manifesta sereno;
Illustremque amplexa sinu mulcebat Alumnum.

NICOLAO COMITI SERINO EPICEDION.

SILVÆ crudeles, silvæ, queis Martia Virtus
Occubat, invictamque animam cum sanguine fundit.
Christiadûm SERINUS amor, terrorque Getarum!
Tantáne Apro jam semineci permissa potestas,
Quanta nec Ottomano collectis viribus hosti?
 Desidis impatiens, dum bello parcitur, otî,
Haud mollem venatum agitat. Quàm barbara mallet
Agmina, Turcarumque greges! sed pace coactâ
Ludicro interea silvas certamine miscet,
Proturbatque feras, & Martis imagine gaudet.
Mutato subiit requies operosa labori.
Ergo immanis Apri, mediâ sub morte, ferocem
Inter lustra fugam premit ardens invia victor:
Et jam desilit acer equo, strictoque coruscus
Obtruncare parat Serinus acinace prædam.
 Ah nimium confise animis, confise lacertis!
Vim compelle canum, flagrantis verbere plumbi
Desuper ingemina plagas, neu cominus æquo
Aprum invade solo. paribus quondam occidit ausis
Fortior Ancæus justo, Calydoniâ in altâ.
Spumosâ rabie atque suo se in sanguine versat
Vulnere fixus Aper. Quæ te malesuada cupido
Extimulat? spolia hæc tristi captanda periclo?
Tanti, informe caput? sed non revocabilis instat

Usque fero, & summos Venator destinat ictus.
Quid vos, ô, quorum exercent mortalia curas ?
Non ego te, Dryadasque tuas, Latonia Phœbe,
Quâ duce venantes olim, quâ præside freti,
Appello, veterum commenta & crimina Vatum.
At vos ætheriæ Mentes, queis credita vita,
Credita regna virûm, Genii ! tuque, optima Virgo,
Pannoniam, sacro devinctam munere, gentem
Reginæ imperio complexa, parentis amore !
Tuque adeo, humanæ vindex custosque salutis
Maxime, qui maria ac terras sublimis Olympo,
Christe, regis, præsens cuncta ad discrimina Numen !
Num decuit prohibere nefas ? (ah ! parce dolori ;
Publica damna queror) capitique avertere tanto
Insolitam exitii faciem, casusque cruentos ?
Vestris ille tamen sese devoverat aris,
Unde atras Ciconum tædas atque impia tela
Reppulit, exuviisque tholos distinxit ovantes,
Templa coronavit signis. decrescere visa
Cornibus obtusis, captivaque Luna pependit.
Nec minùs, Odrysiæ clades certissima gentis,
Christicolûm armipotens & ineluctabilis ultor,
Concidit, & cæso immoriens confunditur hosti.
Corpore inhorrescens toto, furiisque refectus
Venanti se immittit Aper : ceu saxea pila,
Adriaco violenta sinu quam machina adegit,
Jactu elisa tonant maria, & spumantibus undis
Tempestas insueta fremit. via rupta profundo :
Pondere anhelat humus, tramefactaque littora circùm.
Setigerum atrocem Heroï sic turbidus infert
Impetus. haud æquos animis palmaribus artus
Sternit bellua vasta, ferâque Erymanthide major.
Tum super insanâ dejectum mole recumbens,
Multa reluctantis jugulum rostro haurit adunco ;
Obliquum infigit repetito vulnere dentem.

Hungaria D. Virgini dicata à S. Stephano Rege.

Quo Zacaturnenſes infamat crimine ſilvas
Sævus Aper, funeſtum & non medicabile vulnus
Germanæque Aquilæ flebunt Venetique Leones.
Barbarico imperio metam, * frænumque furori
Præfixiſſe auſus, turritis molibus arcem,
Arx melior Patriæ, ac ſolido ceu murus ahenus
Pectore, Pannonicis ſtabas in finibus, Heros.
Turca nec erubuit crudeli inglorius arte,
Poſtquam Martis opes & vim conſumpſit apertam,
Immenſa fatale caput mercede paciſci :
Proſcriptum ferroque petît Sultanus & auro.
Omnigenâ ſed te florentem laude , Tuorum
Excubiis ſervarat Amor, Pietaſque Fideſque,
Magnanimum, impavidum, divinaque jura tuentem,
Scilicet & comites ducentem in prælia Divos.
Aſſiduè fœdâ prædonem clade ſuperbum
Vrebas infeſtus, agros populatus & urbes :
Parque novum adverſo compoſtum robore Mundus
Sultanum & Comitem ſtupuit : ceſſitque Tyrannus
Vana fremens, magnos ſolitus viliſſima Reges
Ducere mancipia, & Superos invadere faſtu.
Nec te Corvinus, nec te præſtantior armis
Hunniades, quamvis terrori natus uterque,
Turcarum exitio natus Patriæque ſaluti.
Et Scanderbegi poteras, ſi libera regna
Armorum nactus, famam ſuperare triumphis.
Ibas, laurigeri quò magna vocabat imago
Serini exemplis acuens. Fortiſſimus ævi
Ille ſui, corám Solimanno urgente, ducenta
Millia qui contra ſtetit imperterritus Heros.
Ter-quinos tulit aſſultus ; ter-dena Getarum
Millia proſtravit, lectiſſima corpora, leto ;
Et circumſeſſæ disjecit mœnibus urbis.
Indignantem animam caſtris effudit, honori
Extincto Solimannus atrox famæque ſuperſtes ;

Zakaturnum, arx Croatiæ, è ditione Serini; quam ad urbē dū venaretur, luctuoſiſſimo caſu interiit.

*Arcem extruxerat, unde crebram Turcis vaſtitatem inferebat.

Matthias Corvinus, Rex Hungariæ.

Nicolaus alter Serinus, olim Sigethi contra Solimanum propugnator;

Ut ſcopulo impactam fractamque hęrere Sigetho
Fortunam aſpexit, Mahometem & conſcia Lunę
Signa trucis fruſtra incuſans, altoque ſubactus
Serino latè dominos ſummittere faſces.
Te Mauſolęum Solimanni exſcindere vidit
Urbs eadem, vaſtâ duplex quæ ſepta palude
Belligeræque artis vario munita labore,
Exiguis Duce te raptim ſuperata maniplis.
Geſtit & illuſtrem antiqui rata Vindicis Umbram
Elyſio reducem ; aut, cæli ſtatione relictâ,
Nomine Avum egregii redivivum animoque Nepotis.
Ultro hic decretâ jam morte ferocior, arcis
*Correptę flammis quando ſpes nulla tuendæ,
Hoſtiles ruit in cuneos, confertaque tela.
Non artus loricâ, aut caſſide tempora veſtit :
Ære indefenſum pectus, caput ære levatum
Conſecrat, in patrio tantùm mucrone brevique
Parmâ alacer. pennis candentem adamantina criſtam
Pala attollebat, nitido ſuffixa galero.
Aurea ſeu pulchro venturę à vulnere mortis
Pręmia, ſeu juſti, nummos, pretia ampla ſepulcri ;
Et tunicæ aſſutas Cuſtos fidiſſimus arcis
Geſtabat claves, non ipſa in morte relictas,
Multo quęſitas Turcis certamine claves.
Puniceóque ſago, totoque inſignis amictu,
Munera cara parans hoſti, ſpeciemque triumphi
Inſtituens, portis ſeſe extulit acer apertis
Sulphureos inter nimbos, volucrumque globorum
Quas retro diſploſa vomunt tormenta procellas ;
Haud leviùs ſtragem ipſe, manu ſtipante ſuorum,
Fulmineo accumulans gladio. mox feſſus opima
Cęde cadens, & morte gravis, Janiſſarûm acervos
Uſque premit, Turcis etiam poſt fata tremendus.
Quin ſimili occumbis leti dignatus honore,
Non morte informi ſaltus, Serine, cruentas ?

Antè quidem in ſilvis fato deprenſus iniquo,
Obſidium meditans claram explorator ad urbem
Dum paucis comitatus adis per operta viarum,
Ipſe fero incurſu Turcarum obſeſſus & armis
Hæſiſti, ut denſa venantum indagine cinctus.
Nec, captum, potuiſſe capi miratur & horret
Inſidians, laqueo ingenti vinxiſſe paratus,
Summum Threïcio munus prædamque Tyranno
Omnibus optatam votis, pretiiſque redemptam.
Plurima te Virtus, validi ſola agminis inſtar,
Expediit, præſenti increſcere docta periclo.
Fulguris & ritu condenſam erumpere nubem
Viſus eras. non tu effugio contentus aperto,
Agmina circumfuſa metis, palantibus inſtas.
Nequicquam armorum genus impenetrabile Ductor
Barbarus induerat, magicis fortaſſe venenis
Imbutum & Stygio firmatum carmine tegmen;
Ferri ex quo chalybiſque acies, plumbi ignea grando,
Indomito ſtridens adamante obtuſa, reſultat.
Prædæ præda ſuæ, & fidis obtritus in armis
Mactatur, laqueo nectendus colla parato.
Haud ita, Pœnorum ſeſe agglomerante catervâ,
Emicat, incurſuque leo venabula frangit
Latronumque minas, ut Thracia corpora paſſim
Fundis humi. Túne Odryſiis ſuccumbere telis
Inſcius, aprugno potuiſti occumbere morſu?
Viderat exanimis, tragicoque Croatia caſu
Perdita: tum mœſtis incendit vocibus auras,
Et magnum lamenta præit geminanda per Orbem.
Heu furor, heu monſtri facinus! ferrum inter & ignem
Incolumis, pugniſque aſſurgens omnibus Heros
Altior, indignæ potuit ſuccumbere morti!
Nate, dolor Matris, Genitricis gloria, Nate,
Huccine tot parti bellis recidêre triumphi,
Victor ut indecori confectus denique leto

Sic jaceas ? hæc Virtutem pretia ampla manebant?
Aſt ego Biſtonias metuebam improvida turmas,
Vimque dolumque tibi ; ſeu cùm reſcindere Pontem
Eſſekium auderes, Getici commercia Martis ;
Turbine ſeu rapido medios invectus in hoſtes
Omnia cùm ferro miſceres, omnia flammâ.
Ottomanæ ſed nil fraudes, Byzantiáve arma :
Formidandus Aper, ſaltuque exercita Pacis
Otia monſtrifero. Nam quò te fata reſervant !
Comes Strozzius, Serini priùs collega, occubuit ad oram Muræ fluvii.
Strozziadæ invideas, ſi quid, Fortiſſime, ſensûs
Reſtat adhuc. trajectu avidos dum fluminis arcet
Oſmanidas, glandem flammatam fronte recepit,
Splendidaque æternam retulit ſub funera laurum.
Tu felix, pulcramque necem ſortitus, & iſto
Dignam animo, captis Byzantî mœnibus ingens
Corrueres, Cruce purpureus Scythicoque cruore.
Hoc miſeranda tamen, Princeps, ſolabere fata.
Jam tibi ſat decorum, congeſtaque præmia laudis.
Eximii ſimulacra Ducis volitantia longè
Per populos latéque coli tua novimus ora,
Grandiaque immenſo celebrari nomina plauſu.
* Chriſtianiſſ. & Cathol.
Et tua longinqui jactant præconia * Reges :
Diversâque Aulâ, geſtis miracula rebus
Gratantes, donis abſentem inſignibus ornant :
Gloria & auguſtis manibus te Fama coronat.
Invictus, Serine, viris, victique ruinâ
Oppreſſus ; tum caſtra petis fulgentia Divûm,
Cæleſtem poſt ſacra ferens certamina palmam
Junctus Avis, meritoſque agitas ſuper aſtra triumphos.
At mihi quæ tanti fuerint ſolatia luctûs ?
Tu Scutum & Gladius Patriæ ; quo ſoſpite motus
Nunquam Threïcios expavi, Oſmannica bella ;
Quo Duce magnanimas inter caput ardua gentes
Extuleram, præcincta novis Regina trophæis.
Nunc Thracum effrænis expoſta incurſibus, orba

Præsidio, quid agam? ni tu, clarissime, Fratris,
Petre, vicem partesque subis, lux altera Regni
Spesque salusque mei. nec tu sacrata ciere
Bella rudis, Thracumque fugacia cædere terga.
Tuque agè fulminei vires animosque Parentis,
Expectate, refer, laudesque haud degener imple,
O Juvenis! per nota parem vestigia gressum
Strenuus accelerans: & Avorum ingentia facta,
Et Pater & Patruus sublimibus excitet ausis,
Serine, Odrysio nomen fatale Tyranno.

Frater Nicolai, dux & ipse fortissimus.

Hos inter gemitus complexa Croatia natum,
Semianimemque fovet gremio, siccatque cruorem.
Pannonia excepit luctum; planctusque secutæ
Stiria, Carniola, & pallente Carinthia vultu;
Austriaque, & comites trepido circùm agmine Nymphæ
Mœrorem ingeminant, lessumque Europa frequentat.
Attonitæ lugent ceu publica funera gentes
Christiadûm: at festis collucet Turcia flammis.

DE NECE

PETRI COMITIS SERINI

APPENDICULA.

Tu quoque tot palmis olim spoliisque superbus
Quàm meliùs Turcâ cecidisses victor ab hoste!
Quàm meliùs vel Apro victus, Serine, jaceres!
Heu, qui præcipitem casus? qui te ambitus egit,
Aut ultricem animus versans malè providus iram?
Ah miser, & tragicæ exemplum lacrymabile sortis!
Hoccine atrox, immane, horrens tibi fata theatrum
Servabant infesta, cadens ut Cæsaris armis
Damnato imbueres funestum sanguine ferrum;

ALPHONSO MANCINO,

LESSUS.

ITE, & feralem MANCINO ducite pompam,
O miſeræ, ô pullâ mœrentes cyclade Muſæ.
Occidit, heu! Clarii decus & ſpes aurea montis.
Præfica Calliope, ceu quondam in funere Nati,
Crudeles clamet Parcas, crudelia fata:
Et graviùs, quàm cùm Spartanâ Hyacinthus arenâ
Concidit, ac niveos fœdavit ſanguine vultus,
Lugeat & gemitu flores inſcribat Apollo.
Sidereo exutus flagrantem murice pallam,
Pro viridi lauru, roſeæ pro lucis honore,
Cæſariem impexam taxoque atraque cupreſſo
Induet, horrificáque caput ferrugine condet.
Hac ſpecie ſordens, verſoque inglorius ore,
Squallenti lamenta Choro, luctuſque perennes
Præcinet, attonitumque implebit queſtibus orbem.
Fangere, Mancino amiſſo, dolor iraque ſuadent
Cum citharíſque lyras, atque omnia carminis arma.
In lacrymas totis Parnaſſus fontibus exit.
Ite, jubet Phœbus, feralem ducite pompam,
O miſeræ, ô pullâ mœrentes cyclade Muſæ.
Jam molles vincentem annos ſuper ardua Pindi
Pegaſeo ingenii vis egerat ignea curſu.
Jam quater inſignem Parnaſſi maxima præſes, (In pariſi. Collegio Claromontano S. J.)
Candida vittatâ circumdans tempora lauro,
Extulerat Themis, & donis regalibus auctum,
Annua quæ doctæ LODOÏCUS præmia pubi
Conſtituit, ſtudiis acuens certantibus Artes.
Dædalias ſcit Fama manus, operoſaque Templa, (Avunculo carmen, Templũ Famæ inſcriptum, obtulerat.)
Præſenti auguſtus quæ numine JULIUS implet,
Primitias Pueri ingentes, pulchrumque laborem.
Hei mihi, quòd tantis operari haud longiùs aris
Conceſſum,

Concessum, & noto solennia reddere vota
Indigeti, festas Jano referente Calendas!
Vivit opus, solidoque ingens stat marmore Templum:
Ipse fuit, pheretroque jacet lacrymabile corpus.
At Famæ lugubrè sonat tuba; lumina fletu
Cuncta natant, vulsæque fluunt cum sanguine pennæ:
Et salsus delubra obiit nigrantia sudor.
Vos Templi Artifices testor, Templíque ministras,
Nunc miseræ, & pullâ mœrentes cyclade Musæ.
Tu quoque Celtarum gaudens jactare triumphos,
Belgica quos JULI auspiciis dedit ora recentes,
Nunc agè ferali, Mavors, accedere pompæ,
Præreptumque tibi ALPHONSUM lugere memento.
Romanæ quem tu florem virtutis, & alto
Sanguine majores animos in bella gerentem,
Parcarum invidiâ, & fato, Mars, perdis acerbo!
Jam tibi se Regíque acer devoverat ultrò,
Heroum in laudes, magnumque in nomen iturus.
Parisiæ impubem tegeret licèt umbra palæstræ,
Musarum illecebris & non ignobilis otî
Dulcibus intentum curis placidæque Minervæ;
Jam tamen ardentes agitabat pectore pugnas,
Aonia & sociis miscens certamina victor
Ludicrâ innocui specie Mavortis ovabat.
Ducite Mancino, feralem ducite pompam.
Sic, ubi natalis tenerum spelunca leonem
Inclusit, fulvæ crescentem ex ubere matris,
Cui neque robur adhuc, necdum juba vestiit armos;
Jam fremitus tentat patrios, caudæque lacessit
Verbera, primævosque irasci discit in ungues,
Erumpítque animis, & rictu sævit inermi.
Sic rudibus vivos ignes versabat in annis
Belligeræ virtutis honos, stimulísque premebat
Alphonsum, magnoque exercita pectora Phœbo.
Plurimus ante oculos Frater, civilis Enyo

Paulus Mancinus commiſſo ad portam Lutetiæ Antonianam prælio cæſus.

Cùm rapidos ageret cognata in viſcera Gallos,
Purpuream qui dena animam per vulnera fudit;
Troilus invicto qualis congreſſus Achilli
Dardaniæ ad muros cecidit, portiſque ſub ipſis,
Mirandus pariter juvenis, miſerandus & hoſti.
Atque ea Germani occurrens morientis imago
Alphonſum exemplis fata ad majora vocabat.
Nobilius Fratri invidit letum æmulus ardor.
Ducite, Pierides, feralem ducite pompam.
Illum & cœruleo turbatus gurgite Thybris,
Regalemque urnâ diffundens Sequana lympham
Flebant, & vaſto reſonabant littora planctu.
Officiis funus paribus commune frequentant
Hinc Franci, hinc Latii. Nec matri cedit honore,
Quæ fido illuſtrem gremio pia fovit alumnum
Lutetia, & Romam tendit viciſſe dolendo.
En, Clarum obvolvunt ut triſtia nubila Montem,
Lætus ubi ingenuis dociles Puer Artibus annos
Excoluit, nitidaque tulit de fronde coronas!
Rex etiam, Rex, quo meriti non arbiter uſquam
Certior, ereptos leto ſibi luget amores,
Lilia ceu dejecta ruentibus æthere nimbis,
Paulumque, Alphonſumque, & nomina cara repoſcit,
Nomina Gradivi faſtis Phœbique notata.
Ducite, Caſtalides, Mancino ducite funus.
Omne rapax Libitina caput, diſcrimine nullo,
Illidit tumulo, inſultans. Nil florida vere
Primo ætas, formæque decus flexere furentem:
Sed neque crinales lauri, neque clarior aſtris
Purpura, Fortunæque omnis congeſta ſupellex.
Hos adeo incurſus, & ineluctabile fulmen
Borboniâ excepit ſublimis Julius aulâ,
Immitique Suos conſumptos funere vidit.
Hoſtiles animos toties, vireſque ſuperbas
Conſiliis armiſque invictus contudit Heros:

At sævam evaluit Lachesis quis frangere legem ?
Cùm sanctæ inferias atque annua justa Sorori
Solveret ; ecce aliud funus supèr, addita Matri
Extinctæ Soboles, luctum integrat, atque cruento
Pectoris augusti rescindit vulnere vulnus.
Parcite, Fata, graves producere longiùs iras ;
Privata ne clade suos Dux ipse triumphos
Atterat ; & , Francæ dum gaudia publica gentis
Instaurat, simul ipse novo pugnare dolori
Cogatur, durasque vices superare ferendo.
At vos Mancino feralem ducite pompam,
Heu miseræ , heu pullo mœrentes syrmate Musæ.
O vitreas hominum spes , & ludibria rerum !
Stellatis circumvolitans blandissimus alis
Mancino ridebat Honos ; geminisque ferebat
Sacrorum hinc decora, hinc belli decora obvia palmis ;
Murice fulgentes trabeas, rutilosque Galeros,
Alphonsique oculis rutilantia gratiùs arma
Jactabat, cœloque animum tollebat ovantem.
At subitò immani media inter talia lapsu
Involat, & tristi Puerum Mors obruit umbrâ.
Fallax, heu nimiùm fallax, quæ mollibus vlnis
Ambierat, dulcemque sinu lactabat Alumnum
Fortuna, & plenis influxerat aurea rivis !
Perfida mox tenerum, ludoque assueta procaci
Rejicit, & summo insontem rapida excutit axe.
Quem Latia ardebat certatim & Gallica tellus,
Occupat infelix pheretrum, prædaque potitur.
O curæ fragiles ! ô vota caduca Potentum !
Ite, & feralem Mancino ducite pompam,
Ah miseræ, ah pullâ mœrentes cyclade Musæ.
Ipse quidem nullo celeres fugientis in auras
Fortunæ desiderio, casuque movetur :
Nec largum in socios, & opes diffundere pronum,
Parca tenacem animæ, vitæque incuset avarum.

Dignior & tantò lacrymis luctuque perenni,
Qui gemitum Alphonsius cruda inter fata repressit
Maturâ virtute potens ; animumque virilem
Extulit, afflatusque hausit propioris Olympi.
Illic, emeritam Pietas quam vivida morti
Eripuit, superas Genitrix Heroïdas inter
Dilectæ occurrit Soboli, gremioque receptat
Lætam, exultantem. Non hæc Parnassia Famæ
Templa, inquit ; sed quam fundavit Gloria molem,
Nexilibusque astris solidoque adamante coruscam.
Has, Alphonse, domos, hanc summi Numinis arcem
Ingredere ; & cœlo jamnunc assuesce fruendo.
Quàm metui, ne quid facies tibi blanda noceret
Pestiferæ Sirenis, & illætabile carmen ;
Ambitio præceps, aut insidiosa Voluptas !
At breviora tibi puræ compendia vitæ
Descripsit, placitamque animam properavit in astra
Cœlicolûm Genitor terris educere iniquis.
Has olim sedes æternaque templa capesset
Noster, & imperii consors in parte sedebit
Julius, atque alio victor spectatus in ostro
Post martem edomitum latè, prostrataque monstra.
Huc, Fidei asserta pro majestate, triumphum
Invehet, ætheriisque addet sua Sidera campis.
Dixerat ; & Fratrem ostendit, formosa gerentem
Lilia, gemmiferisque insignem tempora palmis,
Nec jam mortalis securo flore juventæ.
Fortunati ambo, nullum quos dividet ævum
Faterno amplexu, neque dulcia vincla resolvet !
Natorum media æterno pascetur amore
Mazaris, Ausonias inter clarissima matres :
Ledæis Geminis par Fratrum illustrius ibit
Signiferi antiquos inter crescentis honores.
Ite, & cœlestem Mancino ducite pompam,
Jam lætæ, ac nivea splendentes cyclade Musæ.

Hieronyma Mazarina, spectatæ virtutis matrona.

CURRUS GLORIÆ
JULIO CARD. MAZARINO
IN TRIUMPHALEM E BELGIO REDITUM AN. M. DC. LVIII.
VARIA RERUM INSIGNIUM Principumque virorum imagine cælatus.

SCANDE triumphalem, JULI, quem Gloria currum
Admovet insignem palmâ, spoliisque nitentem
Belgarum; quales nec Martia Roma quadrigas
Gentibus accepit domitis, quantasque nec ipsa
Fabula procudit, vel Phœbus rexit Apollo.
Nonne vides fronte in primâ rutilantia longè
Sidera, laurigeroque evinctas fasce secures,
Romani specimen generis, sub luce galeri
Purpurea? tantus domino cui serviat axis,
Præfixa ostentant heroæ insignia sortis.
Circùm efficta micant laudum monimenta tuarum,
Cælatique auro spirant, decora alta, labores
MAZARINE: sacros currus Victoria vestit.
Quà latus excurrit dextrum, Mavortia tractu
Porrigitur vasto Germania; truncaque ponit
Sequanæ ad imperium captivus cornua Rhenus:
Et, Rheni quæ longa sedent per littora * Nymphæ,
Turrigeram ingenti submittunt agmine frontem;
Pacificæque tibi munus gratantur olivæ.
Continuò Imperii fines, Germanicaque arva
Excipit, ac veteri Domino parere fatetur
Belgica inexhaustis tellus generosa triumphis.
Retheli palmam hîc duplicem, fuso hoste, recepta
Urbe, manu legis ipse tua, fortissime Juli:
Debitaque Atrebates civilis præmia quercûs

* Urbes à Tràcis in Germania captæ.

Pax Monasteriensis.

Belgicæ victoriæ.

Purpureæ attexunt fronti, obſidione ſoluta,
Direptiſque hilares caſtris palantis Iberi.
Dehinc Medium aſpicias dejecto vertice Montem,
Caſletumque premi, & celeri Venantia nuper
Mœnia rapta manu. Hîc ſeries denſiſſima rerum ;
Quattuor immanes repetitæ ſtragis acervi,
Innumeræque urbes, tot Ibero ex hoſte trophæa.
Congeſtæ aſſurgunt prædæ : Scaldiſque fugaci
Amne jugum indignans, & fracto debilis alveo,
Liſaque jam fræni patiens, domituſque Moſella
Argento hîc ſpumant ſolido, nec jam ipſe recuſat
Oceanus Franco ſævum addixiſſe tridentem,
Et ſocias famulo ſubvectat corpore claſſes.
Rurſum injecta ſibi Mardiko ſenſit ab alto
Vincula ; Dunkerquæ mutatas ſenſit habenas ;
Et Gravelingæ capta ſimul arce ſecutus
Borbonidæ imperium, toto jam Celticus optet
Ire mari, atque eadem Belgas data jura per omnes,
Singula quæ vivis opifex ſplendeſcere ſignis
Edocuit ; factis, Juli, tu grandibus ornas.
Hîc etiam fulvum ex auro molita leonem
Fabra manus. multo conciſus vulnere membra,
Gallorumque metu ſpeluncis abditus horret.
Ille quidem obtritos iraſci tentat in ungues ;
Sed caſſus furor, & rugitus fingit inanes.
Nimboſa apparet diverſa in parte Pyrene,
Celtarumque memor quæ nomen Iberia ſervat.
Rosæ, urbs in Catalania. Hinc formoſa Roſis nectit Galatea coronam,
Liliaque Hiſpano perfuſa cruore rubeſcunt.
Tum dextri plaga quà Currus ſeſe extima tollit
In ſellam ; Romæ, unde ſacer te, Maxime Juli,
Tranſtulit ad Francos Genius, collucet imago
Tyrrhenumque fretum, ſcopuliſque minacibus Alpes.
Pacificatio Casalensis &c. Quàm læta Italiæ ſpecies ! exordia magni
Magna refert fati, jactatque operoſa Caſalis

Fœdera. Jam compoſtæ animis hoſtilibus iræ,
Redditaque Allobrogum trepidæ pax civica genti.
Gallica nec longè Tuſco volat æquore claſſis,
Neptunique arcem geminam rapit. intremere omnem
Auſoniam, & pavido credas pallere metallo.
At propiùs Francas experta Valentia vires:
Eridani lætis adoleſcunt lilia ripis.
Addua nequicquam caſtris munitus Iberis,
Sponte ferox tumiduſque, alto nil gurgite curſus
Belligeros Gallorum, & fortia cœpta retardat.
Adverſo inſultans Mutinæ Dux trajicit hoſti,
Perrumpitque obices. medio ſeſe arduus effert,
Nec genitore minor, pugnæ Almericus in æſtu.
Inde operi, laudique acer Navallius inſtat,
Ah, fragilem ardenti trajectus glande galerum;
Inſubrumque quatit campos, urbeſque fatigat:
Jam Mediolani portæ pulſantur, & arces.
Mortaræ incubuit rapidi vis horrida Martis,
Et Lodoïcæos victoria clarat honores,
Indigetis teſtata manum, caroque Nepoti
Impenſum Proavi regnato ex æthere munus.
Franciadum auſpiciis an lux felicior, & quâ
Gentiles potius liceat ſperare triumphos?
Hac eâdem Atrebatis exuta Hiſpania caſtris;
Funditus oppreſſi ſervatis civibus hoſtes.

D. Ludovici feſtus dies victoriis inſignitus.

Parte ex adverſa Currus tibi credita, Juli,
Gallia, & ancipiti toties exercita caſu,
Explicuit campum immenſum, laudiſque theatrum,
Quo tua ſe populis Virtus, ævoque ſequenti
Approbet Invidiæ domitrix, ſortiſque ſiniſtræ.
Namque opifex lætis aſpergens mœſta recenſet.
Proxima deliciis mollem faſtidia vitam
Excipiunt: & ſæpè acuunt ſe rebus acerbis
Dulcia quæ obtuſo languebant gaudia ſenſu.
Prima renidentis facies lætiſſima Regni

Regis pueritia triumphalis.

Enituit : puro Zephyri tantùm aëre ludunt ;
Candida purpureis plaudit Victoria pennis.
Rexque puer, tua cura, tuo venerabile pignus
Depositum gremio Patris morientis ab ore,
Clara ministeria, & partos miratur honores ;
Jamque triumphatos victor supereminet hostes.
Ac tibi, pro meritis, toto se infundit amore,
Auspice quo virides fundunt cunabula palmas,
Crescentesque videt lauros crescentibus annis,
Jam miris prægressus avos puer inclytus orsis.
Ecce autem Stygius prorumpit ad æthera turbo,
Ardentesque inter Furias Discordia demens,
Civiles motus. Civili Gallorum animos, in mutua fortes
Funera, præcipitans certamine. protinus omni
Parte tremunt concussæ urbes : ruere omnia visa.
Tela inter medius, ferrum undique & undique flammam,
Heu ! Paulus cadit ille tuus, quo gratior alter
Non fuerat Juvenis Regi, non fortior armis ;
Mancinæ spes gentis, amor dulcissimus Aulæ.
Illum exspiranti similem, similemque gementi
Extudit Ars, lacera inclusam dum viscera mortem
Glande gerunt plumbi accensâ ; solatia quanquam
Magna ferat leti, Regis quòd victima tristes
Occidit ante oculos. nec tantum vulnere deno
Sanguinis, æterni quantum profluxit honoris.
Sanguine tu caro aspersus ; quoque icta Sororis
Progenies, crudo transfixus vulnere corda,
Exuperas hostemque armis, animisque dolorem.
Sic tu Fortunæ, Juli, congressus iniquæ,
Tartaream extinguis pestem : & Prudentia victrix
Per populos altâ spectata in luce triumphat
Turbine sub tanto, & cæci caligine regni.
Pulsa infelici rediit Concordia Regno:
Extorti manibus gladii, tædæque furentum ;

Sanctaque præteritos merſere oblivia motus.
Vindice te, læſos Princeps inſtaurat honores,
Prodigus & veniæ Princeps, parcuſque cruoris;
Regiaque inſcribit Patriæ Clementia Patrem.
Læta ſerenato ſuccedunt undique cœlo,
Donec in extrema lævæ regione curulis
Cernitur incumbens ſtratis, letoque propinquus
Borbonides, febri, heu, miſerùm correptus anhelâ.
Antè quidem ingreſſus caſtris victricibus Heros
Geſta recognoſcit Turenæ, operumque labores
Colluſtrat, campumque hoſtili à cæde recentem.
Sanguine fumat adhuc, ſegetemque effudit Honoris
Purpuream, & magnæ ſervat veſtigia famæ.
Dunkerquæ bis-capta equitat per mœnia Princeps,
Victor ovans; legeſque viris, & jura reponit,
Sedulus intactâ pro majeſtate ſacrorum.
Nec Morbi inſidias, Febrimque labore calentem
Reſpicit, ille etiam, propiùs dum ſingula luſtrat,
Projecti (ut perhibent) graveolenti corporis aurâ
Afflatus. ſed enim concepta incendia venis
Diſſimulat, ſedem repetens, aulamque Caleti,
Succeſſu lætus rerum, majorque triumpho;
Victoremque pudet morbo ſuccumbere inerti.
At ſuperante malo (quid enim mortale reſiſtat?)
Rex hominem afflicta demum virtute fatetur.
Non tamen ille Ducum, proprio in diſcrimine, torpet
Immemor, excepto decorat quos vulnere pugna;
Quidve agitent ſani, expoſcit, qui curſus agat res:
Quâque licet, ſua ſigna animo, bellique tenorem
Perſequitur, curaſque ægro ſub pectore verſat.
Interea ſordentem Aulam, ſuſpenſaque mutis
Arma tubis, ipſumque adeo lugere Triumphum,
Et caligantes mœſtâ formidine cernas
Pariſios, Morinoſque & Franci quidquid ubique eſt;
Pœonios trepidare ſenes, Regnoque minantem

Regis, poſt expugnatam Dũkerquam, morbus Caleti.

Interitum horrentes, ſtudio diffidere, & arti ;
De cælo veluti tactas horreſcere gentes.
Fida comes Regem Pietas, & fervida Vota
Circumſtant, vigilemque animum ſuper æthera tollũt.
Tum cælo Elicium Numen deducere adortæ
Relligio, ſacrique Fides non inſcia cultûs,
Quotquot iêre dies, penetrali in ſede litatum
Cominus oſtentant, hominum Vitamque Salutemque,
Et cupidi invitant cupidum ſub pectoris aulam.
Decumbenti adſtas ; & motus anxius omnes
Obſervare mali, tacito ſuſpiria corde,
Eruptura ultro, cohibes ; timidoſque medentes
Hortaris, Juli ; & Matri ſolatia feſſæ
Crebra ciens, meliora jubes ſperare merentem.
Nec temere, longo febris jactatus ab æſtu,
Collectâ jam mente, ſibi jam redditus Æger
Ore vocat ; propiuſque toro ſuccedere juſſum
Te, Juli, affari, rerumque arcana videtur
Pectore flammato tutam deponere in aurem.
Scilicet inſignem ante alios teſtatus amicum,
Hoc fidei, rerum ſupremo in cardine, pignus
Exigit : armatas fraudes, & bellica furta
Qui toties acri nudaris providus arte ;
Incautum ne mors tacito pede lubrica fallat,
Dum Reginam horror quatiat præſente periclo,
Ipſe adeas, rebus non ſic accepte ſecundis,
Nuncius inſtantiſque, & non reparabilis horæ.
Hæc virtus, hæc ſumma tui fiducia, Juli ;
Sic Pietatem hauſit, gaudetque occurrere fato.
Quâ vox illa animum nece tum confecit amantem !
Purpura pallorem traxit ; miſtaque verendus
Majeſtate Dolor, ſculpti toto eminet ore.
Verſa tamen Morbi in ventos ceſſere pericla :
Detonuere poli, & vacuæ ſine fulmine nubes.
Currus ubi lævam ſellæ conſurgit ad oram,

Mazarine, tibi melior jam arridet imago.
Vicit, iô, ſupplex averſum Gallia Numen ;
Maternæ vicere preces, vicere PHILIPPI
Fraternæ lacrymæ, & felicis cura Miniſtri.
En, meritis fecunda, pioque enixa dolore,
Quem cœlo expreſſit, terris partum ANNA retentat,
Aſſerit & Francis divinum ſoſpita pignus.
Et natalitiam referunt Soteria lucem,
Ac ſuperant, caro experti jam muneris uſu.
Tunc pretium ignotum, ac teneri ſpes una puelli.
  Gaudia ſecuro paſſim volitantia Regno,
Servato pro Rege, vehit formoſius aurum,
Brutaque lætitiæ ſenſus hauſere metalla,
Quæ priùs immenſo confuſa Lutetia luctu,
Suppliciter mœrens, ariſque affixa pependit,
Emicat hîc rutilis in flammam accenſa pyropis.
Concurrunt urbis Proceres, ingenſque Senatus.
Ante omnes, Princepſque togæ Seguerius ibat,
Et pompam, pietate gravis, ducebat ovantem.
Templa ſonant cantu ; feſtis micat ignibus aër ;
Ignibus ardentes vici, fluviuſque relucent ;
Bacchæi totam latices fluxêre per urbem :
Cunctaque ſollenni gratatur Francia ritu.
Qualis, ubi obſtructi defectu exterrita Solis,
Voluitur in noctem & pariter cum Sole laborat
Natura, & mœſto ſumit lugubria mundo.
At ſimul obſtantem latebroſo corpore Lunam,
Tranſiit, offuſaque velut redivivus ab umbra
Emicuit Titan, victriciaque ora retexit
Aureus, & roſeo latè ſpectabilis igni ;
Explicat abſterſâ nitidos ferrugine vultus,
Viſaque jam Natura ſuo cum Rege renaſci eſt.
Jam rebus cum luce redit color : omnia læta :
Ipſæ etiam pecudes, ipſæ gaudere volucres,
Æquora camporum, & rigidis juga conſita ſilvis.

Regalem invehitur curru Lodoïcus in urbem,
Obvia quæ excuſſis procurrere mœnibus ardet,
Geſtitque, & plenis cives agit undique portis.

Deiparæ Virgini Aſſumptę Rex Pariſiis acceptam ſalutem victoriaſque gratulatur.

Chriſtiparæ Princeps hoſtilibus inclyta ſignis
Soſpes init templa, & feſto veneratur honore.
Nimirum Dominæ primâ devotus ab alvo,
Regna ſuper; pompaſque ſuas, ſua ſacra quotannis
Rite colens, patrii renovat ſollennia voti
Borbonius: munuſque ſuum Patrona tuetur.
Quid repetam cæſas acies, direptaque caſtra,
Edomitaſque urbes, tranſvectæ ſidera Divæ
Auguſtam ſolito lucem ſignare Triumpho?

Epiſcopus Ruthenenſis, antea Regis in pueritia Præceptor, Carnotéſe, ac Salmurienſe Virginis templa pedes adiit, Ludovici nomine, votum in morbo conceptũ perſolututus:

Accelerat mitra effulgens, lituoque Rutheno
Antiſtes, Paſtor populi, Regiſque Magiſter,
Et longum metitur iter pedes. Addidit alas
Regis Amor, Pietaſque: urbes mirantur euntem.
Virgineis lætus templis Regalia Vota
Perſolvit: Magnæque dicat quæ ſplendida Matri
Munera, Victrici Morborum appenſa trophæa.
Teſtatur Carnotum ædes, venerataque Crypta,
Myſticus unde animis, & Divæ conſcius horror
Funditur, antiquo Druidum clariſſima cultu.
Sponte Salutiferæ ſacrato Virginis antro
Myſtarum pia turba, novemque operata diebus,
Anguſtis in rebus opem, Regique ſalutem
Ambierat voto, & notam prenſaverat aram.
Salmurii paribus decorata altaria votis
Cœruleus Ligeris gemmatâ ſuſpicit orâ.

Ergo age, nec dubiam tanto, Regina, Clienti,
Sic memori gratoque favens, defende ſalutem:
Da pede inoffenſo faciles evoluere curſus
Annorum, & factis ingentem extendere vitam.
Quem natum, & Franci revocatum à funere debent,
O, proprium annueris, & non revocabile donum,
Belli ferales converſo cardine portas

Dum claudat, mox Odrysium ducturus in hostem
Olim Asiæ spoliis, domitoque Oriente superbos
Francigenas, Proavum fato meliore secutus.
Hac ibit. Satis ipse sibi jam vixerat Heros,
Longævus, si Regum ætas censenda triumphis;
Sat patriæ nondum, & fatis. majora supersunt;
Debent astra fidem, & secli venientis honores.
Julî consiliis aperit se longior ordo:
Hic & fata reget; finget Prudentia sortem
 Postquam omnis cecidit languor, viresque refectæ;
Aspice, degeneri fugiens torpere veterno,
Venatu indulget Princeps, * per florea culta
Quà nitidæ Fons agmen agit crystallinus undæ.
Nunc medio volucrem jaculans petit aëre prædam;
Letiferæ certo deprendit vulnere glandis:
Nunc incensus equo prævertitur alite cervum
Æripedem, aut instans spumanti cominus apro
Crudum silvestri assimulat certamine martem.
Jam puro ingreditur campo; belloque remotus,
Quod superest, Custodum armis in pace cohortem
Exercet, ludique genus regale capessit.
Undique visuri ereptum discrimine summo
Legati, Proceresque ad regia tecta frequentes
Confluxêre: agris ridet Lepor urbe relictâ,
Sospitaque officiis fervet certantibus Aula.
Gratantum Aurelius medio Dux agmine fulget,
Gravelingæ antehac domitor, dum Celtica GASTO
Arma regens, Fratrem supplet, magnoque puello
Promovet imperii fines, Belgasque triumphat.
Tum Regis morbo edomito, Parcaque repulsâ
CONTYNUS; Rhodani à populis placidoque Garumnâ
Adveniens; Julî reditu, partoque triumpho,
Ingenii bellique acer Contynus ovabat.
Heu, quinam ARMANDI præceps Mors gaudia turbat,

* Ad prætoriũ Fontis Bellaquei.

* Filiolū principi ex Anna-Maria Marrinossia suscep|tum.

Vix * ortum infringens regali è sanguine florem!
Lætitiæ extremum carpit Dolor invidus agmen.
Ultima, quæ Sellæ pingit pars dorsa Curulis,
Gravelingæ arces, & Regia castra, tuosque
Obsidio Gravelingæ.
Auro animans, Juli, descripsit, Magne, labores.
Stat Sannectarius Ductor, totumque coronat
Arte locum. dextrâ Mavortia sceptra coruscant,
Audacesque urgent in honesta pericula Celtas.
Haud procul inde manus Hispanâ clade cruentas
Arduus ostentans, hostes Turena coërcet,
Et medio tegit armorum socia agmina vallo,
Dixmudâ, & Furnis raptim, Berguâque potitus
Dunkerquæ victor; felix, si protinus almæ
Det Fideique manus, Romanaque signa sequatur.
At Gravelingæ triplici circumdata fossâ,
Undosâ, ingenti, lunatisque obsita muris
Mœnia præsidio Hispani trepidante tuentur.
Nec quisquam erumpit portis, aut castra lacessit:
Missilibus certant flammis arcere ruentes
Franciadas, cannisque necem displodere ahenis.
Acriùs & Francis effusa incendia castris:
Immanesque globos, tempestatemque vomebant
Sulfuream assiduo tormenta frementia jactu.
Mole labant quassi tantâ, passimque ruinam
Dant muri; turresque, & saxea cornua cedunt.
Pulvere fumantem piceo, candere tabellam
Igne putes: mistusque operi sonus, iraque flammis,
Et pavor, & leti centum atro turbine formæ.
Instant assultu vario, divulsaque saxis
Saxa inter Franci irrumpunt, Francisque remisti
Helvetii, certatim, & flammea corda, Britanni.
En Scoti objecto tardantem gurgite fossam
Intrepidi nando, visu mirabile, vincunt
(Belligero anteeunt gladii, & fluviale profundum
Ore secant) castra adverso jam littore figunt.

Atque alius, duce quo legio Campana cohortis
Gaudet, in hoſtiles nudo ſe corpore fluctus
Conjicit, artificem media inter prælia ducens,
Suffoſſurum urbis tacito molimine muros ;
Deinde cavam implebit nitrato pulvere labem. Cuniculi bellici.
Fatale inventum muris ! nam pulvis ubi ignem
Arripuit fune admotum, rareſcit & aër
Accenſus, nec flamma viam clauſo invenit antro ;
Impatiens vi rumpit iter, latera omnia rumpit
Carceris, impoſitaſque arces. tonat undique tellus,
Et ſtragem immenſam convulſis mœnibus edit,
Exitio involuens homines, hominumque labores.
Horrendæ artificem cladis dux lintre latentem
Ipſe palàm ducit. ferrum manus altera geſtat ;
Altera contempto cymbam regit hoſte ſequacem.
Nec caret eventu felix audacia juſto.
Quippe ubi trans foſſam applicuit cymbamque virumque ;
Incolumis, ſociûm turba plaudente, remenſo
Tuta petit ſtagno nudus loca, quem ſuper ardens
Grando ſonat plumbi, & ſtridentes increpat undas.
Multaque præterea bellantum exempla virorum,
Non audita priùs, venientibus edita ſeclis,
Gallica caſtra vident, obſeſſuſque horret Iberus.
Nimirum hos animos Julî vicinia fecit ;
Quem pro Rege, gravis poſt ſæva pericula morbi
Mollius ad cælum & patriæ interiora reverſo,
Reſtantem ſervat ſtatio opportuna Caleti ;
Unde frequens caſtra inviſit, duroſque labores
Præſens ipſe levat. Tanto ſub teſte ſuperbus
Arma movet ; Regique ſuam, ſpectante Miniſtro,
Virtutem Ductorque probat, mileſque : nec hoſtem
Obſeſſum contra tanto contenditur æſtu,
Quantum inter ſeſe pulchro certamine pugnant,
Quis laudem, Magnique ferat ſuffragia Julî.

Laudibus hic doniſque favens, fortiſſima corda
Extimulat ; pretiiſque animoſos addit honores.
Ergo alacres plagaſque, & aperta pericula rident,
Evertuntque moras, propiuſque accedere tendunt.
Jam ſuperant muros ; jam propugnacula latè
Cuncta tenent, nudamque invadunt cominus urbem.
Inſidiis nuper, pugnaque exceptus iniquâ ,
Rurſum ex captivo victor,pactique ſequeſter,
Arce Coaſlinus ſummâ minitatur Ibero
Præfecto (Sannectarii ſic juſſa ferebant)
Ni Gallum admittat diſcinctæ mœnibus urbis:
Peſtiferoque ſpecus tres fœtas ſulfure monſtrat.
Mittitur extemplo portis Orator apertis,
Qui Julî leges, & regia fræna capeſſat.
Manqueſius victos muris educit Iberos,
Et Mazarinum prono veneratur ovantem
Pectore. dat cladis Victor ſolatia tantus.
Ipſe autem captæ ſuccedit Julius urbi.
Talia multiplici cælavit imagine facta,
Aureaque illuſtri circumfert GLORIA Curru.
Impulit ipſa volans volucres auriga quadrigas,
Inſtrato alipedes oſtro, criſtiſque ſuperbos
Puniceis, pictoque aſperſos lilia tergo.
Vectorem ſenſere ſuum ; ſacroque laborant,
Exultantque onere,& Zephyros prævertere certant.
Auro fræna micant, auro bombycina lora ;
Aurea collucet pernicibus ungula plantis :
Criſpa juba, & crebro vittata adamante coruſcat.
Interiorem ardens conſternit purpura currum:
Purpureuſque ſuper, Romano & honore togatus,
JULI, Cæſareoque ſedes auguſtior aſtro ;
Aëraque, & totos incendis lumine currus.
Quadrigas feſta antevolat denſo agmine pompa.
Vexillum dextrâ niveum Victoria tollit ,
Flores inſcriptum, cœleſtia munera, Francos.
Argento

Argento resonante tubam, byssoque nitentem
Fama gerit chlamyda, & radiantes explicat alas.
It, roseis quæ corda ligat Concordia sertis,
Et Fortuna Redux, & aperto Copia cornu,
Lætitiæque comes trabeâ splendente Triumphus,
Et Curæ vigiles, indefessique Labores,
Musarumque Chorus, Virtutum exercitus omnis.
Post currum depressa jugo portenta trahuntur;
Invidia infelix, livente Calumnia vultu,
Proditioque, & sanguineâ Discordia pallâ,
Extinctos lacrymans tædis fumantibus ignes;
Fraudesque, Insidiæque, exarmatumque Duellum,
Arma inter, dominas horrescunt Crimina Leges.
Tantam agitat, Juli, curru tibi Gloria pompam:
Plausibus excipiunt Francæ longo ordine gentes.
At Musæ læto meditantur carmine laudes,
Facta sacrum cæli ingenio descripta per axem:
Ut Puerum ingentem lustrali è fonte renatum
Suscipiens, pulchro LODOÏCUM nomine signas: E. C. Mazarinus Regis in baptismo susceptor.
Ut Pacem, Bellumque regis; Themidemque, Fidemque
Rite foves: Regi ut princeps, Regnoque Minister
Advigilas; victis Belgas Insubribus addis;
Fata moves populorum, animo complecteris orbem.
Auspice te, qui partus honos! te præside, Juli,
Gallica se quantis attollit Fama trophæis!
Te domitæ stupuere urbes: te mente sagaci
Fractus fugit Iber. Ostendæ ignobile lucrum,
Et Francâ Hispanam fraudem virtute rependis.
Connexas fecunda serit Victoria lauros,
Atque aliam ex alia jussit succrescere palmam.
Tu, rem Germanam vario miscente tumultu;
Imperii libras sortem; populosque feroces
Jungere, & Arctoos concordi fœdere Reges,
Sarmatiæque graves tendis componere motus.
Cæsareas Aquilas Gallorum à finibus arces,

Sacramento adigens Romanum in publica Regem
Pacta, neque Austriaco temerandas sanguine leges :
Et tua Germani Proceres se in fœdera nectunt.
Salve Romulidûm Soboles, decus addite Francis,
Et molli dignare aditu tua facta canentes.
Aula, revertentes semper gratata Triumphos,
Sic festo celebret sollennes munere pompas ;
Emeritumque altâ Lodoïcus laude coronet.
Auctior immensos agitet sic Gallia plausus,
Mazarina sequens tranquillo Sidera cursu
Gallia adoratos fasces, dominasque secures,
Julia, quas niveis frænat Clementia vinclis,
Victricique recens ornavit fronde Triumphus.
Hæc memorant Musæ : referent hæc carmina gentes,
Seraque fors recinet seclis volventibus ætas,
Necdum perfecta, & studio properata calenti ;
Cuncta licèt, meritis impar, Phœbea cadat vis.
Interea æterno laudes insculpet Olympo
Gloria, te, Juli, trans nubila, transque coruscas
Tempestatum arces, Fortunæ mobilis auras,
Sublimi rapiens media inter sidera Curru.





HEROICON
LIBER III.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
JULIO CARDINALI
MAZARINO.



*RIVMPHALEM tuum è Belgio post multiplices insignesque victorias Reditum, PRINCEPS EMINENTISSIME, cum primū ad me fama pertulit, effusis gaudii magis impetu, quàm artis operâ elaboratis carminibus excepi. Alterum nunc tuum è diversis Regni finibus, ubi pacem summa cum laude constituisti, Reditum aliquantò lætiori gratulatione * prosequor, eò sanè illo superiori pulchriorem, quò magnificentiùs de ipsis quodammodo triumphis triumphasti, cùm eorum paratam segetem optatissimæ Paci posthabendam*

* Sub primum à Pyrenæis digressum.

*duxisti; Pacem arctissimo speciosissimoque Regalis Conjugii nexu devinxisti; Fortunam tunc maximè indomitam, cùm blandissima influit, heroïco planè animo repressisti. Sed qui antea Victori revehendo Currum, tuorum gloriâ factorum, quibus convestitus ornatusque fuit, splendidissimum obtuli; nunc, quasi annuum Musarum vectigal, Insulam à te felicissimis curis augustisque congressibus Paci consecratam, ac verè Fortunatam, exhibeo Pacificatori, eandem quam nec semel exprompsisti, de te mihi benignitatem pollicitus. Animos certè addidit tua illa, CARDINALIS EMINENTISSIME, ad condictum pacificationi locum hac * pergentis, honorifica vox, quâ tot inter tantasque curas, quibus orbem complexus universum, Regum consilia, fata populorum moderaris, animum clientis præconisque tui non immemorem ultro significasti; Opus, Auctoremque laude aspersisti. Quòd si discessus ille tuus ex hac urbe, tuâ etiam opinione celerior, ob acceptos publicæ rei citiùs gerendæ nuncios, præsentis mihi gratulationis fructum invidit; obruere profectò non debuit, sed auctiorem ipsâ morâ, & liberali fenore cumulatiorem accersere. Omnes tu quidem non Gallos modò, sed planè Christianos, præsertim reconditioris vitæ homines, eruditoque otio exercitatos, sublato bello, placidarum artium certissima peste, ita demeruisti, ut jam honestissimum suavissimumque in tuas laudes certaminis genus Pax ipsa omnibus indixerit. Atenim plerique silentio venerationem obtendere*

* Pictavio.

poſſint, intentatoque ad tantum iſtud faſtigium aditu diffidere. Mihi verò, quem tu, PRINCEPS EMINENTISSIME, propriâ quadam ſingularique benignitate provocatum volueris, timendum jure intelligo, ſi publicas inter populorum acclamationes ſiluero, ne ſtuporem homines potiùs animi, quàm dignum aliquid exaggeratus ſupra invidiam & prædicationem meritus proferendi deſperationem interpretentur.

Jam docti faciles auras experta favoris,
Debilis invidiæ ſtrepitus, vulguſque malignum
Deſpiciet Fama : & cœptos implebit honores
Phœbeo tibi ſacra chelys, tuba ſacra labore.
Creſcet & ingenium juſſis, & concita nutu
Vena tuo, quæcumque vocas in munera, JULI.
Annua nunc primùm rupere ſilentia Muſæ,
Ex quo laurigeros agitavit Gloria Currus.
Belgarum à populis, Gravelingâque potitum
Heroa oſtentans, plaudenti reddidit Aulæ.
Seque ſuaſque tibi, collecto Numine, vires
Hac-ſervare-tenus, magnis non degener auſis,
Pierias ex te curas & dulcia fata
Pignore jam devinctus amat ſuſpendere Vates:
Ac, dum juſſa paras, tenui proludit hiatu
Æternos Belli meditans Paciſque Triumphos,

INSULA FORTUNATA, SIVE PACIS INSULA.

AN. M. DC. LIX.

HESPERIOS ultra fines, metaſque laborum
Pacato Alcides ſtatuit quas denique mundo,
Indeprenſa olim rudibus miracula nautis
Cantatæque jacent ſedes, pulchrique receſſus,
Inſulæ Atlanteo in magno felicibus arvis,
Omniaque Elyſio ſimiles, ubi Vere perenni
Miſceat Autumnum cælo gratiſſima tellus,
Nil curis hominum debens, nil indiga cultu.
Splendida nimirum veteris mendacia Famæ!
Ludibrium Europæ, vulgo jam prodita ſordent,
Auſus inexperto poſtquam dare vela profundo
Alter iit, Libycaſque oras & littora Tiphys
Explorans, vileſque, ornat quos fabula, campos.
At nova ſe ſe aperit (narranti credite gentes)
Mole brevis, geſtiſque Orbi par Inſula rebus,
Et Fortunatæ vero ſe nomine jactat.
Non ita divitibus Serum pendentia ramis
Vellera collucent; non ſic Gangetica gemmis
India, ſic auro Peruvia gleba coruſcat;
Explicat immenſas ut opes gazaſque ſuperbo
Inſula læta ſinu, & ſolem fulgore laceſſit.
Nectaris hîc paſſim rivi; menſiſque paratis
Omnigenas elementa dapes famulata miniſtrant
Sponte ſuâ: dulci ſonuerunt littora cantu,
Quem neque odoratâ certans philomela ſub umbrâ,
Nec Sirenum omnis tacitâ chorus æquet in undâ.
Phaſidis huc ales deſertâ Colchide venit,
Deliciis hominum natus; ſediſque beatæ
Suavibus illecebris dedit haud ignobile nomen.
Sed pretium ipſa loco, & primos PAX fecit honores,

Inſula vulgo à Phaſianis dicta, ad radices Pyrenæi, in amne Cantabriæ Bidaſſoa.

Pro quâ Consiliis duplex Regalibus instat
Hinc atque hinc Genius, divini fœderis autor.
Huc, ô Bellonæ Domitor, Pacisque Minister,
Verte oculos, JULI, gravibus docta otia curis
Queis Reges populosque beas, intexere lætus.
En Tibi, Phœbeâ spectando in luce, theatrum
Panditur: in te oculis Europa animisque moratur:
Pacifica Heroum vacat ad consortia Mundus
Expectans quas una sibi ferat Insula leges.
Ex quo funereum Socialis Mantua Belli
Sustulit Austriaco signum tremefacta tumultu;
Obsessæque arces, & mœnia quassa Casalis:
Visa laboranti signum Spes candida seclo
Erigere, ac lucem trepidis ostendere rebus.
Jam tum sacra ferens Pacis, cùm Gallica Iberis
Impatiens castris affunderet agmina Mavors,
Adversas acies inter, pugnæque sub ictu
Magnanimus per tela volas stridentia victor:
Invitosque enses, correptoque igne frementes
Tormentorum iras, & ahenea comprimis ora.
Allobrogas per te Proceres Pax fida revisit;
Reddita Germanæ per te, servataque genti;
Per te Borboniis rediit Pax Civica Regnis.
His adeo auspiciis imbutus, & omine dextro,
Jam propè depositæ majora in munera Pacis
Venisti, & pulchram geminas per fœdera laudem.
Ergo, quo facilis vultu, quibus antè Camœnam
Auribus excipere atque oculis dignatus amicis,
Accipe, post duri strepitus & classica Martis,
Lætiùs hîc blandæ gratantem Pacis alumnam.
Jamdudum profugam Pacem, grassante per omnes
Bellonâ populos, frustraque in vota vocatam,
Hospitium augustum donec subjecta Pyrenæ
Insula felici Geniûm statione dicaret,
Exequitur, seriem evoluens ac pondera rerum,

Et queis reſtituas proſtratum è cladibus Orbem.
Tu cœptis (ſacræ ſub numine Mentis eunt res)
Grandibus adſpira, Princeps, & luce faventes
Exere purpureâ Stellas. comes addita Muſæ
Gloria nec deerit, quæ te hîc quoque laudibus auctum,
Pace triumphantem, Capitolî in vertice ſiſtat.
Poſtquam ſanguineo feralis crine Cometes
Terruit aſpectu populos, flammæque minacis
Prodigio ardentes Superûm circumtulit iras:
Ocyus Europam fugiens, Arctoaque regna,
Heſperiaſque urbes, patrium ſuper æthera ceſſit
Pax, & Virginei Virgo ſe ſe hoſpita Signi
Addidit Aſtrææ, terras quæ exoſa nocentes
Tranſcripſit cœlo Libram, gladiumque reliquit.
Sed jam accincta fugæ, & diſceſſu mœſta coacto,
Fatidico, ut perhibent, tales Pax ore querelas
Effudit, gemituque pium confeſſa dolorem eſt.
Terrigenæ, infelix & non miſerabile vulgus,
Ite agite, in veſtras elementa innoxia clades
Vertite, miſcentes terris freta, fluctibus ignes.
Bellonæ Furiiſque vacat locus. hinc ego cœlum,
Unde ad vos delapſa, ingratis exul ab oris
Nunc repeto, & cæcis nil inde furoribus obſto.
Ah ſtirpem indignam contemptæ munere Pacis!
Tempus erit, poſitis aris cùm publica Reges
Certatim populique ferent, ſed inania vota:
Deſpiciam ſero gemitu lacrymiſque vocantes.
Ipſi has, Tartareo quas nunc accenditis igni,
Nequicquam infuſo reſtinctas ſanguine flammas
Optantes, alia ex aliis in bella ruetis:
Acriùs accendet ſanguis feralia buſta.
Heu Pietas! heu ſancte Pudor, venerandaque avorum
Relligio, Pacis quondam ſub numine ovantes!
Quas ego jam ſcelerum facies, quæ vulnera cerno!
Tota Erebus jam caſtra movet: mortalibus armis

Cœlicolas nova bella petunt, Titaniaque auſa.
At terris unà irrumpent deformis Egeſtas,
Atra Fames, morbiſque Lues ſtipata nefandis,
Pejor Sævities Leto, Luctuque Voluptas,
Bellonæ comites, monſtrorum exercitus ingens.
Tunc Pacem ejectam regnis gaudete quietis,
O Populi; Bellona juvet. Non fulmina Patris
Sontibus intento, aut diri portenta Cometæ:
Bellonam ultricem violatæ injuria Pacis
Repperit: ipſa ſuas pariunt jam crimina pœnas.
Haud mora, fatidicæ reſpondent omnia vati.
Fervida corripuit ſpatium Bellona, malorumque
Explicat omnigenûm triſtes facto agmine formas,
Nec requies, populoſque inſano turbine verſat.
Qualis, ubi effrænis commiſſi Aquilonibus Auſtri,
Aere tempeſtas toto bacchata repentè
Horrificas glomerat nubes, ſimul imbribus atris
Præcipites, concepto altùm ſimul igne ſonantes:
Tum pelago infeſta & terris incumbit, ubique
Aſpera, ubique nocens, traxitque per omnia cladem.
Jam ſilvas, naveſque; caſas, turreſque ruinâ
Involvit, campoſque humiles, monteſque ſuperbos;
Cum grege paſtores, ipſas cum civibus urbes.
Senſit & Auroram Oceano quæ prima recentem
Aſpicit, & Solem quæ ſuſcipit ora cadentem;
Senſere adverſi gemino ſub cardine tractus:
Terrigenæ ſtrictis certarunt undique telis
Mutua in exitia, atque alternæ crimina cædis.
At furiis una ante omnes immanibus arſit
Europa, & geminum ſparſit ſua bella per axem:
Per dupliceſque Indos, Americaque littora fluxit
Chriſtiadum cruor, & merces fœdavit avaras.
Colliſa hîc toto diſſultant corpore Regna:
Ceſſurumque Orbem, ſi non obnixa reſiſtat
Gallia, fatali concuſſit Iberia motu.

Hoc ſeculo bellis omnia ubique infeſta.

Galliæ Hiſpaniæque cauſa Europam implicuit.

Nam quid ego Auſonidas memorem, Belgaſque feroces,
Germanoſque, Gothoſque, & ovantes claſſe Britannos?
Unà omnes ruere? ac ſtudiis diſcordibus actos
Franci alios; alios Hiſpani in prælia raptant.
Arma armis, ratibuſque rates, atque arcibus arces
Oppoſuere: Dolo Virtus, vis addita Juri:
Conſilio admiſtus Caſus, Prudentia Sorti:
Undaque naufragiis, Telluſque oppreſſa ruinis.
Jam directæ acies campo; jam mœnia circum
Metata obſidio, ſinvoſoque aggere caſtra:
Cornuaque hinc peditum, hinc alæ tenduntur equeſtres;
Cominus & gladio, & longè vibrante ſariſsâ,
Miſſilibuſque globis pugnatur, & ignibus atris.
Pingues confuſo populorum ſanguine campi:
Cæde virûm tumefacti amnes, & uterque rubeſcit
Oceanus: fumant disjectis mœnibus urbes;
Pulvere ſubjecto ſeu vis latebroſa procellæ
Eruit ardentis; ſeu vi Mavortis apertâ
Ænea fulmineo moles circumtonat ictu.
Lauris inſerpunt taxi, palmiſque cupreſſi:
Pæana abrumpit plangor, caſuſque trophæa.
Quem ſceleris Bellona gradum? quid cruda refugit
Barbaries? direptæ aræ, protritaque ſacra.
Ne verò ſecli furias, ne triſtia probra
Militiæ, ſcelerumque artes, peccare docentem
Hiſtoriam ſeri diſcant me Vate nepotes.
Horruerant monſtris gentes; auguſtaque Regum
Pectora, & adſtantes Genios dolor altus habebat.
Una ſalus fractis bello Pax cognita rebus.
Idem omnes ſimul urget amor: Populuſque, Patreſque
Pacem orant; Pacem lacrymis, votiſque repoſcunt.
O tandem Pax alma redi, Pax aurea cœlo,
Labere, & infandos hominum miſerare labores!
Neu te infelicis quondam faſtidia terræ
Avertant ſceleris memorem: neu munera triſti

Commendare morâ placeat, ſimilique repulſæ.
En, quibus exhauſtæ pœnis, quo funere merſæ
Deficiunt gentes! & deeſt jam terra ſepulcris.
Obſtrepit at votis ſcelerum fragor æthera pulſans
Altiùs: & nullâ perſtat revocabilis arte,
Supplicibuſque diu lacrymantum immota querelis,
Atque inſultanti ſimilis, Pax æthera ſervat.
Jam non vana minas fudiſſe oracula inanes
Gaudet; & indignæ, quâ cedere juſſa, repulſæ
Ultrices explere juvat pro crimine pœnas.
Tandem poſt clades varias, poſt mille labores,
Sidereos oculorum orbes averſaque terris
Ora, explorandi ſtudio, reflexit. ibi alter
Succeſſit dolor, ac veteris ſenſum obtudit iræ.
Hei mihi, quàm funeſta animum percuſſit imago
Europes! latè ſtagnantes ſanguine terras,
Collapſaſque urbes ferro, & flagrantia regna
Vidit, & expenſis didicit miteſcere pœnis.
Ergo, ubi Veſtphalicâ Legatos eminus urbe
Audiit orantes, placido ſe miſit Olympo.
Non tamen omnino dubiis ſe credere regnis
Auſa, ſed aërio curru ſubvecta pependit,
Teutonicumque umbrâ dulci prætexuit orbem.
Viſa quidem ceſſiſſe loco Bellona; ſed antro
Subſedit Paci inſidians, latebriſque reſiſtit
Multa movens (at tu pactis, gens fida, maneres)
Armaque operta ciet, larvatoque ore vagatur.
Mox volitare palàm, Divamque extrudere longè
Præcipitat, ſubitâque Arcton formidine turbat.
Inſubres neque tum populos, nec Gallica rura
Pax adiit, fruſtraque Hiſpanas ambiit urbes.
Nec vos arguerit, Franci; nec te, Optime Regum, Pax cum Hiſpania Francis quæſita.
Bellipotens, ſed Pacis amans: non te, Inclyte Princeps,
Qui Latium auguſtis claras virtutibus oſtrum;
Conſiliis Francam, cujus tibi credita ſumma

Mona ſterii, (Dux Longavillæus, Regius in Monaſter. Tractatu Legatus)

Rem fundas, variâ Stator jactante procellâ:
Jamtum acres ſolida curas pro Pace gerentem
Comprobet heroo Dunenſis ſanguine cretus,
Quem penes haud dubiæ, rerum monimenta, tabellæ.
Exinde optati Gallo quæ fœderis uſquam
Intentata via eſt? quid non molitus in armis
Pacis amor! quas non Legatis permeat urbes!
Scit Venetus, ſcit Belga: nec hoſtis nuper Iberus
Magnificam invideat quæſito è fœdere laudem.
Teſtes Bruxellæ, Cameracique ardua caſtra. (Brux. Camer.)

Tu quoque, terrarum domitrix, Mavortia Roma;
Nunc & Chriſtiadûm Solyme, ſacrataque Paci, (Romæ,)
Urbs Æterna, & Cephæis auguſtior aris,
Quàm cùm Cæſareis orbem complexa triumphis:
Heroüm generoſa parens, æquataque Olympo,
Cœleſtem felix Genium cui Francia debet!

Tuque adeo, Interpres Superum, Mundique Sequeſter, (Alexander VII)
Conſcius expromptæ Gallis in fœdera curæ,
Regia dum fido mandata Leonius ore
Exequitur, certæque aperit commercia Pacis:
In medias Ligurum, ſuperatis Alpibus, urbes
Venturum, quocumque volens condixeris, offert
Protinus aut Regem, aut Genium, ſimul adſit Iberus.
Splendida tu arbitria exerce, notoſque labores,
Ex quo Teutonicam in Pacem Legatus, & undas
Europæ quinquenni operâ mollire tumentes
Exorſus, Regum cauſſas, nodoſque moraſque
Fœderis, & longæ vidiſti ſemina cladis.
Indomitum, auguſtâ pro majeſtate, furorem,
Et Regum Pater, & Populorum Maxime Paſtor,
Placares, avidis poſcebat Francia votis.

Quin etiam decoriſque ſui, palmæque recentis
Immemor, hoſtili Pacem captavit in Aulâ:
Et, Carpetanæ, ſtupuiſti, Mantua gentis, (Madriti.)
Victricem officii partes deſcendere ad imas.

Denique Germano referam quæ proxima cœtu
Septem-gesta-Virûm, celebri jam prodita famâ?
Incassum labor omnis, & irrita machina cessit.
At desiderio tabescit Gallia inani.
Admotam toties Pacem, & jam jamque prehensam
Longiùs ætherias refugam absiluisse sub auras!
Ceu levis umbra manus inter dilapsa sequentum
Vanescit, nec capta capi datur. haud secùs illa
Germanas iterum Bellonæ agitata per oras
Avolat, & se Virgineo sub sidere condit.
Hæc illi statio, fidâque hic arce receptus.

Francofurti.

Pacem oculis animoque sequens, statione notata,
Virginis aggreditur Magnæ placabile numen
Borbonides. rerum Dominam, Pacisque potentem,
Cujus & auspiciis vitam felicibus hausit,
Jam nova marmoreæ vocat in penetralia sedis,
Flavia * cui cedant longè delubra sacello.
Imbuit ipse aram votis, sternitque coronam
Purpureus cultor. pariterque advoluitur aræ
Pacificæ Invicto supplex cum Fratre Philippus;
Belligeros tenero sub pectore sentiat ignes
Ille licèt; Germanum animis, votisque sequutus.

Lud. novum. Luparæ Sacellum dicavit Mariæ Pacificæ.

* Flavius Vespas. Paci templum condiderat.

Indicta & passim templis sollennia Francis:
Supplicibus passim turbis undantia Divûm
Limina miscentur: sacris æterna litatis
Victima pacifero lustravit sanguine Gallos.
Æthere demissum fulgentes insidet aras
Pacis adorandum, & nunquam violabile pignus.
Scilicet & vinci cupidus, lætusque minacem
Exarmari iram, vincendi suggerit artes
Ipse sui, & votum Deus impetrabile dictat
Intus agens, cumulansque sequaci munere munus.
Nec minùs ingenti, Lodoïce, exercita curâ
Pectora, & obstrictum Pacis Regina Sodalem
Respicit, ac pulcrum præsens juvat ipsa laborem;

D. Virginis à Pace Sodalitio Rex nomen dederat.

Cui tu corda magis, Luparæ quàm ſplendida tecta
Sacraſti, Proavo Indigeti non degener Heros.
Hæc adeo Francæ Genium Virgo impulit Aulæ,
Regnorum ad fines mittendam exquirere Pacem,
Inſula ubi Gallo ſimul & communis Ibero
Magnanimos eadem ſociet, quæ dividit, hoſtes.
Ibo, ait, & coràm ipſe gravis capita aſpera cauſſæ
Diſcutiam : & Pacis certum eſt componere leges.
Turbatæ Europæ mediis Rex incidit undis ,
Belli una ſceptrique Hæres. quò vinceret hoſtes ,
Ætatem vicit teneram, patriæque tumultus.
Quamvis æqua tamen, quamvis felicia, dudum
Projicere arma manu, palmiſque intexere olivam
Ardet ſponte inhians Paci, noſtroque petitam
Acriùs hortatu Pacem Lodoïcus adorat.
Ecquid inexpertum carâ pro Pace relictum eſt?
Legatis aditi Belgæ : Caducifer ambas
Gallicus Heſperias, Germanica regna cucurrit.
Quid vaſtis rerum impenſis, operumque labore
Tantorum, ſtudiiſque actum ? pia vota per omnem
Vulgata Europam, Paciſque incenſa cupido
Victori in mediis Franco teſtata triumphis.
Nulla viam optatæ reperit ſolertia Paci.
Sævit adhuc Bellona, & non tractabile gliſcit
Clade malum aſſiduâ, cognatoſque atterit hoſtes.
Supremâ nunc arte uſus. memoranda, nec ullis
Præſtructa exemplis, agedum, commercia inibo ;
Pacis opus laudemque mihi ſi fortè reſervat,
Qui paribus quondam curis non abfuit autor,
Et Pacem Auſoniam fauſtis Deus annuit orſis.
Pactorum immenſos mittam in compendia tractus;
Flebilis Europæ clades ſolabor acerbas.
An, Paci medium, expectem, dum ſe offerat agmen,
Commoda privato diſturbans publica quæſtu ?
Nimirum & duplices Tractatûs limine in ipſo

Pacificis hæsisse annos Germania vidit
Sollennes inter ritus, argutaque bella,
Undique collecto Patrum pugnata Senatu.
Præcisæ rerum ambages, contractaque Pacis
Acta mihi : gemino dirimentur bella Ministro.
Hinc jam spem alterno confectæ vulnere gentes
Concipiant : jamnunc posito certamine plenam
Præsumant, icto, brevis est mora, fœdere Pacem.
Dixit, & arcano GENIUS præludia Pacis
Colloquio aggressus, suspensis ilicet armis,
(Sive ubi devictas hibernis insidet urbes
Turena armipotens, Sannectariusque triumphat ;
Belligeras seu quà Navallius explicat artes,
Pugnacesque animos justa sub lege coërcet)
Terrore Italiam solvit, crebrumque trophæis
Belgium, & admistos Celtarum nomine Iberos.
Rex etiam, Vicennæ arces dum visit amœnas,
Captivam emittit libata Pace catervam.
Ipse autem miro correptus Pacis amore
Carpit iter longum Genius, noctemque labori
Addit, & ingentem lecto rapit agmine pompam.
Purpurei antevolant equites, Proceresque sequuntur :
Aurati longo sonuerunt ordine currus.
Proregum, ditio quæ cuique est credita, fervet
Officiis : turmasque alacres præmittere longè
Nobilium certatim ardet provincia florem.
Occurrunt totis effusæ mœnibus urbes ;
Paciferos læto plausu celebrare labores
Sedulæ, inexpletis oculis mirantur euntem.
Tum lituûm canor, & rauci fragor igneus æris.
Ut vidi, ut stupui, ut me novus impulit ardor,
Majorem famâ immensâ, nec laudis egentem,
Sed, tanto quamvis circumsonet agmine plausus,
Haud nostræ surdum citharæ, immemoremve Camœnæ
Gratari, ac totos Parnassi evolvere fontes !

Pacis tractatio arcanis colloquiis Lutetiæ prælibata.

Induciæ.

Cardinalis ad Pyræneos conventus profectio, mediâ æstate suscepta, per provincias omni gratulationis genere celebrata.

Pacificus menti Deus insidet : eminet ipsis
Pax oculis : blandam spirant ora aurea Pacem,
Et miris capta illecebris per corda triumphant.
Protinus, Hoc, dicas, Europæ fata cieri
Addecuit Capite ; Hoc Bellum, Pacemque Ministro.
I, tua quò Virtus, quò res te publica ducit,
Et Regni commissus honos. Jam te altiùs, Heros,
Tollere Mavortis palmari Gloria curru
Posse negat ; captasque urbes, populosque triumpho,
Fercula ceu pompæ, devictaque regna trahentem.
Tollet olivifero revocatæ Gloria Pacis
Axe, nec humanos apices, perituraque tantùm
Regna super, spoliisque graves hostilibus arcus.
Trans & sidereas arces, jam te altior ipse,
Cœlicolum, i, summo assimilis consurge Parenti.
Prævertit subitum & populis mirabile fœdus
Spes timidas ; suspensi animi pendentibus armis:
Perfice cœpti operis famam, dextrâque potenti
Nequicquam tentata aliis pia vincula necte.
Plebis Amor, faustæque preces, & publica vota,
Magne, tuum comitantur iter. Sed quæ invida terris
Fata moram properæ tendunt innectere Paci ?
Cede, importunô nimium Dolor improbe morbô,
Invictos experte animos. clementior Æstas
Parc sacro Capti : Capiti vos parcite sacro
Austrique, pluviæque, tonantesque aëre nimbi.
Trans colles, fluviosque, & per deserta locorum
Pulverulenta celer, populis quam præstitit, unus
Non capit, heroo seclusam corde, quietem.
Ardua Pyrene supero se immittit Olympo,
Turritum abjetibus caput & niue tecta perenni,
Fluminaque uberibus volvens, & nubibus atris
Circumfusa, micans, crebro dum fulminat igni
(Unde illi nomen) nec fulmine mota corusco.
Horrisonos pedibus subjecti elidere gaudet

Pacifici homines in ff. litt. Dei Filii vocantur.

Oceani

Oceani fremitus, & ineluctata ſuperſtat.
Atque illam vaſtos inſanâ mole Gigantas
Vincentem Natura parens ſtatione locavit
Æterna, & mediam Francorum in limite fixit
Provida, diſcrimen regni & tutamen Iberi.
Saltibus aëriis juga per ſcopuloſa fragoſus
Præcipitans, vallemque rigat, gentiſque fluento
Heſperiæ Francæque extremam interluit oram
Bidaſſoa, rapax, & quondam inglorius amnis.
Partus honos fluvio, nomenque in ſecula miſſum,
Cùm geminas ultro Nymphas citroque jugali
Fœdere trajecit diverſa in Regna vocatas.
Altera jam cœlo ante diem repetita, ſuperſtes — Eliſabeth à Francia.
Prole tamen magnâ, pulcraque in imagine vivit,
Francigenis quâ ſe maternus prole refundet
Sanguis, & auguſtum referes, Hiſpania, pignus.
Altera labentis ſecli fulcire ruinam
Munere Cœleſtum, & longo permiſſa favore,
Fatalis Paci, & noſtræ pia Nympha ſaluti,
Communem Anna gerens populi Regiſque parentem.
Perpetuo ripas commerciaque aggere junxit
Regia pons fluvio * impoſitus ; mediumque potentes — * Non longè a Pacifici colloquii ſede.
Compoſito inter ſe Nymphæ occurrêre per amnem.
Torrentis brevia apparent divortia lymphæ
Haud longis infrà ſpatiis. ſacra Inſula Paci
Fluminis in gremio, Solis procurrit ad ortus, — Topographia inſulæ; & quæ in eà geſta.
Ac modico ſenſim excreſcens diducitur orbe ;
Et paria hinc Boreæ latera, hinc obvertitur Auſtro
Inſula, ad occaſum in puppim collecta ferendis
Fluctibus, alternoque freti revolubilis æſtu.
Quæ poſtquam ſedes, gemini ceu fibula Regni,
Congreſſu inſolito, magnis & idonea ſacris,
Delecta arcanas operanti Pacis ad aras
Francoque, Hiſpanoque ; pares gens utraque curas
Expedit, atque operis certans communibus inſtat.

Principiò, tenui perductus tramite limes :
Signatæ populis metæ, diſcretaque Regna.
Tum deſcripta æquo properant tentoria cultu.
Hîc propriæ ſedes ; hîc gentibus area miſtis :
Hîc Procerum locus ; hic ſummo conclave Miniſtro.
Ac Domus illa quidem, non luxu ſplendida fruſtra
Barbarico ; non illa ebeno, ſectove elephanto,
Dædalio artificum ſpectanda labore, ſuperbit :
Sed ſubitò enata, & facili texta abiete ſurgit,
Hoſpitio quæſita brevi ; quanquam ærea vincet
Laude opera, & Pariis deciſas montibus arces.
Et ſervabit Honos tectum ſuus : inclyta ſedes
Paciferûm, ſeris viſenda nepotibus olim :
Atque ipſas ſtudio memori venerata ruinas
Cantabria oſtendet, Geniûm veſtigia adorans.
Aurea ſic tectis egit ſub vilibus ætas ;
Solus & exigua dominus ſplendebat in æde :
Agreſtumque caſas humiles ſubiiſſe feruntur
Numina, ſubſidium miſeris portantia terris.
Auratas coluere domos mox ferrea ſecla.
Sed priſci redeunt mores : nec regia Caſtra
Pœnituit mutaſſe caſis. tamen omne decoro
Subſtruitur xyſtum interius, cameræque paratu,
Præcipuè Geniûm quæ conſcia grandibus aula
Colloquiis, pictiſque nitet laqueata tapetis.
Quò Bidaſſoæ ſolidum cùm pervius alveus
Ponte ſuperſtructo, connexis ordine lembis,
Stravit iter ; Procerum diverſis partibus agmen
Educunt Genii. lecticâ infertur Iberus ;
Gallicus invehitur rhedâ : longoque ſequuntur
Quadrigæ tractu, qua nuper iêre phaſeli.
Stat delecta cohors utroque in littore, pontis
Obſervans aditus, Paci famulantibus armis.
Nunc mihi Scipiadæ, cui nomen victa ſuperbum
Africa ; & audacis, quem non capit Africa, Pœni

Scipio & Annibal, inter ſe de pace acturi,

Colloquia, & vanos jactent pro fœdere nisus.
Mutuus hîc certè, postquam ad consortia ventum est,
Defixit stupor, atque aspectu mulcet amico,
Dum sese in Socio admirans speculatur uterque,
Et placidos mores, & quæ solertia rerum,
Pacis quantus amor, populis quàm provida cura,
Mirantur conjuncta Domo sua Sidera gentes;
Mentes ætherio missas venerantur Olympo,
Consiliis quæ Regum adstantes prospera terris
Dispensant, Bellique vices, Pacisque reponunt.
Si quam olim tenuit Romæ Concordia Cellam,
Hæc meliùs delubra implet; veteremque refringit
Invidiam populorum, odiisque tumentia lenit
Pectora, & hostiles jungit Concordia dextras.
Jam nova post belli sævas Fiducia fraudes
Alteram in alterius rapuit prætoria gentem.
Officiis tantùm, & donis certamina pulcra
Exercent. totis fervent convivia ripis:
Et piscatorum videas fulgentia tesqua
Regales stupefacto amni prætendere mensas.
At comes interea Geniûm Sapientia, longo
Maturum accelerat finem positura labori:
Inter & offusas densâ caligine nubes
Florentem radiis dextram protendere visa,
Fatales nodos & inextricabile vinclum,
Quo dudum implicitas gentes Pacique negatas
Bellona immani superans ditione premebat,
Disclusit, Pacisque in libera jura remisit.
Candida puniceo Pax ilicet ætheris arcu
Devolat; & frustra terras accita per omnes,
Hospitio indulget primùm, quò cara vocavit
Insula, collatis Geniûm celeberrima curis.
Lilia virgineam cingunt stellantia frontem,
Purpureoque acuit candorem tænia nexu:
Lilia cœruleam passim per cyclada florent,

diu mutua admiratione defixi steterunt, ac demum re infecta discessere.

Gratiùs aureolas inter candentia flammas:
Mista rosis toto lactescunt lilia vultu.
Exilii Astræam sociam, Legesque reducit,
Quas presso armorum sonitu dehinc audiat Orbis:
Fortunæque comes Reducis, lætissima Fama,
Centum cui pennæ, centum cui corpore linguæ,
Cœlestique micans circumvolat agmine pompa.
PACIS, AMOR, DEUS, & formoso innoxius igni,
Cordaque felici stringens Regalia nodo.
Tum Pietas, castusque Pudor; tum cana Parentum
Relligio, bellisque Fides vexata profanis;
Civilique Salus crinem circumdata quercu,
Et cornu in populos descendit Copia prono;
Præsertim quà parte viam consternere lauris
Gestiit, & pictâ verrit Victoria pallâ,
Nec vinci indignans, Pacis decedit honori,
Mutatura oleis palmas. & vomere cassis,
Et curvam in falcem rigidus mutabitur ensis.
Laudatæ subeunt Artes, Laudumque parentes.
Pacis in adventum, gravibus jam fessa trophæis,
Gallia languentes erexit ad æthera vultus,
Abstersosque oculos risu diduxit amœno,
Ac passis Divam reducem complectitur ulnis.
Turrigeri, antiquam referens Castella Cybelen,
Suggestu inflexo capitis, veneratur amicum
Numen, & immites solatur munere casus.
Ter læto intonuit plausu gratata Pyrene
Festivos silvis accendens omnibus ignes:
Ter Bidassoæ repetitos Insula plausus,
Et sua Neptuno properantem gaudia sensit,
Gaudia perque agros, totasque effusa per urbes.
Alcyonum resonant vicino è gurgite cantus;
Advolitant niveæ, placidissima turba, Columbæ.
Versicolor Sole affuso radiantia colla
Iris obit; ramum ora ferunt viridantis olivæ.

Ipsa suis Serpens * tunc exarmata venenis,
Nec sævo stridore minax : hîc ipsa Leonum
Dedidicere feras, mansuetaque pectora Pacis
Ingenio colludere amant pascentibus agnis.
Pace renidet humus, Zephyris Pax aëra mulcet,
Marmoreo tumidos sternit Pax æquore fluctus.
Eridanum, Scaldim, Sicorim, priùs amne cruento
Spumantes, vitreâ liquidos Pax luce serenat;
Florentes ripas electro pingit & auro :
Nectare purpureos agitat per compita fontes.
Tympana jam, mitesque tubæ, simul ænea Pacem.
Pulvereis tormenta sonant innoxia flammis :
Romula sollenni gratantur carmine templa ,
Et passim fidibus Musæ assonuere canoris.
Ambitio, scissamque trahens Discordia pallam,
Iraque, & obliquus Livor, torvique Furores
Diffugiunt. fugit ipsa Dolo subnixa biformi
Vis gladium, tædamque gerens; Luctusque, Metusque,
Stragesque, omnigenumque immensa caterva malorum.
Bellona ante omnes, Stygiæ dux atra cohortis,
Hispani præceps agitur Francique levatis
Finibus imperii. quin cunctis cedere jussa
Christiadûm Regnis, in Thracia vertitur arva,
Collectas lato vires diffundere campo
Jam meditans, justaque ibi demum cæde pianda.
Ottomanis quæ non Genius jam bella minetur
Sacra sacer ? Venetosque arctis in rebus amica
Auxilia orantes firmet socialibus armis ?
Qui, primos armorum æstus ubi Luna cruenta
Exciit, assiduè crescens, Solique cadenti
Insultare ferox ; pelagusque undantia bello
Bosphora in Adriacum, & Cretæas impulit urbes;
Navales ultro belli suspendere motus
Hesperii, ac geminam in Thracas convertere classem

* Insubrum insigne &c.

Mox curſu alterno Libycum detorquet in axem :
Voluentemque ſuis deſcribit menſibus annum
Titanis ratus & felix mortalibus error.
Dividis in populos Regem, ſpectabile laudis,
MAZARINE, tuæ monimentum, Artiſque magiſtræ
Quâ ſceptrum geſſiſſe doces, & moribus ornas
Ipſe tuis, reſidemque animo fugiente quietem.
Non glacialis Hiems, non ignea terruit Æſtas.
Seu quò dura vocant civili tempora Bello,
Inſcius ille ævi, non inſcius ille laborum,
Longas ire vias ſolitus : ſeu quò extera poſcunt
Prælia, Belgarum fines repetiſſe quotannis
Fervidus,ac medios victor volitaſſe per hoſtes.
Sic Rhodanum hiberno nuper, ſic deinde Garumnam
Æſtivo relegit curſu : nec flectere inerti
Suſtinet ignotas Gentes LODOÏCUS ab aulâ :
Lætitiamque novæ moremque indicere Pacis
Geſtiit, ac toto leges deſcribere Regno.
Conſilio ipſe tuo felix, felicia fingit
Secula ; queis certæ auſpicium dedit Inſula Pacis,
Hactenus illa meæ, JULI, celebrata Camœnæ,
Et meritum oblato ſervans in carmine nomen
Fortunata, tuo ſi fors dignata favore.

HYMEN REGIUS
PACI ADJUNCTUS.
AN. M. DC. LX.

DUM tua regales Hymenæo Sidera tædas
Accendunt, diri tandem victricia Martis,
Et jam pacatas radiis mulcentia gentes ;
Ecce novos ignes animo, nova lumina, JULI,
Phœbeis potiora cient, cantuſque laceſſunt
Rurſus adoratum ſpondentia Signa favorem.

Quò Deus, & quò læta vocant ostenta, sequamur.
Insula, quam Paci sacram dixêre Camœnæ,
Tot fida arcanis, tantarum conscia rerum,
Pacis ad extremum Geniis repetita laborem,
Continuo Vatis repetatur carmine, nuper
Felix ante alias, jam se felicior ipsâ,
Hospita ubi Regum peragit genialia pacta
Rite memor, Pacemque jugali fœdere sancit.
Hanc etiam, Thalamique Auspex, Pacisque Repertor,
Aspice, Musarum perfecto munere, partem.
Non hîc Fescennina procax convicia ludus
Liligero fundet Juveni, castæque Puellæ:
Nec tibi deformes ausint se obtrudere nugæ.
Si canimus thalamos, sint carmina Principe digna,
Christiadûmque sacris, aut Virginis arte Camœnæ.
Reddita Pax Gallis, fidæque allapsa Pyrenæ,
Spe dudum erectos avidâ, votisque calentes
Per populos urbesque volans gestibat, & agros.
Borboniam Pacis Genius remeaverat aulam,
Cui longè occurrens alacer plaudentia duxit
Agmina Primorum Lodoïcus, & ipse reductam
Gratatus plebi Pacem, sibi pacta Teresæ
Connubia, & nullâ turbandos sorte triumphos.
At non degeneri soluit Rex pectora luxu,
Haud sibi quæsitam testatus in otia Pacem.
Quin, alii dum tecta fovent, & inertia gaudent
Frangere nunc hiberna focis, nunc fallere ludo;
Ille Palatinum, populis mirantibus, agmen
Palladiæ educit rapidus statione Tolosæ.
Nec Matrem Augustam retinet mora segnior annis:
Ac, velut Herculeâ superans virtute, Minister
Mutando assiduos recreat laxatque labores:
Magnanimoque faces Juveni sublimibus addit
Consiliis, patrioque viam præit acer Olympo.
Heroum per amica volat vestigia Princeps.

Actuosa hiberna Ludovici; excursus in Galliam Narbonensem; Provinciæ pacati motus.

Jamque per infestas glacies, concretaque acuto
Rura gelu, Rhodanumque immani frigore vinctum,
Duratasque nives properant. mora nulla, tumultus
Composuere: jugum facili cervice quievit
Antè exultantis populi. Certissima, cives
Discite, Libertas placido sub Principe constat.

Arx Massiliæ structa, Arausionis diruta,

Quid varias memorem, regali providus Heros
Nutu quas sternit, nutu quas excitat arces?
Talia per Salyum tractus, Phocæaque longè
Littora jam plenâ Lodoïcum in pace gerentem
Impatiens revocabat Hymen, dulcesque movebat
Cantabriæ illecebras, maturaque gaudia cordi.
Hunc Pater omnipotens, generis cui cura tueri
Perpetuam humani seriem, deduxit Olympo,
Et Fortunati spatiis ridentibus Horti
Intulit, ætheriæ facies cui plurima sedis;
Pictaque ceu stellis, & mille induta colores
Area lucebat, marcescere nescia, florum.
Quadrifidi in medio latices; caput amnibus ingens,
Fons erat, electro salientes purior undas:
Per viridesque toros argentea lilia fontis
Labra coronabant, & purpurei narcissi.
Circùm & odorati nemoris, fetuque gravati
Auricomo, tremulas Zephyris ludentibus umbras
Misceri aspiceres. ramos arguta per omnes
Gens volucrum, dulcemque choro meditata camœnam,
Mulcebat Vitæ silvam Fatique potentem.
Non illuc Morbis aditus, curvæque Senectæ:
Nondum pestifero corruperat omnia flatu
Tartareus coluber, Mortemque induxerat orbi,
Lividus ah nimium, & malesuado callidus ore.
Illic Semideum, limo quem principe finxit
Rerum Opifex, septis ultro præfecit amœnis;
Ossaque perfundens placido stupefacta sopore,
Detraxit costam lateri, quâ deinde Virago

Terrigenæ aſſimilis perfecto corpore ſurgit.
Tunc primum conſpectus Hymen, & blanda per Hortum
Jura dedit, jura in terras quæ porrigit omnes,
Abſtraxiſſe domo ſobolem gremioque parentum
Rite potens. juſto Pietas deceſſit Amori.
Hunc morem, has leges Galilæa ſanxit in ora,
Dignatus tenui conviva accumbere menſæ
Cùm Deus attonitos mutavit nectare fontes:
Addidit & Charites, curam lenire ſequacem,
Et juga dura jubens, & ſolvi neſcia vincla,
Cùm ſacro moriens Hymenæum ſanguine tinxit.
Ille autem emicuit cœleſti ſplendidus oſtro.
Qui nunc Regali frontem redimitus honore
Pyrenen ſubit aëriam, cœtuſque ſuperbos
Indicit geminæ ſtudiis certantibus Aulæ.
Borbonium ante omnes, operoſa hiberna remotis
Finibus explentem, ſuavi ſic evocat ore.
O Decus Europæ, Juvenum Pulcherrime, Pacis
Ecquando fructus, &, quæ facis, otia carpes?
Triſtem abrumpe moram: duplicis communia Regni
Vota imple, ſpeſque ipſe tuas. en mollior annus:
Sæva refûgit Hiems; tepidâ Ver funditur aurâ:
Strata nitet paſſim violis humus, arva renident,
Conſpiratque tuis Cœli indulgentia votis.
Sponſa tibi Heſperias inter pulcherrima Nymphas
Ducetur; Natamque Parens comitatus euntem,
Nil tardante ævo, juvenili occurret amori.
Sanguine juncta, venit propiori fœdere Virgo
Jungenda, æqualem pepigit quam conſcius æther,
Ac primô tibi conſortem ſignavit ab ortu. Ludovicus & Maria-Tereſa eodem menſe nati.
Ut, parcam increpitans laudum, veroque minorem,
Quamvis ingenti facies convicia Famæ!
Oris delicias roſei, teneroſque lepôres,
Et tua cum nivibus vincat qui lilia candor,

At magis effulgentem oculis mirabere mentem.
Pulcrior & virtus formoſo in corpore regnat.
Sic ait, atque ultro properanti fervidus inſtat
Borbonidæ (Felix cupidum rapit Inſula Amantem)
Non ſecùs Hiſpanis urgens Hymenæus ab oris
Majeſtate gravem, carâ cum prole, PHILIPPUM.
Heroüm, Regumque capax, nata Inſula Paci,
Felices agè pande ſinus, Cœlo æmula tellus!
Oceanum imperio, famâ tranſvectus Olympum,
Advehitur geminus diverſis partibus Hoſpes,
Par auguſtum, ingens, geminus cui ſerviat Orbis.
Confluit unà omnis, Procerum agglomerante coronâ,
Galliaque, & magni conſors Hiſpania voti,
Regifico tantùm luxu certare paratæ.
Utraque delicias, & gazas explicat omnes;
Inque vicem, quanta eſt, cerni ambitioſa laborat.
Suſcipe tot decorum formas, tot lumina pompæ,
Et quæ vel Geniûm primos ſpectacula vincant
Congreſſus, Reducíſque immenſos Pacis honores.
Non aliàs tam feſtus Hymen, tantâque ſuperbus
Se ſpecie cultuque ferens, ac Numinis inſtar;
Nec cùm Regales hæc ipſa ad littora Nymphas,
Borboniam Auſtriacâ, Francâ mutavit Iberam.
Juncturi dextras repetitaque fœdera Reges
Conveniunt: & Sponſam aulâ comitante Philippus
Ipſe Viro addicet Genitor; Lodoïcus ovantem
Regnique ac thalami ſociam feret ipſe paterno
E gremio, Heſperiæ ſpoliis gaviſus opimis,
Pace triumphali Victor, ſed victus Amori.
Cernis, ut involitans auratâ claſſe Cupido
Palmarem dextrâ oſtentat victrice coronam;
Cœruleumque levis, proræ ſimulacra, leonem
Calce terit; maris imperio ſtrictoque tridenti
Mitè ferox, domitiſque inſultans igneus undis?
Dotalem hæc Pacem, & Pacis venerabile pignus;

Inſigne regalis phaſeli, quo cum Sereniſſ. Filia Rex Philippus ad inſulam advectus.

Deliciasque vehit Lodoïci, clarior Argô
Thessalicâ ratis, & stellatâ dignior arce.
Hanc duplex colit Oceanus. stat Velleris aurei
Puppi affixus honos: ripis invitat amicis
Insula, Phasiacæ volucris quæ nomina servat;
Prædaque Phryxæo rutilat formosior auro.
Mille simul lituûm, fidiumque per alta volutis
Mille sonis excantat aquas Orpheïa turba.
Lævibus Eoæ segmentis ditia silvæ,
Undique texta micant auro: crystallina puram
Admittunt, infracto æstu, specularia lucem:
Addita lucenti florent bombycina septo.
Serica navalem thalamum radiante metallo
Latè umbella tegit. versis nova corpora formis,
Vivida Apelleæ fraudis miracula, picto
Utrimque excurrunt lateri; placitoque tuentûm
Illusos oculos animosque errore morantur,
Carmine delectos prisco referentia amores.
Multijugas agitant tranquilla per æquora cymbas,
Regalem & placido lapsu traxêre phaselum
Puniceis culti sagulis, longo agmine, nautæ:
Lætaque inauratis verruntur marmora palmis.
Nereidum Galatea choros per flumina ducit
Hospitiis juncta Oceano, lustratque carinam.
Cœrulei rex inde gregis, post turbida bella,
Post longas hiemes, exultim alludere gaudet,
Terque quaterque micans plauso sonat æquore Delphin.
Sensit læta toris, & fati conscia Virgo.
Parte ex aduersa volitans Lodoïcus in armis
Et pacem, & pulcros tantùm spirabat amores.
Martia Custodum legio, Scotique, gravesque
Helvetii, Francæ socii virtutis, ad amnem
Constiterant: equitumque alis, peditumque catervis
Littora fulgebant longe, cantuque sonabant,

Armaque clangenteſque tubas referentibus undis,
Et ſua florentes diſtinxit pompa maniplos,
Ac variæ undantes criſtato vertice pennæ.
Inſtar quiſque ducis, nec parte gregarius ulla
Ferrum auro mutat miles. quid lumina dicam
Tot Procerum, egregio certatim ardentia cultu?
Maxima ſed Princeps decorum pars ipſe ſuorum,
Non veſte inſigni, crebroque adamantis honore,
Sidereâ quantùm ſpecie regnatque rapitque
Cunctorum ad ſe oculos unus, ſtupefactaque corda,
Os habitumque Deo ſimilis; jactuque per auras
Fulguris aſſiduo cœleſtia tela retorquet.
Dum ſimulacra ciet martis, dum lætus honeſto
Pulvere ſordeſcit, ripâque excurrit apertâ;
Circùm avidi ſuſpenſo inhiant ſpectacula vultu
Inſolita Heſperii, & miſto venerantur amore.
Arduus, imperioſus, ovans, medio acer in æſtu
Campo inſultat eques; prætoriaque agmina creber
Fortibus exercet ſtudiis; roburque fatigat
Militis, ipſe pedes crudo inſudare labori
Fervidus, inſtructas ſuperans cervice cohortes,
Et ſigna ordinibus verſis & caſtra movere.
Otia ſic agitat, ludoque auguſtus in ipſo eſt!
At qualis quantuſque ſacræ penetralibus aulæ
Ingreditur, quò dulcis Hymen cum Pace repoſcit!
Nec Regina Parens, atque altera cura Parentis,
Uuo Fratre minor, florens ætate Philippus,
Et Charitum æquales Regali ab Stirpe Puellæ,
Contynus, Proceresque aberant, quos Julius anteit
Splendidus & pompa & pactis ingentibus auſpex
Ducitur auratæ non invida rheda carinæ,
Aurea, picta, micans, Solarique æmula curru,
Aptaque ſolenni Nuptam retuliſſe triumpho.
Jam puppi exſcendit Virgo, Genitorque ſequutus;
Tum pacto felix Hymenæo, & Pacis olivâ

Tres Sereniſſ. Gaſtonis filiæ, quæ nuptiali pompæ interfuerunt.

Gusmanides, Sponsum retulit qui nomine Regem,
Absentisque vices Lodoïci & munera gessit:
Innumerique alii, cultuque habituque coruscant
Magnates, toto spoliis Oriente petitis.
Obstupuit geminæ distractus cœtibus aulæ,
Undique collucens, & plenus imagine Regum
Bidassoa amnis; veluti cùm nocte serenâ
Cœruleo expressit regnantia sidera mundo.
Sublimes animæ, præsentia numina terris,
Concilio in magno quis conscia pectora sensus
Pervasit? te Augusta Parens, cùm Pace reductâ
Concordem aspiceres tanto post tempore Fratrem,
Et Nato dignos Fraternæ Prolis honores?
Te, voti compos, Fortunatissime Regum,
Conjugis aspectu in primo quàm splendida cura
Occupat, & magnas placito spes vincit amore!
Ut collecto ignis sævit non improbus æstu!
At vos, Hesperiæ Domini, Prolesque, Paterque;
Tu Genero felix, tu Rege beata Marito,
Qui stupor invasit; correptaque lumina vultu
Borbonidæ affixit Juvenis! quæ gaudia coràm
Attonitas liquido perfundunt nectare mentes!
Ac procerum ille globo quanquam commistus in aula
Consorti stetit, & manifesta incognitus ultro
Prævertit furtivo avidus commercia visu;
Prodidit ipsa virum species, Regaliaque ora.
In se acres Reginæ oculos ex omnibus unus
Convertit; præceptum animo retulisse decorem
Visus, & immensæ præconia vincere Famæ.
Mox Regem confessus adest. Ne gaudia differ
Ulteriùs, venerande Socer! jam Numinis aram
Contigit; & Paci, nil Julia pacta retractans,
Sacramentum ingens, & non revocabile dixit.
Dux operum, formosus Hymen, Collegáque Pacis

Ludovicus de Haro & Gusman, Comes-Dux de olivarez, cum Card. Mazar. Pacificator, Ludov. Regis in sacro nuptiarum ritu personam sustinuit.

Rex Christianiss. primo congressui regio adfuit in turba: sed ex ipsa oris Majestate deprehensus, Reginæ oculos ad se rapuit.

Crux piè ab Regibus, pacem sancientibus, contacta.

Vênit Hymen; Mariam Lodoïco tradit amanti.
Dicite iô, Franci! Lodoïco ducitur uxor.
Pronuba non illic Juno; ſed quæ inclyta primum
Diva dedit MARIÆ nomen, crinalibus aſtris
Sanctum incincta caput. Dominæ lætiſſima ſervit
Inſula Pacificæ, regalemque inſtruit aram,
Æternum facti monimentum, & nobile Pacis
Bellonâ expulsâ, atque evicto Marte trophæum.
Jamque, loci præſes, Superûm Regina frequentem
Deduxit cœlo pompam, non innuba Virgo,
Virgo eadem, ſummique Parens auguſta Tonantis.
At non, ceu Thetidis quondam celebraſſe feruntur
Æacidæque toros ingenti numina cœtu,
Theſſala cùm ſtupuit fatales regia cantus
Parcarum, & magnum jamtum præcepit Achillem.
Vera canam. Regum ad thalamos delapſus Olympo
Borbonidûm genitor LODOÏCUS, & aurea Mater,
Heſperiæ lumen gentis, caſtiſſima Blancha;
Maternâque ANNÆ Francos ditione regentis
Ingens exemplum, paribuſque exercita curis,
Turbati imperii paribus jactata procellis.
Adſtitit & Proavo ſocius, quo Juſtior alter
Non fuit, & clarâ manifeſtus nube refulſit
Principis ante oculos Nati, Pater; ille trecentas
Expugnaſſe potens armis victricibus urbes,
Et pietate prior; nunc demum Pace refectâ
Lætior, optatam votis ardentibus olim
Incaſſum, ac totâ fugientem mente ſequutus,
Supremo admotus ſolio & ſtellantibus aris,
Pacem exoravit Domini graviora minantis
Funera; vaginæque inimicum reddidit enſem
Sontibus inſtantem terris, ſtrageſque cientem.
Et Nato Hiſpana repetitum gaudet ab aula
Connubium, & ſacro devinctam fœdere Pacem.
Nec minùs &, Francis Fidei quæ Regibus auſpex,
Clotildis

Clotildis ; veloque caput Radegundis amicta
Stellifero, magnorum haud immemor illa clientum.
Namque huic marmoreum, voti rea sospite Nato,
Anna sepulcralem simulacrum erexit ad aram
Reginæ Regina dicans ; & Pictava templa
Concelebrans multo fida intra mœnia cultu,
Tranquillam Cleni quoties consedit ad oram.
Adfuit & Nymphas inter spectabilis omnes,
Alitis ætherii jaculo cor saucia,& igni
Sidereo, pulcrumque fovens & amabile vulnus ;
Commissæque sibi felix Patrona Teresæ.
Centum alii Heroës Regi venêre Marito;
Centum aliæ Nuptam comitatæ Heroïdes adsunt,
Insignes radiis, seu quos mea Gallia cœlo
Addidit Indigetes, seu quos Hispania misit,
Utraque Semideûm partu generosa beato.
Stellatæ micuere faces, vibrantiaque auro
Flamea, virgineæ velamina debita fronti,
Æthere fluxerunt, complexusque annulus Orbem
Candida Pax, Bellonam abigens immanè frementem,
Antevolat, sternitque toris genialibus ostrum.
Insequitur, mollique jugalia vincula nexu
Gratia, & adstringens populos Concordia inermes,
Regales animos sacrato fœdere jungit.
Ibat Majestas rutilâ turrita coronâ :
Lilia regalem pinxerunt aurea pallam,
Cœruleam, ingentem. longe lateque fluentes
Ponè sinusque legunt, gemmãtiaque agmina Nymphæ.
Quam juxta, major solito, nec lumine cassus,
Tendit Amor, Rex Regum, auroque armatus & igni.
Inter se unanimes ambo nunc denique regnant
Fœdere composito, atque eâdem sedere curuli.
Cœlestes inter formas animosa Virago,
Sed galeâ exutam mulcent cui Lilia frontem,
Cordaque letifero Gradivi exsolvit amore

Mitis Hymen, ſtabat ſublimi Gallia vultu.
Lactea florebat facies, ridentiaque ora,
Ridenteſque oculi ; & molli coma fluctuat auro.
Auxerat & ſolitos, Naturam imitata, lepores
Ars facilis ; luxuſque opulentâ veſte fluebat.
Altera ſeſe, oleæ felicibus obſita ramis,
Extulit, ac veſtem baccis oneravit Eoïs,
Fronte ſupercilioque minax quæ nuper Amazon.
Temperat hîc mores, & jam gravitate remiſsâ
Fingitur ad luſus ; & pro re gaudia jactat
Publica, pace quidem & fauſto gaudens Hymenæo ;
Auſtriacæ ſed quam digreſſus Virginis urit,
Subtriſtis, lacrymiſque oculos nimboſa tumentes.
Nec jam ſe cohibet ; dilectamque anxia voti
Proſequitur gemitu Dominam, amplexuque retentat.
Cunctanti dextram implicuit ſubmiſſa Puellæ
Gallia ; &, ô, teneras dictis quid inanibus aures
Vexare, ac lucem turbare, Hiſpania, feſtam
Indigno plangore juvat ? quin plauſibus, inquit,
Lætitiaque favens, Hymenæo accedis ovanti ?
Teutonicum non illa procul diſcedit in axem ;
Contiguo immigrat regno : coramque tueri
Fas erit alloquiiſque frui. neu tu, optima Virgo,
Natalem Heſperiam, patrias neu reſpice ſedes :
Quamvis & liquidas pleno Tagus aureus alveo
Volvat opes, & uterque Indus ; magníſque repoſta
Montibus ac toto Peruvia ſerviat auro.
Ecce Garumna Tago flaventes concolor undas
Invitat, pulcroque oneri ſuccedere geſtit.
Nec Bæti Ligeris, Rhodanus nec cedet Ibero.
Sub tua jura fluit regali ſplendidus urnâ,
Qui nunc te votis expectans omnibus ardet
Sequana, perque omnes magni decora alta triumphi
Molitur ripas, Luparæque oſtendit honores,
Queis patriam haud pigeat mutaſſe penatibus aulam.

Mitius hîc cœlum : nec tantùm lactea vultûs,
Quantùm animi se forma probat, morumque venustas.
Quàm crebræ, nimbosque ingressæ turribus urbes !
Quam validæ surgunt arces, admotaque Olympo
Culmina templorum ! series quàm splendida Regum,
Primigenûm queis alma Fides sancivit honorem ;
Queis olei æternum laticem, queis lilia nubes
Fuderunt ; dextram morbi sensere potentem !
Quanta virûm virtus, seu pax, seu bella gerenda !
Secula durando superat bissena, Potestas
Europæ atque Asiæ domitrix, columenque Quirinæ
Sedis, & Odrysii terror frænumque Tyranni.
Auximus & numero Superos, cultuque : nec Aula,
Tot regnorum inter casus, errore profano
Degenerans patrios didicit corrumpere ritus.
Quin etiam proprios solio transmisit ad aras
Indigetes ; nostrisque æther inclaruit astris.
Terra suis felix opibus, quas mille Britannæ
Teutonicæque petunt longinqua per æquora naves.
Aspice vicinos portus : & utroque frequentes
Oceano, duplicique agitant commercia mundo.
Ac si parva loquor (coràm & majora tueris)
Regia barbaricas evolvet Thracia prædas,
Subdita Majorum sceptris, desponsaque fatis.
Hîc Legésque, Artésque vigent, hîc sacra piorum.
Rara per ingentes campos vestigia restant
Invisi gregis, errantisque per avia longè.
Hæc quoque fas abolere tibi : flectesque sequacem
Imperio gentem facili, & cœlestibus armis.
Gallica Regna, tuæ jamdudum obnoxia Divæ,
Fatale agnoscunt nomen ; superæque secundam
Reginæ augusto MARIAM venerantur honore.
Vincet amore tui gentiles Francus Iberos.
Quos tu æstus cernes populorum, & quanta per urbes
Gaudia ! nec dubio subsultant mœnia motu.

Sed quanto tuus ille, tuus nunc geſtit amore !
Scilicet & motus teneros Genitoris, & omnes
Præſtitit, in fido ſpirent qui Conjuge, ſenſus :
Téque ſibi votis & regnis omnibus emit
Rex Dominam, thalamo pariter, ſolioque potitam.
Hic Vir, hic eſt, tua qui rudibus præcordia flammis
Imbuit, & nunquam dubios inſedit amores :
Quîcum facturam, ludens magno omine, pacem
Dicere, jampridem retulit quæ fama, ſolebas.
Mutuus arma inter, cœloque immiſſus ab alto
Crevit amor ; lætoque tori ſpem corde fovebat.
Nunc votis reſpondit Hymen. Sic ore loquutam
Excipiens, cœtu in medio ſolennia ſancit
Gaudia, Conjugibuſque Hymenæus talia cantat.
O bene conjuncti, & vinclis felicibus apti !
Auguſtis prælate procis, Pulcherrime Regum,
Dudum bello ingens, nunc pace ingentior Heros ;
Candida Principibus Virgo prælata puellis,
Hactenus Heſperiæ, Francæ nunc Phoſphorus aulæ:
Regaliſque pares Fortunæ munere, & annis
Æquales, Magnâque ambo ſub * Virgine nati !
Carpite inoffenſæ ſocialia gaudia Pacis ;
Stringite fraternum geniali fœdere fœdus :
Ac ſimilem vobis (nam quæ majora precemur ?)
Virtute & formâ thalamis educite prolem.
Æternùm viridem, Juvenes, pertexite vitam,
Qualem victrices fatorum ducere palmas,
Ramoſa amplexu connexas brachia, narrant ;
Phœniciſque modo, propriâ de ſtirpe renaſci.
Nunc bis, iô, Franci ; bis, iô, nunc dicite, Iberi !
Borbonidæ inſcripto florentia nomine Regis
Lilia, cumque oleis ſuaves aſpergite myrtos.
Aſſenſere homines pariter, Divique canenti.
Annuit ipſa hilarans vultus Hiſpania, lentoque
Abſceſſum molita gradu, vota ultima fudit ;

* Sub ſigno Virginis : at felicius ſub tutela V. Deiparæ.

Votum Philippi Reg. Hiſp.

DELPHINO matura dato, quem ſceptra manerent
Aucta Muſulmanûm ſpoliis, Lucina Puellam
Ederet, Auſtriaco ſociandam rite Puello;
Arctiùs ut, miſto Regum, totieſque refuſo
Paciferum in populos coaleſcat ſanguine fœdus.

in ipſo digreſſu ſignificatum.

Interea lætum vicina ſub oppida tendit
Francus iter. fluvio invitus ſuccedit Ibero
Phœbus, & alternæ tradit creſcentia nocti
Gaudia, perque vias longæ ſpectacula pompæ.
Noctivagas nec pompa faces auguſta requirit,
Dum tædis prælucet Hymen, ac Regia Virgo;
Qualis ubi Solis radios excepit & ignes,
Candida Luna nitet; claroque argentea curru
Pallentes inter, Cœli Regina, tenebras
Stellarum famulante choro percurrit Olympum.
Inde Pyrenæi ſaltuſque amneſque relucent;
Cantabrico rident ſplendentes æquore fluctus,
Heſperiæque urbes, atque omnis Gallica tellus;
Et bello antè flagrans, flammis melioribus ardet
Europe, ſacroſque Hymenæi concipit ignes.

Pompa clariſſima quâ Regina è comitio ad Galliã traducta, in nocte excurrit.

FOTUNATÆ ingens ventura in ſecula nomen
PAX & HYMEN Sedi geminato inſcripſit honore.
Addita relligio, & populis venerabile numen;
Regiaque æterno celebrabitur Inſula cultu.

Quæ decori pars, Magne, tuo nunc denique, JULI,
Reſtat, ubi auguſto poſt horrida fœdere bella
Paci adjunctus Hymen, myrtuſque acceſſit olivæ?
Tu Genius: tibi fas ſoli, quo robore mentis
Cuncta potes, Francæ datus hæc in munera genti,
Pondera moliri Regnorum, Orbiſque ruinas
Erigere, ac miris populorum ingentia vota
Vincere conſiliis, & ſpes prævertere factis.
O quantum exhauſtum curæ, ſanctique laboris!
Terque quaterque novis Pacem congreſſibus urges,

Non pendere minas operum, dubiamque ſalutem,
Paſſus, inexpletiſque manum deſiſtere cœptis.
Et Pacem, immenſo tibi quæ perfecta labore,
Teſte Deo firmatam, & non violabile fœdus
Pacificâ in Cellâ juratis rite ſacraſti
Regibus, ipſe Auſpex Latio venerandus in oſtro,
Civileſque gerens curas & myſtica jura.

Card. Mazarinus Regis Christianiſſimi; Patriarcha Indiarum, Catholici Regis jurijurando de ſervãda pace præfuerunt in Aula comitiali.

Nec tua ſe Francis, Juli, Pax finibus arcet,
Collectos artus laceri per civica Regni
Diſſidia in veterem revocans mitiſſima formam.
Heſperiam latè duplicem, geminumque peragrat
Oceanum, vaſtoque furentem gurgite Moſam,
Rhenumque æratis pugnacem cornibus, & qui
Mille alii bellis fremuêre ardentibus amnes.
Taurinûm armiſonis concuſſas motibus Alpes
Sedat; & Allobrogas, Mutinamque, arceſque Monœci,
Auſtraſiamque implet, lætoque per omnia curſu
Explicuit ſeſe, volucri comes addita Famæ.
Venturos etiam motus elidere in ipſo
Semine prægeſtis, longinquæ occurrere cladi:
Helvetios, Rhætos, pugnis exercita corda,
Fœdere componis fraterno, & legibus æquis.
Quid, quòd & inſanum toties popularibus undis
Anglia pacavit Tameſim, jam Rege recepto?
Quid non Sarmaticæ gentes, aut Cimbrica debent
Regna tibi? Sueco feſſis requieſcere bello
Queis tua ab occaſu extremam porrecta ſub Arcton
Cura dedit, tacitâque ciens vi machina Mundum.
Illa tibi demum, Borealibus aſpera flabris,
Sed magis infeſtas Gradivi experta procellas,
Et Batavis Angliſque gemens ſub claſſibus, ecce,
Detumuit Baltis, ſocialiaque arma remiſit.
Ilicet alterno fumantes ſanguine & igni
Borboniam Stellam fluctus, & Julia adorant
Aſtra ſecurigeros inter dominantia faſces.

Nunc & compositis Europes Africa rebus
Pacem ambit donis supplex : captivaque tendit
Jam palmas Asia, & liventia brachia vinclis,
Gallorum memor, ac dominos venerata priores ;
Missaque jam Cretæ gaudens, Franca arma reposcit.
Ipsa etiam Pacis fructus America recentes
Decerpsit, securo agitans commercia ponto.
At trepidi jam jam Byzantia mœnia Turcæ
Christigenûm armatæ cernunt succumbere Paci.
Barbariæ terrore vago portenta tremiscunt,
Fulmina ut extorques Aquilis, Colubrosque veneno
Exarmas, sævosque adigis mansuescere Pardos.
Et nova belligeri veniunt ad fræna Leones :
Unguibus ira, jubisque minacibus excidit horror.
Sed caput hoc meriti. prono tu marte fluentem
Sortem inhibes, mediosque abrumpis Pace triumphos,
Fœdera constringens dulci regalia vinclo.
Scis votis posuisse modum, rebusque secundis,
Victor & ipse tui, Fortunâque altior Heros.
Parcius hæc timidâ satis est libasse Camœnâ.
Nam tua quæ summæ præstructa modestia laudi,
Plura efferre vetat. Famam suspendit hiantem,
Oppressitque animos stupor, & venerantia corda.

PAX PRÆFICA
IN FUNERE
JULII CARD. MAZARINI.

AN. M. DC. LXI.

QUÆ modò sidereos tædis felicibus ignes
Regalem ad thalamũ, festæ inter gaudia pompæ,
Pronuba jactabam ; ferales Præfica tædas
Tollere nunc Parcæ invidiâ fatoque sinistro
Cogor, & augustos luctu fœdare triumphos.

Magne Parens, quid me ſontes inviſere terras
Juſſiſti, & ſævos oculis haurire dolores?
Nempe excedentem, quo ſum revocata Miniſtro,
Aſpexi, fruſtra injectis obnixa lacertis;
Gallia dum trepidat labefacto cardine rerum,
Numinaque implorans queſtu, ſurdaſque precanti,
Heu, fruſtra votis incendens omnibus aras.

Cui tantum in Genios licuit? nec parcere docta
Semideis, nec Regum apices oſtrumque vereri,
Armaque opeſque Ducum, ſpoliiſque ſuperba trophæa,
Ludit Parca furens, atque implacabilis inſtat
Communi exitio; capite omnes ferrea cenſet.

O Francæ, atque Italæ gentis decus! ô ſacra Juri
Purpura: tergeminoque coruſci ſidere faſces!
Sidera nunc extincta, & triſti decolor umbrâ
Purpura; nunc verſi faſces, laurumque oleamque
Funereâ mutant taxoque atraque cupreſſo:
Palmarem pheretro mutavit Gloria Currum.

Fortunæ ô vario Princeps jactate tumultu,
Non te diſcordes animi civilibus armis,
Non hoſtis dolus aut virtus mavortia læſit:
Mortis ego armavi dextram, morbique furores
In te acui; te Pacis amor ſtudiumque peremit.

Parcite magnificum, Vates, affingere nomen:
Inſula, quæ tantæ dederit primordia cladis,
Fortunata negat dici; crimenque fatetur
Tot molem curarum, & non tolerabile pondus.

Ah, quoties præſaga mali, metuenſque pericli,
Arcano increpui monitu! Jam fœdere pacto,
Curarum nimius jam deſine. non tibi ahena
Membra rigent; quantæve animo, ſtant corpore vires.
Ille nec Europes tota ſub mole fatiſcit,
Igneus, acer, agens, ſuperis haud Mentibus impar:
At corpus mortale tibi, &, qui clarior aſtris
Intus agit, ſenſim divino carpitur igni.

Ipſe tui cape fructum operis, cape debita Pacis
Præmia; quam populis præſtas, cognoſce quietem.
Inſtabas tamen uſque avidus; belloque fugato
Materiem curæ immenſam æternique laboris
Pertexens, fatum ipſe tuum, quo mœſta fremebat
Natura, urgebas morbo obluctatus iniquo:
Legatis reſponſa dabas; nec Gallica tantùm
Commoda, bellantes etiam curare Polonos
Et Venetos totumque amplecti haud ſegnior Orbem.
Ergo deficiens, operique immortuus Heros
(Nec poteras majora, & jam Cœleſtis haberi
Debueras, miro pacatis fœdere terris)
Humanas experte vices, uſuque dolorum
Non rudis, extremam ſubiiſti denique ſortem.
Terrarum hoc tremor, hoc diri cecinere cometæ:
Montibus hoc pavidis ſonuit, dum rite peracto
Munere ſigna moves, horrendum agitata Pyrene:
Venturamque Orbi ſenſerunt omnia cladem.
Vicennæ infelix caſtrum, quo, maxime Juli,
Occidis, atratumque nemus, Regalia Tempe
Squallent, aſſiduis lacrymoſus & imbribus aër:
Inſani vaſtis tumuerunt fluctibus amnes.
Delicias Regni Ligeris corrupit: & altam
Sollicitans Juli patriam, ſimiliſque furenti
Lugere amiſſos docuit Tiberinus honores.
Plangebant ripæ, plangebant Romula tecta;
Septeni gemitum referebant ordine colles.
Tum crudo infamem caſu, penituſque nefaſtum
Damnavere annum Superi morbiſque fameque.
At tibi ſi merito producere longiùs ævum
Cœlicolæ dextri terris facileſque dediſſent;
Multiplici expertas bello, notaſque triumphis,
Lætior exciperet pacales Francia curas,
Triſtibus exhauſtæ fatis ſolatia plebi.
Talia verſantem duræ inclementia mortis

Oppreſſit. nec tu legem indignatus acerbam,
Mente inconcuſſus ſolida, fortique ſupremos
Tollebas pietate animos, Cœloque ſacrabas.
Scilicet & mœſtum, in medio jam funere, Regem
Multa monens, fidoque in poſtera ſecla Miniſter
Conſilio excurrens, mortalibus altior ibas.

Orbatæ hi Pacis gemitus, & flebile carmen,
Muſarum plangente choro, dum maximus Heros
Illuſtri exequias Umbræ ſupremaque ſolvit
Officia æterno conſtans LODOÏCUS amore.

LUDOVICUS DE HARO

Eodem, quo MAZARINUS Cardinalis, anno extinctus.

EHEU, curarum conſors, ſociuſque laborum,
Heſperiæ decus, & Pacis * cognomine gaudens;
Atque inter ſanctos, Hymenæi fœdera, ritus
Liligeri geſſiſſe vicem clariſſime Regis;
Tune etiam Pacis luctus, HAROE, ſuburges?
Funere fatalem duplicato polluis annum?
Regnorum Atlantes, geſtis par nobile rebus,
Fœderis & gemini arbitrio; ſacroque labore
Confecti, emeriti, dilectæ victima Pacis
Conciditis, Capita Europæ devota ſaluti.
Una eademque ambos æterno junxit honore
Cauſſa Duces, ambos & funere junxit acerbo.
Nunc, ubi terrenum mens exuit ignea corpus,
Ætherioque volans demum requievit Olympo;
Non tu, crinito ceu quondam Julius aſtro,
Romulidûm ludos proprioſque inviſit honores;
Sed placido terris affulges gratior igni,
Principibus, JULI, & populis ſpectabile ſidus.
Tuque, ô Guſmanide, gentiles inter olivas

* Autore Philippo Rege.

Suave nitens, dulces patriæ das carpere fructus,
Ingentisque ministerii dona ultima sancis.
Anglica quin Tamesis turbatam ad littora Pacem
Ante obitum firmas benesuado providus ore,
Legatisque vetas Francis concurrere Iberos.
Paciferi mundo Gemini, Martisque procellam
Ingenii latè radiis stravisse potentes,
Munere sic geminum & luctu conjungitis axem:
Vestraque regales implebunt nomina fastos,
Et presso Invidiæ mirantia secla veneno.





HEROICON
LIBER IV.

GALLIA AD CUNAS DELPHINI.

AN. M. DC. LXI.

GENETHLIACON.



MIHI non frustra surdas jactata per auras,
Quæ Regum ad thalamos cecini solennia vota!
Audistis, faciles Superi! DELPHINUS Olympo
Ambrosios inter latices processit, & ignes
Purpureos; capitique sacro micat aurea flamma,
Bisgeminam effingens stellatâ fronte coronam.
Hîc ego te instratum cunis, quas aulica circum
Pompa fluit, solio Majestas intulit alto,

Aspicio, venerande Puer, Regumque voluptas
Et populi communis amor! salve inclyte Delphin,
Spes hominum, pignusque Deûm, mea gloria salve.
Quantum instar Genitoris habes! utque oribus ora,
Et vivâ augustos effingis imagine vultus;
Sic mentem assimilem menti, sic æmula corda
Auguror, æquandosque altæ virtutis honores.
Quantus & Austriaci flos Sanguinis ille renidet
Borbonio intextus flori, blandissima Mater;
Lacteolisque genis, tenero quas imbuit ostro
Ipse Pudor, roseisque micans expressa labellis!
Felix ô nimium, tantos sortite Parentes,
Igneus unde animos implet vigor, igneus artus;
Scilicet & pulchro infusi cum sanguine mores,
Fortunæque capax venit sub pectora Virtus.
Vos quoque divinâ felices Prole Parentes,
Nobile queis vinclum & fecundi pignus amoris
Additur, optato surgit nova gloria partu,
Liligerique Heres columenque immobile Regni!
Phœbe, tuos nimbo,* si quis rubor, obrue vultus. Natus meridie Delphinus (* nubilo cœlo)
Major adest, mediamque Oriens splendore superbo
Præstinxit Puer iste diem; festisque Novembrem
Auspiciis, tantaque insignes laude Calendas
Clarior illustrat Supremæ Lucis Imago.
Relligio & castus meritam Pudor æthere prolem
Elicuit, cupidisque jubar spectabile terris.
Ecquos non votis Augusta Puerpera Divos
Advocat, & præsens spirantia lipsana numen,
Difficilem expediant nixum, partusque labores?
Nec minùs ipsa, gravi Reginæ arrecta periclo
Suppliciterque instans aris, Cœlum omne ciebam. Festâ SS. omnium luce.
Tota exorati sese reclusit Olympi
Regia. tum niveos sparsit Via Lactea rores:
Densaque odorato volitantia lilia nimbo
Aëra pinxerunt nitidum. data lilia Cœlo,

Insita succrescunt terris. O publica Divûm
Cura, Puer, Divûmque ingens, Delphine, propago!
Indigetem LODOÏCUM, expectatumque Nepotem
Tardi commendent ortus, operosaque cœpta:
Tu facilis celerique venis gratissimus ortu;
Nec populos mora longa & spes incerta fatigat.
Tu Pacis gremio eductus: præmissaque ab astris,
Sternere iter Pax jussa tibi. formosa Parentum
Pronuba, jam Nati curam Pax alma reposcit.
Ostensus primùm terris, spirabile lumen
Hausisti, medium cùm Sol attingeret axem,
Quâ lucem quondam Genitor libaverat horâ.
Artubus hinc solidum robur, vis flammea cordi,
Omnia Patris erunt. Requies labor vna laboris
Nota Viro. Sic arma inter noctemque diemque
Alipedi insidens, obsessas contudit urbes.
Nuper & insolito Ligerina ad flumina cursu
Pervolat attonitas gentes, & fulguris instar
Itque reditque alacer: vel aperto qualis Olympo
Fervidus astrorum Princeps, perque hospita Signa
Irrequietus agit, fecundaque lumina terris
Dividit, ingentes anni revolubilis oras
Assiduè relegens, atque indefessus eundo.
Nec deerunt, qui belligeræ præsagia vitæ
* Die Martis. Natali * de luce trahant, quam nomine signat
Bellipotens; clarumque canant victricibus armis
Delphinum, & Martis conceptas pectore flammas.
Disce tuis, Auguste Puer, proludere fatis;
Non quæ Parca vetus fragili currentia fuso
Temperat, aut Stellæ vis imperiosa coërcet.
Fortunam, Fatumque tibi Sapientia finget,
Clarior & stellis Virtus, cœcasque regentum
Arbitrio sortes Divûm justissima cura.
Maximus imperiis, exemplis major, ad usus
Ipse Parens finget varios, palmarius autor,

Progeniem; Paciſque artes Bellique docebit:
Sceptrum habili tractare manu; librare bilancem
Juſtitiæ; gentes gladio aut terrere ſuperbas,
Aut tegere oppreſſas, animoque evincere Caſum.
Haud magis omnigenas peſtes, immania monſtra,
Vindice terrarum dextrâ clavâque petivit
Alcides; quàm Tartareis ſeſe arduus infert
Portentis hoſtem Lodoïcus, & agmina turbat
Juratis odiis, Vaticaniſque coruſcus
Ignibus ac Themidis ferro ſuperimminet ultor.
Tum Pietas partes animum convertit in omnes.
Vos, Aræ, teſtes Lodoïco, & conſcia Virgo,
Divorumque alii, pronum queis rite clientem
Exhibuit, largis onerans altaria donis;
Victriceſque dicans lauros, atque hoſtica ſigna,
Signa triumphales delubris fixa per arcus.
Quid loquar, ut ſummo demittens vertice rerum
Officiis ſeſe popularibus, altior exit?
(Quàm bene Majeſtas placito ſociatur Amori!)
Ut Martis furias, utque ambitioſa Duelli
Opprobria, indomitumque nefas feralis arenæ
Tandem abolet, pœnaſque ſacratis legibus armat?
Quin etiam immenſæ ſubit ardens pondera molis:
Publica mens toto Regni ſe corpore miſcet,
Nil curæ aſſiduæ parcens, rigidoque labori.
Sufficit ipſe ſibi, & vigili regit omnia nutu.
Triſtibus acciſæ bellis ſolatia plebi
Multa agitat, Paciſque ſequacia munera, & ortu
Jam, Delphine, tuo latè ſua gaudia fundit.
Sic homines, ſic ille Deos comprendere gaudet
Promeritis! ſic ille Patrem patriæque, tuumque,
Magne Puer, geret, & curas utrique ſagaces
Dividet incumbens, æternoſque addet honores.
Naturæ igniculos, virtutumque indita Nato
Rex generoſa fovens felici ſemina cultu,

Optatam eliciet ſegetem. Ceu ſtirpis origo
Borboniæ, templiſque Heros adſcriptus & aſtris,
Creſcentem inſtituit ſobolem ; audacique Philippum
Pectore ſurgentem patriæ ad faſtigia laudis,
Secum acies inter, trans & maria aſpera duxit,
Barbara cùm peteret Chriſto duce & auſpice regna,
Spectatorem adhibens operum, comitemque laborum.
Hos adeo mores, Proavi decora alta, ſecutus,
Præceptis factiſque ingens formare magiſter
Prægeſtit Natum Genitor, pulcraſque per Artes
Grandia jam tenero meditantem educet ab ungui.
 Creſce oleas inter, Princeps ; ac Pacis Alumnus
Relliquias bellorum, & adhuc ſtillantia tela
Sanguine, funeſto prohibe recaleſcere motu :
Jam nunc terrificus, ſubnixoque addita Patri
Maxima vis, Regique Nepos amor addite Ibero.
Ah ! ne Chriſticolûm lætis nimiùm invida rebus
Eumenis inſurgens, ah ! ne vis dira laceſſat,
Hoſticaque ultorem dilectæ injuria Pacis
Extimulet, Bellonam adigens revocare cruentam !

Sub idem tempus, Londini turbatũ eſt in Gallos ab Hiſpano Legato.

 Sed quocumque gradum & fatalia verterit arma,
Victor & aſpectu, gelidumque in corda tremorem
Hoſtibus incutiens animoſi fulmine vultus :
Pellæi ne tu Pueri de more triumphos
Proſequere auguſtos lacrymis, jam laudis avarus.
Apta ſeges laudum, cùm firma adoleverit ætas,
Suppetet, optatæque expectat copia palmæ.
Tempus erit, cùm te ſua per veſtigia ovantem
Ducet ovans, primoque tibi mirandus ab ævo,
Ille habitu Heroas referens ac robore Princeps,
Vel magnum Alciden, vel magni pectus Achillei.
 Spero equidem, Ottomanus venturi exordia belli
Imbuet, heu Mundi Prædo, rerumque Tyrannus !
Sed priùs ipſe tamen, dum te immatura moratur
Indignantem ætas, fractus terrâque marique

Fulmineo

Fulmineo Genitori, obtritæque agmina caudæ
Vasta trahẽs, proprioque Draco se in sanguine versans.
Sentiet inde tuos, palmaria cœpta, labores,
Ultimaque excipiet regali vulnera dextrâ,
Perdomitus sacro demum post secula marti.
Grassantem, immensâque feram cum strage ruentem
Hac-cohibere-tenus satis est, vel stringere plagâ
Membra levi. Monstro respirat Dacia pulso;
Prostrato insultat Venetus, Cretamque revellet.
Tu sævum toto Mahometem Oriente triumpha,
Vindex Christiadum, & partæ monimenta salutis
Assere. Byzantî dejectis culmina Lunis
Purpureasque Cruces & candida lilia tollant,
Lilia Threïcias olim dominata per oras,
Perque Asiæ dites populos, altamque Siona.
At tibi grata rudes acuent præludia nisus;
Jam gladio frameâve brevi simulacra ciere
Bellica, congestuque extructas cespitis arces
Aut premere assultantem, aut mœnia ficta tueri,
Accensoque tubos nitro displodere ahenos:
Imperiosum equitem septa ostentare palæstra,
Mox & pulvereo fumantem attollere nimbo
Campum, aut venatu silvas agitare feroci.
Herculeos configere apros. Regalis Amazon,
Ausa manu tenerâ Mater, pulchrâque beatas
Morte feras. Nam quid patrii certamina ludi
Commemoro? seu cùm peditem pedes ipse Gradivi
Legibus exercet, turmasve inducit equestres;
Innocuo spectantum acies terrore remulcet.
Carpite nunc, Musæ, citharas, nunc aurea plectra,
Nil humili meditata sono. jam sponte micantes,
Ecce, fides gestire novos in carminis usus.
Altiùs evectæ Pindo, Regalia cœlo
Ferte Puerperia, & meritos Delphinis honores.
Vestras ille colet studiis haud segnibus Artes;

Materiemque amplam jamnunc docto ille labori
Suggerit, ac niveos vagitu evincit olores.
Cingite Apollineâ cunabula cingite lauru :
Æternùm viridem Puero properate coronam.
Tuque agè, Fama loquax, nunc omnibus, i, cita pennis,
I, cita Fama, tubis nunc omnibus ora resolve,
Per mea regna volans ; Boreanque Notonque pererra,
Hesperiasque domos, Eoaque Memnonis arva.
Ad tua subsilient auriti carmina montes ;
Intonsa applaudent nemora, exultantiaque antris
Saxa frement, vocesque jocosa revoluet imago :
Oppida Delphinum, Delphinum rura sonabunt.
Tristes diffugient Morbi ; fluet aureus imber
Veriùs in populos, quàm cùm, nascente Minervâ,
Flava Rhodi liquido maduerunt culta metallo.
Purpurei trepident alieno nectare fontes :
Millenas vagus in formas lasciviat ignis :
Ære cavo festi tonitrus, innoxia ludant
Fulmina ; & innumero florentes lumine Cœlum
Miretur terras, & non sua noctibus astra.
Bisgeminos concha Triton circumsonat Orbes ;
Regales inter saltus, & Fontis amœni
Delicias natum, Oceano Delphina renarrat.
O fortunati Tempe Regalia Fontis !
Vos Henriciaden Tyrrhenæ Naïdos alvo
Excipitis quondam ; tepidâque argentea lymphâ
Balnea præbentes, mollem fovistis Alumnum,
Rupellæ excidio venturum, & vana frementis
Oceani Domitorem, effractâque Alpe superbum.
Nunc Lodoïciaden, & Avo majora daturum
Prodigia, & forti non inferiora Parente,
O Regum Natale solum, sub luminis auras
Edis, ô Idæo longè felicius antro,
Clarius Ortygiæ luco ; veterumque Deorum
Quæcumque est patria, & ficto se jactat honore.

Sangermanæ arces, Vicennæque ardua caſtra,
Et Luparæ creſcentis opus, Lutetiaque ingens
Dulces primitias viſi Delphinis, & ortus
Invidet : ambroſio decedit Sequana Fonti.
Quod ſupereſt ; munus faciles defendite veſtrum,
Cœlicolæ ; Geniuſque vigil communia ſervet
Pignora. Tuque adeo, Regum fidiſſima Cuſtos,
MAGNA tuum placido reſpecta ſidere MATER,
Quem pia Adoptivum Genitrix, ſanctoque renatum
Fonte dicat, properanſque ſinu meliore reponit.
Nec minùs & dulci Genitor gratatus amore
Acceptam retulit ſobolem : conceptaque vota
Reddere Carnutûm celebres feſtinat ad aras ;
Quo ſua rite memor templo Soteria Princeps
Fixa recognoſcat, meritoſque inſtauret honores ;
Bis-tuus, ô MARIA, & miro primùm editus ortu,
Mox & præreptus morti LODOÏCUS acerbæ.
Vera fave Lucina ; inſontemque Alma Clientem,
Complexa, & Nato commendans blanda Tonanti,
Auguſtoſque ſatellitio ſepſiſſe Parentes
Aligero, curaque ANNAM dignare perenni :
Ut gremio reptans Aviæ, niveiſque lacertis,
Ludat purpureus, ludendo & ſeria diſcat
BORBONIDES ; pietatem avidus pleno ebibat ore :
Splendidaque æterno revireſcat flore ſenectus.
Auſpice te, jam ſponte roſas, jam lilia, Virgo,
Gemmantes Pueri fundunt regalia cunæ.
Barbariæ Domitor latè, venientibus annis,
Nomine, Diva, tuo paſſim ſacrata trophæa
Inſcribet, ſpoliiſque tholos ditabit opimis,
Imperio terras, meritis complexus Olympum.
Jam video effuſas alta ad Prætoria Gentes :
Concurſu trepido fatalem Mundus adorat
Certatim Delphina, & ovantem plauſibus aulam
Undique Legati celebrant, ferventque ſuperbis

Officiis. major Pueri jam affulget imago.
Promissa his demum Natalibus aurea current
Tempora, & oblato riserunt omnia seclo.
Haud temere lacrymarum exors, frontemque serenus
Prodiit; & fausto præsignans omine Delphin
Illustres cuncta in melius referenda sub Ortus,
Spes quamvis auidas olim & vota improba vincet.
Vincula, fasciolis vinctus, jam soluit egenti
Turbæ Opifer, pavidisque Reis. Quàm læta sequentur
Omnia! quàm felix Populis ac Regibus ætas!
Major Avis, nec summo impar, DELPHINE, Parenti,
VIVE, Puer festive; Puer suavissime, CRESCE,
Et merito jamnunc REGNA formosus amore.

Sic incompositam rumpentia gaudia vocem
GALLIA, Regales Cunas venerata, profundit,
Natalesque sacrant solennia vota Calendas.

CHRISTINÆ AUGUSTÆ

POST ABDICATUM SUECIÆ REGNUM ejuratumque Lutheranismum TRIUMPHUS.

ILLUSTREM ante alios meritis pompâque Triumphum
Ad Vaticanas, populis plaudentibus, arces
Ducit Amazoniâ superans virtute Virago.
Christiades Musæ, vos, ô, quibus inclyta facta
Heroum ardenti labor est inscribere Olympo;
Huc agè, victrici redimitæ tempora lauro,
Artifices conferte manus, currumque volantem
Flectite, regalisqe decus cantate triumphi.
CHRISTINÆ vos tangit honos: nam gloria vestri
Prima chori, Virgo, Parnassumque intulit Aulæ.
Et mihi jam hiscenti, stupefacto inglorius ore

Stat pudor, atque hominum queritur ſuccumbere laudes.
Guſtavi ſoboles, majuſque in nomen itura
Fulmineo genitore, & ſceptris apta Virago,
Jam poſt ſanguineas acies devictaque bella
Vandalicas pulcra gentes in pace regebat.
Fœmineo non illa manus aſſueta labori;
Otia nec temerè ludo contrivit inerti:
Sive domi externas libuit perdiſcere linguas,
Et mores hominum varios, habituſque locorum:
Sive quatit curſu campos, ſaltuſque coronat
Venatrix, crebraque feras indagine cingit;
Reginam qualem nemorum mentita vetuſtas.
Et forti immites urſos transfigere dextrâ
Chriſtina innocui geſtibat fervida martis;
Aut ſumma obſcuras volucres de nube petebat,
Letiferæ accenſo deprenſas verbere glandis.
Intrepida & quondam medios equitare per ignes,
Inſignis ſagulo, & radio deſcribere leges
Attonitæ viſa eſt urbi, cum fortè coorta
Turbarent pavidam Stocholmæ incendia plebem.
Jam docto priſca evolvens monimenta receſſu,
Ingeniique novos ad ſe Chriſtina vocabat
Europa ex omni fetus: ſolioque locavit
Pierias doniſque acuit regalibus Artes.
Jam triplicis * regni curas & publica jura
Secum agitans, medio gravia aut conſulta Senatu,
Auſpiciis bellumque eadem pacemque gerebat.
Talibus accinctam curis, thalamoſque peroſam
Reſpexit divina Fides, miſerataque longè eſt.
Subluſtres inter nimbos diverſa ſedebat,
Heu, dudum ingratis Suecorum à finibus exul;
Tempore jam ex illo, Septem quo fœda Triones
Hæreſis invaſit, Luthero Acheronta movente
In Superos. tum pulſa Fides & caſta parentum

* Suec Vandal Goth.

Relligio ; aversis luxerunt templa ministris ;
Prostratus Pudor, & sacris confusa profana.
Tum fera lymphatas rapuit Discordia gentes,
Armaque civili toties scelerata cruore.
Nunc demum Suecos arcano tramite fines,
Non ulli audita ingreditur neque visa profano.
Et jam Christinæ sensus præmissa pararat
Gratia ; jam stimulos sub pectore fixerat acres,
Sollicito exercens suspensam examine mentem.
Ergo Reginæ Musæo illapsa per auras
Alma Fides, libris intentam, augusta sagaci
Mente explorantem divinæ oracula chartæ,
Nec suspecta Patrum atque ævi documenta prioris,
Repperit, ac verbis compellat talibus ultro.
O gravibus, Virgo, non frustra exercita curis,
Necdum Augustanæ spernis deliria Sectæ ?
Aspice, quas morum maculas, quàm dissona Christi
Dogmata mandatis, furiali invexerit ore
Lutherus, mundi turbo, cladesque sacrorum.
Integra Relligio Romæ, mutataque nunquam
Doctrinæ capita. Hîc PETRI firmissima Sedes,
Quam nullus toties concussam subruit hostis :
Pontificum jugis series ac plurima virtus.
Hanc olim vestri Sedem coluêre Parentes :
Huc Proavi repetunt, magnique ex ordine Reges.
Vis & Naturæ captum superantia, viresque
Aligerûmque hominumque, Dei certissima signa
Prosequar, attonitum passim spectata per orbem ;
Aut quæ purpurei consignant sanguine Testes ?
Quòd si adeo insedit, sceptrisque affixa Gothorum
Hæresis avelli refugit ; fuge noxia sceptra,
Nec malè regnandi misero tenearis amore,
Tartareo interea debens ludibria regi.
Quid Regni periturus honos, ventosaque Fama ?
Terrenæ quid opes, vel mundo æquata potestas

Profuerit, si damnum animæ fatale sequatur?
Quod genus hoc lucri, quæve hæc commercia rerum?
Aude, atque exemplum seclis memorabile præsta,
Quod stupeant cuncti, vix ulla imitabitur ætas.
Projice sceptra manu, capiti depone coronam:
Tanti æterna Salus. Sortem miseratus acerbam
Indignamque perire animam Deus, hoc Deus autor
Qui glacie pontique ideò te vindicat undis
Bis tenui ereptam lethi discrimine, salvæ
Imperat, ac tibi me superis demittit ab oris.
Illa ego vera Fides, quam nullo callida fuco
Infecit Novitas, spurcæque Licentia vitæ,
Inque Erebum præceps graviore Superbia casu.

Deficiente glacie sub traha ludicra, divino beneficio servata semel fuerat; iterumque, delapsa in mare tabulâ fa lęte, cùm suam classem inviseret.

Sic ait; & speculi crystallo expressa sub umbra
Numinis ora offert, lævaque à parte minantes
Perfidiæ pœnas horrendaque Tartara flammis.
Præmia dextra nitent victricis fronde coronæ,
Lemniscorum instar, radiis ardentis & auro.
Ilicet abstersâ dubiæ caligine mentis,
Ac subitum mirata jubar Christina benignam
Cœlestûm gratatur opem, victamque fatetur
Læta Deo, Fideique arctis complexibus hæret.
Tu mihi dux vitæ, tu princeps una sacrorum:
Te sequor, & spreta Regni te sorte paciscor.
Quæstus erit Christo impensæ jactura coronæ.

Tantas magnanimo reddebat pectore grates
Heroïs; patriâque ardet sceptroque relicto
Præsentem Romana sequi ad sacraria Divam.
Dissimulare tamen conceptos Numinis ignes,
Ne qua mora occurrat votisque ingentibus obstet,
Cogitur, obscuroque fidem servare recessu.
Tantùm exscendendi solio patefacta voluntas.
At Regum vulgò pugnas terraque marique
Ambitus imperii & nunquam exsaturata cupido
Miscuit, & tantis concussit motibus orbem.

Christinam non terra capit, nedum ora paterni
Imperii ; Balthin quamvis transgressa profundam,
Atque in Germanos excurrit Suecia tractus.
Jam major, cùm se ipsa gradu sic læta supremo
Dejecit Regina sui. manet insita vultu,
Nil splendoris egens alieni, & plurima toto
Majestas habitu atque augusto corpore regnat.
Suspensa Europe cœptis insignibus hæsit :
Discessus quæ causa, viæ quæ meta, requirunt
Attonitæ gentes : Christinæque, alta prementis
Consilia, hospitium diversis partibus orbis
Optavêre sibi studiis certantibus urbes.
Dia Fides nebulæ circùm velamine tecta
Monstrat iter ; puppimque freto, campisque quadrigas
Occultâ regit illa manu, Romamque suburget.
Heroïna viam regnando affectat Olympo.
Sed nebulas rapidi Pontem discussit ad Oeni,
Christinamque Fides templis inducit amicis.

In urbe Oenipontе Catholicam Religionẽ publicè professa Regina.

Huc oculos, lætasque, Pij, convertite mentes !
Regina ante aras (urget præsentia Christi)
Diram exsecratur Sectam, ritusque profanos
Lutheri ; & Sanctæ fastigia Sedis adorat.
Protinus Italiam magno petit agmine Virgo ;
Aëriasque Alpes, astrisque minantia saxa
Transcendit. cedunt amnes, montesque residunt.
Illa per Euganeos, & quæ quondam arva togati
Galli habitant, Italo commisti sanguine Galli,
Fertur ; & Historiæ relegens vestigia priscæ
Cuncta notat ; doctisque oculis loca clara recenset :
Majorem ipsa locis famam nomenque relinquit,
Et quæ impressa colant seri monimenta nepotes.

Nũtii quatuor Pontificii Christinam excepêre in primo Ecclesiasticæ ditionis aditu.

Æmilias Christina simul pede contigit oras ;
Illam Oratores, venienti occurrere jussi,
Quattuor excipiunt regalis munere pompæ,
Bucentaurus adest aulæis strata superbis,

Quam celeres pictâ comitantur classe phaseli :
Reginamque vehit, subter plaudentibus undis
Eridani. Vesulo hic natus, per pinguia latè
Culta natat, claroque idem spatiatur Olympo
(Mirus honos) flumenque suum, * sua sidera servat.
Cœruleum crinem & taurinæ cornua frontis
Populus innectit bicolor, Phaëtontia silva,
Umbrosumque addit capiti decus : undique manat
Splendidus Heliadum ramis lacrymantibus humor,
Jam triginta ingens fluvios lato accipit alveo,
Et mare in Adriacum septena per ostia volvit,
Ipse mari similis, vasto Padus agmine torrens.
Atque hic Centaurum magnam, Dominamque vehentem
Suscepit ; tantoque oneri succedere lætus
Currit iter liquidum, * Stellatique applicat oræ.
Interea misto fervent clangore tubarum
Tympana ; & ignito sclopeta vapore salutant
Trajicientem undas Nympham, ripasque tenentem.
Stabat ALEXANDRI juxta spectabile donum,
Regium opus, villosa tegunt quam serica rhedam
Puniceâ insignem testudine. fimbria circùm
Aurea, & argenti lamnæ pretiosaque signa.
Cælatus Fidei multa nitet arte Triumphus :
Hæresis incassum colubris stridentibus horret
Victricis pede pressa, caputque elisa nefandum.
Sueca triumphales currus sedemque Virago
Purpuream inscendit, lectâ cingente catervâ.
Obvia Reginæ plenis Ferraria campis
Profluit : exultant muri ; tonat ænea moles
Fulmine pulvereo ; tormentis tota remugit
Arx circùm, & festo splendescunt templa paratu.
Sub noctem plateæque rogis, facibusque fenestræ
Undique collucent, faciemque imitantur Olympi.
Nec pompâ meritoque Bononia cedit honore ;

* Eridanus etiam constellatio.

* Oppidum eo nomine ad Padum.

Ad veram istiusmodi cælaturam hoc Poëmate allusum.

Fœmineoſque choros, ludoſque oſtentat equeſtres.
Cætera quid memorem, Auſonias quacunque per urbes
Chriſtina invehitur, variæ ſpectacula pompæ,
Concurſus populorum, effuſaque gaudia paſſim
Principis adventu? Procerum quid publica narrem
Officia, & cultus Patrum, quos ſanctior ornat
Purpura; ſeu plebem curâ interiore gubernant
Paſtores animorum, aut extera jura tuentur
Pontificis, dominiſque adſtringunt legibus urbes?
Perpetuo, quâ quiſque potens ditione, triumpho
Suſcipiunt alii ex aliis; mox ordine longo
Perducunt mutantque vices: fineſque ſub ipſos
Grande ſatellitium florentibus ære catervis,
Præſidium ornatuſque viæ, comitatur euntem.

S. Domũ Lauretanam piè magnificeque Chriſtina coluit; ſceptrum coronáq; Cœleſti Reginæ dicavit.

Aſt illam Picenum in agrum rapit entheus ardor,
Quæque per immenſum Galilæos aëra tractus
Deſeruit, terraſque ſupervolitavit & undas,
Aligerûm ſubvecta manu, clariſſima Cella,
Mortales quo fonte Salus manavit in omnes,
Gratiaque & cœli miracula. ſæpe tiaris
Supplicibus, ſæpe abjectis decora aucta coronis.
Certant muneribus gentes, cultuque perenni
Votorum reus ante aras provolvitur Orbis.
Ut primùm Lauretum oculis ſitientibus hauſit,
Conſtitit; & Magnæ ante oculos ceu Matris imago
Splendeat, ætherios perſentit pectore motus
Relligione loci atque afflatâ Numinis aurâ.
Deſilit extemplo rhedâ, flexoque ſalutat
Reginam Regina genu. pedes ardua carpit
Inde viæ ſpatia, & parvis ſubit hoſpita muris,
Quos MARIÆ cultus magnas ſuperextulit urbes.
Nec verò umbellam capiti Chriſtina modeſto
Prætendi oblatam patitur; famulamque gerendo
Virginis, auguſtas virgo contendit ad arces.

Cœleſtes Genii, Mariæ prætoria turma,
Accipite hoſpitio ſubeuntem & dona ferentem
Chriſtinam; Divæque adytum reſerare Parentis.
Feſta dies aderat, ſecli melioris origo,
Cùm Virgo ſterili Concepta effloruit alvo,
Nullaque Adamææ traxit contagia noxæ,
Sed magis æternæ radios & ſemina mentis.
Tantum actura diem ſanctæ in penetralibus ædis,
Ingreditur Chriſtina locum, quò lapſus ab aſtris
Nuncius optatam roſeo tulit ore ſalutem.
Hîc Deus humanam faciem mortaliaque ora
Induit, anguſtâque Puer reptavit in aula.
Vos Aræ teſtes Chriſtinæ, & conſcia Virgo,
Quos animo imbuerit ſenſus, cùm prona verendum
Ore ſolum preſſit; flagrantiaque oſcula figens,
Felicem venerata Domum eſt, Dominamque Sacello
Nunc quoque præſentē, mox cernua corpora Princeps
In genua excipiens, dixitque tenerrima verba;
Vibrantemque auro denſoque adamante coronam
Cum ſceptro appendit Mariæ, propriamque ſacravit.
Huc, iterum abjectos, Regni tranſcribis honores,
Geſtamen dextræ, capitiſque inſigne ſuperbum;
Teque tuis ſuper ipſa dicas bene prodiga donis!
Quam tibi ſidereâ gemmantem luce coronam
Stellata ardenti referet diademate Virgo!
Si Bereniceo detonſum vertice crinem
Carmina donarunt cœlo; Creſſæque puellæ
In nova converſos, frontis decus, aſtra pyropos:
Non œſtro graviore icti, tua turba, Poëtæ
Depoſitam attollent rutila inter Signa Coronam?
Vix è complexu Mariæ divulſa, Sacelli
Theſauros poſtquam convectis undique donis
Viſit, & ingenti cumulavit munere gazam,
Tendit iter Romam Chriſtina: hic terminus hæret.
Jamque Apennini ſuperat juga, jamque Sabinos
Præterit, & dominam Latio procedit ad Urbem.

Ventum ad Bracciani ſilvas, Urſinia Tempe.
Tum gemini Româ, ſacri decora ampla Senatûs,
Legati properant ; Medicæo ſanguine clarus
Alter ; & antiqua Chattorum * ab origine Princeps,
Ipſe olim Fidei præda, & pars magna triumphi.
Loricata præit, pacem ſpirantibus armis,
Turma: laceſſenti lux ærea ſole reſultat;
Attabalique tubæque ſonant. Bis-dena ſequuntur
Corpora Epheborum, veſtem aurea & aurea formam·
Germani Thuſcique Equites, generoſa juventus,
Miſcentur. Procerum inde globus : quo deinde ſub ipſo
Legati incedunt mannis candentibus ambo
Purpurei. comptus glomeratur ponè ſatelles,
Pontificiſque Cohors levibus Prætoria in armis.
Multijugi extremo voluuntur in agmine currus.
Sed quid ego hæc autem celebris præludia pompæ
Demoror, ingreſſu tacito cùm Regia Virgo
Romam init, ac meritos privatim exceptat honores?
Jam nova ſeptenos meditari gaudia colles
Aſpicio, & lætos Tiberinum attollere fluctus ;
Ipſam pænè ſuis convulſam ſedibus urbem
Geſtire, ac totis cives ſe effundere portis.
Jamque Magiſtratus, Romæ ſimulacra prioris,
Ecce, Palatina trabeati ex arce feruntur
(Romuleæ antevolat flos Nobilitatis, avorum
Fronte notas animumque gerens) Chriſtina, Quiritum
Nomine gratantes, blando quos excipit ore.
Hos ſuper advenit, longâ comitante minorum
Pontificum ſerie, Farneſius ; inclytaque offert
Munera Alexandri, ſollennis fercula pompæ,
Lecticam ſellamque ingentemque ordine rhedam.
Ducitur Aſturco ſonipes candore nivali,
Textilibuſque ſuper ſtratis. argentea pendent
Fulcra pedum hinc atque hinc : mollique argentea fræna
Ore terit ; molli in numerum glomerantia greſſu

* Cardin. ab Haſſia.

Crura ferens, tergo Reginam invitat ovantem.
Quæ ſimul inſedit, facileſque immiſit habenas ;
Continuò regalis honos procedere pompæ
Incipit, & Romæ vicina ad mœnia tendit.
Armatæ anteeunt turmæ, feſtoſque tubarum
Tympana concentus inter Mavortia plaudunt.
Puniceas chlamydes atque ære ſonantia tela
Oſtentat generoſa cohors, quo milite corpus
Stipari ſolitum Reginæ. fortibus omnes
Exultant in equis, pennis capita alta decori.
Externi Latiique equites fulgore coruſcant
Quiſque ſuo, & ſociûm radiis vibrantibus ardent ;
Principibuſque ingens decorum crebreſcit imago.
Tum Vaticani, Capitolinique miniſtri :
Proxima Nobilium emicuit Dominam ante caterva.
Ibat Legatos inter media ipſa, triumphi
Et pompæ Chriſtina caput ; circumque ſuperbâ
Veſte fluens. tamen auguſti ſpecioſiùs oris
Majeſtate viget ; Guſtavique inſtar in illa eſt.
Plurimus Antiſtes ſequitur ; mox aulica turba.
Tandem immenſum agmen Cuſtodia claudit Equeſtris,
Ultimaque auratas agitant ſpectacula rhedas.
Talis erat pompæ ſpecies. Cape, Roma, triumphum,
Qualem Cæſarei nunquam peperere labores :
Quanquam & belligeri Rhenus juga nautica pontis
Ferre gemens, fractuſque audaci claſſe Britannus
Oceanus ; rutiliſve Pharos ſimulata pyropis,
Cultor & Ægypti ſeptemplex brachia Nilus ;
Aut Gætulus Atlas, cœlo ſuppoſta columna,
Portari, & laceræ proſtratis mœnibus urbes
Ire videbantur, ſpirantia ſigna metallo ;
Turrigeræque feræ, placidique ad fræna leones.
Martia quin etiam capti ſpectacula Reges
Ornabant, nexique rotis victricibus orbem
Fortunæ inverſum pronâ cervice gemebant,

Splendida ludibria & vivum aſſimulata trophæum.
Hîc Regina jugo vincliſque aſſerta Tyranni.
Non hominum genus & mortalia contudit arma ;
Sed Stygiam Chriſtina manum , Stygia arma refregit ;
Et monſtrum domuit Lernæâ immanius Hydrâ.
Laurea pacales inter ſurrexit olivas,
Nec crudelè rubens hoſtili ſanguine, nec quam
Ferrea meſſuerint bruto certamine tela.
Nullum illinc temerè foliumve umbramve tribunus
Decerpat, mileſque ferox ; quo more ſolebat
Fronde triumphali galeam redimire comantem ;
Dum ſequitur ſpoliis oneratum inſignibus axem,
Vocibus incomptis ludens, & ſæpè protervo,
Haud ingrata Duci, jactans convitia cantu.
Hîc propria in ſolidum Chriſtinæ gloria ceſſit.
Nec ſolitas Fortuna vices caſuſque ſecundos
Exprobrat. auxilio tali non indiga vicit
Heroïna : Fides in partem & Gratia venit,
Ac totum eſt Virtutis opus. Nec inania rerum
Traducit vulgi ante oculos ſimulacra triumphus,
Quæſitum imperii referens nomenque decuſque :
At Virgo exuperans animis quæ regna reliquit ;
Hæc merita, & juſtæ non vana choragia pompæ.
Patritius tanto nec deeſt occurſus honori :
Major & antiquo mundi rectore Senatus, *Collegium Patrum Purpuratorum.*
Publica Chriſtiadûm quo ſe res cardine vertit,
Reginam opperiens dextrâ lævâque ſedebat
Flaminiam ad portam, facies cui pulcra triumphi,
Principis & vario præſcriptæ carmine laudes.
  Cuncta renidebant intus ; pictiſque tapetis
Marmoreas luxus veſtibat Regius ædes,
Romanaſque æquabat opes. & milite ſepta
Perpetuo, hinc illinc duplici via fulgere verſu
Armorum ; fragor unde ingens, lætique tumultus,
Quando alacres inter movet Heroïna maniplos.

Ærati resonare tubi, reboare curules
Bombardæ, & calido glomerari pulvere nubes.
Mole laborabant spectantum altæque fenestræ,
Et plateæ angustæ stipatis undique turbis.
Pegmata per vicos passim substructa; premuntque
Protruduntque alios alii, & vix frontibus extant.
Defixis inhiant animis; qui frontis honores!
Ingenii quæ lux oculis & amabile fulgur!
Palladis ut veræ faciem, nil molle decoro
Ore gerens, saguloque habiles Virgo extulit artus!
Cernere inexpletùm flagrant, atque omnia monstrant
Civisque, inter se, & mistus denso advena civi.
Mirantur speciem insolitam juvenesque virique,
Et cum virginibus matres, tenerique puelli:
Servatisque senes tanta in spectacula canis
Gaudent, & vitæ fructum cepisse fatentur.
Usque adeò, Gothicis quondam tremefacta sub armis,
Nunc placido Gothicæ adventu decorata Puellæ,
Lætitiâque fremens & dulcibus excita curis
Totaque ovans, Roma hospitio sacra fœdera sancit.
Interea cantusque inter plaususque Quiritum
Percurrit Marci stadium Regina; Petrique
Templum augustum,ingens (cui nec Solymeïa certent,
Nec quæ Ephesus quondam stupuit miracula) metam
Votorum, extremo à Borea tractuque viarum
Quæsitam immenso, sacrorum contigit arcem.
Jam festos Moles tonitrus Adriana remittat:
Sanctior insonuit Pæan: & sacra terentem
Limina Christinam divinæ munere laudis
Suscipit; ac meritas solenni carmine grates
Exequitur chorus, & longè tecta alta volutant.
Majores affusa Deum veneratur ad aras,
Triticeâ indutum specie; dignâque triumphum
Regina, Hæreseos Victrix, pietate coronat;
M irantes populorum oculos hîc illa morari

Dignior, in medio quàm cùm ſpectata triumpho.
Purpurei excipiunt multo cum Præſule Myſtæ,
Atque in conſeſſum celebrem comitantur, ubi ingens,
Et Regum Pater & Populorum Paſtor, ab alto
Fulget Alexander ſolio ; ſanctiſque renidet
Montibus auguſtum ac mundo venerabile Sidus.
Huc Suecam divina Fides perduxit ; & imos
Demittens Patris ante pedes, Cœlo altiùs effert.

Stella montibus impoſita, in Alex. VII. inſignibus.

Perge, triumphalis Virgo, decus addita Romæ,
Quæ Gothicas contemnere opes, Regniſque relictis
Auſa Fidem Chriſtumque ſequi Chriſtina vocantem.
Aſpice, quos ſummi conſpecta in luce theatri
Excieris motus animorum ; actaſque potenti
Exemplo gentes, Procerum & cunctantia corda
Cephææ doceas Fidei ſuccedere ſignis.
Jam te hæc illa Fides, Romana in caſtra receptam,
Relligione frequens templiſque exercet & aris.
Jam tibi, Martyribus largo perfuſa cruore
Oſtendit monimenta, & fortia facta renarrat ;
Quantaſque, ob Superos felicia vulnera paſſi,
Heroës vario tulerint certamine palmas.
Hæres capta locis : nec te tam rudera faſtûs
Cæſarei, moleſque operum, inſanique labores,
Seu Thermas Circoſve, aut priſca Palatia luſtras,
Quàm Pietas, & adhuc ſpirans poſt ſecula Virtus
Detinet illecebris & conſcia pectora mulcet.

Subinde Germani complures in urbe Neapoli Lutheraniſmum ejurarſit. Princeps Sultzbachius ad Catholicos tranſiit.

At tibi magna canunt Latiæ præconia Muſæ,
Et quæ te docto regnantem Academia cœtu
Cepit, & ingeniis ſtupuit dare jura potentem.
Felices, quibus hæc coram datur acta tueri !
Nos, quibus obtuſas it nuncia Fama per aures,
Gaudia ſera procul veriſque minora triumphi
Concipimus, tenuique ardentes paſcimur aurâ.

Chriſtina Romanæ præfuit Academiæ.

JUSTA

JUSTA CHRISTIANISSIMÆ REGINÆ ANNÆ AUSTRIACÆ.

ERGO luctificos, ardentia monstra, Cometas
Principibus torvo aspectu fatale minari,
Certa nimis, mundique fides sancita dolore est.
Heu stella infelix ! geminus geminata Cometes
Funera portavit terris : consortia damna
Francamque Hesperiamqne furens divisit in Aulam.
Ecce cadit vix composto super Anna Philippo,
Jampridem immiti morbo lentisque peresa
Mortibus, inque suos luctus servata, superstes
Augusto germana seni. Nil docta vereri,
Cruda, ferox, regnantum apices & syrmata nudo
Miscet Parca gregi, spoliisque exultat opimis.
At Regina Parens, cognati ab origine secli
Ad metas justum vitæ inviolabilis orbem
Exigeret, niveæque impleret lustra senectæ.
Nascentem excepit solium : sceptra inter Ibera
Reptavit, Tyrioque ardentes murice cunas.
Aureus Infantem plausis Honor ambiit alis.
Quid generis decora alta juvant, Proavique coronæ
Cæsaris, & gemino spectata sub axe trophæa ?
Quid, magnum tacitâ ille ciens vi maximus Orbem,
Dum Carpetanos Avus inter considet hortos ?
Quid suppar Divis Genitor, sanctissimus Heros ?
Justitiæque Virum pariter, bellique potentem ;
Calvinique satus, Furias domitare rebelles
Felicem ante alios, raris æquaverat Anna
Dotibus, Austriaci lux ingens sanguinis, ingens
Borbonii ; meritis & jam præceperat astra.
Providus imperio vultumque animumque paravit

Duplex cometes Philippi IV. & Annæ proximis funeribus præluxit.

Ludov. XIII.

Naturæ ſolertis amor ; Fortuna ſuperbis
Prodiga certavit donis: ornavit utramque
Largior, & pleno accumulans ſe munere Virtus.
Hinc vitæ factis contextæ illuſtribus ordo
Implevit ſecli faſtos : ævique prioris
Matronis melior, documentum inſigne futuris,
Undique Reginam penituſque Heroïda geſſit.
At laudem vitæ immenſam curſumque coronat
Clarior occaſu, & cæli regna ardua victrix
Vi rapit, & rigido venalem funere palmam.
Ah cancri labes dirùm ſerpentis, & ipſa
Pectora letifero depaſti horrentia morſu!
Aſpera nec partem indulſit laniena quietis:
Ac ſi quâ fors arte ſopor, potuque vocatus
Pœoniô, qualem viroſa papavera ſuccô
Accerſunt ægris requiem ; non funditus omnem
Oppreſſit curamve animis, membriſve laborem.
Sex adeo menſes immani exercita morbo,
Nocte dieque avidi ſtimulos experta doloris ;
Nec minùs abſtinuit, votiſque Auguſta pepercit,
Communem plebs orba pio cum Rege Parentem
Dum gemit, invidiâque onerans cœlum omne fatigat.
Divinæ, quid, cùm ſubierunt fercula pompæ,
Omnis quam Procerum ducit chorus, aulica turba;
Rexque facem præferre ſuis, celebrique præire
Sedulus exemplo, majoris & aſſecla Regis ?
Hoſpita quo Dominum ſenſu moribunda recepit,
Præſentemque animæ panaceam, almumque ſupremæ
Tutamen complexa viæ, & contermina cœlo !
Illa etiam medio adſtantem ſub funere Natum
Crebra monens ; & quæ Superis, quæ debita regno,
Supremùm ingeminans, nil jam mortale ſonabat.
Inconcuſſo animo ſolidæ conſtantia mentis
Perſtitit : ac longo æternas mercata dolore
Delicias, molli ut ſomno Regina ſoluta eſt.

Ignibus explorata nitet ſic aurea lamna,
Et rutilum terræ excoctâ jam ſorde metallum.
Gratia quod finxit tenerum, propriumque ſacravit
Imperio uſque regens facili, dum vita manebat;
Poſt fatum, lectâ Cor Gratia ſede recepit.

Cor Annæ depoſitũ in Parthenone Vallis-gratiæ.

Continuò exequias Nymphæ, pullata caterva,
Inſtituunt. duro turbatus Sequana caſu
Torrentes egit lacrymas : Rhodanuſque Ligerque
Planctibus inſonuere, tumentis & alta Garumnæ.
Ille & flaventûm latè qui dives aquarum
Ibat ovans, rutilâque Tagus formoſus arenâ;
Sordet rauca ſonans, nigranti decolor aurô.
Protinus & ſancto concuſſus flumine Tybris
Ingemuit famæ, atque oris florentibus Arnus,
Ticinuſque Paduſque : & ripa binominis Iſtri
Cæſareæ mœſtis Aquilæ clangoribus horret.
Belgarum amphibii lugent Venetûmque Leones :
Nec non & ſtratæ per Baltica littora phocæ
Triſte fremunt; plangitque Arctos, nec jam ultima Thule :
Europæque omnis ſordeſcit purpura luctu.
Ipſæ etiam ſquallent aræ, delubraque mœſtùm
Viſa queri, & grandes in fletum volvere guttas.
Sic decuit. meritis & quas regalibus Annæ
Æquiparet grates ? quæ præmia digna reponat,
Auguſtæ claros celebrans pietatis honores,
Relligio ? vel quo civilis munera curæ
Agnoſcant populi ſenſu, pretioque rependant ?

Mauſolæum ingens, æterni regia luctûs,
Septem inter petiit dubiam miracula palmam;
Barbaricas ut opes monimento exhauſit inani
Caria, magnifici Numen venerata doloris.
Altior inſueti moles operoſa ſepulcri
Parnaſſo aſſurgat, ſummumque affectet Olympum.

Anna, tibi ſedem hanc mœſti ſacrabit Honoris,
Purpureæ hoſpitiis umbræ tituliſque ſuperbam,
Pieridum chorus & ſtudiis certantibus Artes.
Alterno creſcent gemitu cantuque labores;
Et denſæ lacrymoſa ibunt per marmora gemmæ.
Pyramidas Memphis, Regum feralia tecta,
Summittet, diriſque extructas Manibus aulas.
Stabunt hinc atque hinc ebeno lugentia ſigna,
Gallia & adverſum ſervans Hiſpania poſtem,
Ambæ ſquallentes, dejectis frontibus ambæ.
Borbonii dextrum Reges latus ordine longo
Diſtinguent, lævum Auſtriaci, ſpirantiaque ora
Semideos: medio ſplendeſcet Gloria luctu.
Sceptra decuſſatim & ſparſis ſcena ampla coronis,
Liliaque in totum fundent ſe plurima limen,
At non jam nivei, deformia lilia, flores;
Et pede quas valido pulſat Mors improba * Turres.
* Inſignia Caſtellæ.
Miſtaque perpetuo current inſignia limbo
Circum dædaliis monimentum amplexa figuris.
Quattuor adſtabunt, pariterque inſignibus aptæ
Quæque ſuis, librâ, ſpeculo, cratere, columnâ
Virtutes, Annæ comites fidæque miniſtræ.
Principis exuvias, cari latera alta ſepulcri
Servabunt, lacrymiſque humeſcent ora decoris.
Et mihi jam ſignis aſper, ſculptâque ſuperbus
Factorum ſerie paries nitet undique, vivum
Artis opus, variâque Annam ſub imagine reddit.
Principio, terris demiſſum à Numine pignus,
Poſt ſteriles annos miro tandem inclyta partu
Apparet, cenſu æthereo dotata Puella.
Mox paribus ſterilem fatis emenſa juventam,
Supplicibus pariter votis fecunda, morantis
Naturæ evincit ſenium; Prolem ipſa viciſſim
Elicit optatam, patrio dignum æthere munus.
Felix Prole Parens, felix Genitrice Propago!

Quinquenni ereptum Puero Regina Parentem
Supplet, congeminans curam ; Matremque Sorore
Depoſita gerit, & populis dat jura ſubactis.
Indomitos pariter Belgas, duplicemque refregit
Heſperiam ; trans & refugum victricibus Albim
Impulit auſpiciis Celtas. lætiſſima campis
Palmarum ſeges, atque aſtris vicina trophæa.
Terrificas addam cælato in pariete nubes,
Fulguraque & vaſtis ſurgentes motibus undas.
En, freta per tumida atque horrentes marte procellas
Tendit iter ; clavoque hærens affixa, magiſtram
Anna manum ſcopuloſque inter Syrteſque probavit ;
Et cœcos populorum æſtus, Procerumque tumultus
Exuperans, tutâ navim ſtatione reponit.
Nec quâ fœminei ſenſus animique minores
Gaudere aſſoliti, vindictam exegit ; & ipſos
In portum rapidis hoſtes ſubduxit ab undis.
Tu quoque pars ingens operis (cui Phaſias ales
Nomen habere dedit) ſupremum augebis honorem,
Inſula, jam noſtris olim cantata Camœnis,
Quam florentem auro myrtique oleæque coronant.
Suſtulit Anna pias cælo dum fervida palmas,
Addita belligeri ſignis victoria Nati.
Afflictis ſubiit Pax denique ſoſpita regnis,
Et Pacem comitatus Hymen, Annamque Maria
Virtute ac formâ referens Neptiſque Nuruſque.
Perductam huc demum curam gratata Parenti
Gallia. jamdudum Lodoïci fortibus apta
Regna ſedent humeris : latum jam temperat orbem ;
Et patrias laudes, virtutes reddit avitas :
Gemmiferâ Delphin ludit formoſus in aulâ.
Parte aliâ, dulces latebras ſacroſque receſſus,
Parthenicique umbris Annam ſe involvere ſepti
Aſpicias ; gremio tacitæ quà Vallis amicum
Hoſpitium & fidam præbebat Gratia ſedem.

Atque heic, exutâ jam majestate, sed omni
Imperio assurgens & jam sese altior ipsâ;
Ingratos Aulæ strepitus curasque profanas
Effugiens, nido ceu fessa columba resedit:
Libera, collectamque Deo jam proxima mentem,
Virtutum haud mollem trivit Regina palæstram.
Sancta laborato passim argumenta sepulcro,
Donaque & insignes gazis regalibus aræ.
Laureti felicis opes Cellamque verendam;
Teque, ô Salmurium, Ligerinaque flumina testor;
Vos, Peronæ arces, queis præsidet aurea Virgo;
Lætitiæque ædem titulo crebrisque superbam
Prodigiis; vos & Carnutum ingentia tecta:
Parisiis gratæ ante alias decora ardua Vallis,
Nascentem venerata Deum, fulvoque metallo
Turritos apices, nitidæ fastigia molis.
Et vos, Pictonici, testor, Radegundis honores,
Lychnosque statuasque auroque micantia corda;
Mille alias cultûs species, accitaque longè
Lipsana, sollennes pompas, ritusque Sacrorum;
Quos & Salesio titulos, quæ præmia, Divûm
Interpres Vaticano decrevit ab alto,
Dum studiis instat supplex flagrantibus Anna.
55. Eucharistiæ cultus. Heic nebulas inter niveas & mystica in umbrâ
Stat radians & Sole latens Deus eminet aureo:
Gloriaque & teneri circunfunduntur Amores.
Marmoreæ monimenta Crucis, Sedanæa trophæa;
Templaque collucent, Franco quæ plurima regno
Addidit, æternùm sumptu spectabilis Anna
Egregio, & claris vivax post funera factis.
Quin etiam Reginæ alium porrecta sub axem,
Munificâ Europam jungens Americaque longè
Arva manu, Pietas. stat densis aspera silvis
Barbariæ facies, Canadæque horrentis imago.
Præcipites inter salebras abruptaque saxa,

Per glacieſque niveſque armatoſque ignibus hoſtes
Ire ſalutiferum videas examen, anhelo
Corde, feras venantûm animas, ardetque volatque
Lecta Cohors, invicta malis, fecunda bonorum.
Omnigenæ ſcelerum, portenta immania, formæ
Regalem horreſcunt iram: fractoque Duellum
Enſe jacet, fumanſque ſacro tacta Hæreſis igni,
Eliſique angues, ſpumantiaque ora venenis.
Marmoris extremam inſurget fatalis ad oram,
Luctiferoque petens Annam fulgore Cometes.
Ipſa faces inter mœſtæque inſignia pompæ,
Pauperis in morem placito riget obſita amictu,
Nata eadem Regumque Soror, Conjuxque Parenſque.

Regina ſacro habitu poſt mortem induta ex ipſius mandato.

At pius exeſis Animus ſe abjungere membris
Lætior, it Cœlo, ſtellantemque occupat aulam.
Auguſtas non quo vanorum more Quiritum
Priſca Superſtitio, turritæ vertice molis
Sacravit, rutilaſque pyrâ ſurgente ſub auras;
Cùm, flammas inter volucres & olentia turis
Nubila, dimiſſus peteret Jovis ales Olympum;
Ceu felicem animam, Divûmque in jura receptam
Tolleret, hinc populis latè venerabile Numen.
Relligio rectique tenax Conſtantia pennis
Attollunt mediam amplexæ radiantibus Annam.
Quos coluit mortalis, adit; notoſque fideli
Obſequio repetit, meritorum conſcia, Divos.
Factaque ſidereo geſtant regalia in auro
Aligeri, & feſto reſonant pæane triumphum:
Ut Charitum flecti arbitrio, penituſque refingi
Cerea; ſed duros Fortunæ adamantina caſus
Pertulerit: tacito ſplendorem obſcura receſſu
Auxerit, offuſâ veluti carbunculus umbrâ.
Ut Regis Regnique Parens; tutela piorum,
Quaſſatæ columen Fidei, terrorque nocentum;

Vindice ut Anna manu ſolium firmarit & aram,
Templaque & ingentes ornarit moribus aulas.
Majeſtatis apex humiles decreſcere ad uſus
Suſtinuit : faciliſque inopi te impendere vulgo,
Larga manu, placida alloquio, Regina favebas.
Tu Pacem aſſiduis cunctantem flectere votis
Una potens, dulcique Hymenæi adſtringere vinclo,
Civiles eadem turbas atque hoſtica bella
Placaſti, non ulta tuos, Auguſta, dolores,
Non rerum ſucceſſu animos elata feroces :
Cognata & gemino ſociaſti fœdere Regna.
Sic Annæ merita & claro præconia plauſu,
Pluraque gratantes celebrant, ac lilia toto
Æthere dant Superi. Vivis crinale pyropis
Nectitur auguſtæ fronti decus ; aſtraque circum
Purpuream ardenti funduntur cyclada limbo.
Conſortes fatique & nominis Heroïnas
Sceptriferoſque inter cœtus, Juſto addita Regi,
Regibus & Proavis, æternâ in ſede coruſcat.
Inde ſuos, Lodoïce, potens Regina tueri,
Grandibus invigilat curis, aſtroque benigno :
Ac, tua quos reddit pietas, ſublimis honores
Reſpicit & longo regales otdine pompas.
Advolitant dulces animæ, quas vita reliquit
Mortalis duplices prima ſub luce Puellas,
Regia Progenies, præcerptaque lilia terris.
Ambæ Aviam doctæ blando cognoſcere riſu,
Ambæ ingentem amplexæ Animam, caroſque Parentes,
Commendant, Fratremque, tui ſolatia luctus.
Ante aciem, jamque acer equo Delphinus & armis,
(Agmina ſollenni dum, Rex, Prætoria luſtro
Cenſebas,) ſtrictoque Patrem mucrone ſalutans,
Circumjectorum Procerum, vulgique ſecundo
Mirantis fremitu emicuit, natuſque triumphis
Et pugnas jamnunc tenero meditatus ab ungui,

Consiliis Nati adspirans felicibus Anna,
Seu Pacis, seu Martis opus majore movendum
Auspicio, Divis gratos reget alma labores.

VENETORUM
NAVALIS VICTORIA
AN. M. DC. XLIX.

HUc ades, æternâ frontem circumdata lauro,
Stellantis Regina Lyræ, Mens enthea Vatum ; *Facultas Poëtica.*
Cui vaga Fama tubas, rutilos cui Gloria currus
Addixit ; penitusque ævi secura trophæa,
Et lemniscatas debet Victoria palmas.
Tu Venetûm decora alta refer ; tu martia facta
Classem in Threïciam, confusos sanguine fluctus,
Disjectas ustasve rates, mersasve profundo
Commemora : & supero decerpens lumina Phœbo,
Aut radiante * Argô, liquidâ quæ fluctuat æthrâ, ** Signum cœleste.*
Rostratam, navale decus, contexe coronam.
Ut primùm, quæsita diu, Byzantia classis
Christiadûm deprensa oculis, lunataque signa ;
Exarsêre animis Veneti : subit ira tyrannos
Æquoris, ac sævos ulcisci Numinis hostes,
Criminibus fetas spoliisque invadere naves.
Agminis Euganei Prætor, quanquam gravis ævo,
Fervidus ultra annos, crudam viridemque senectam
RIVA tamen vivo Bellonæ incendit amore.
Ipse etiam inventum procurrere primus in hostem
Impatiens (ducibus postquam ad consulta vocatis,
Omnibus una sedet properæ sententia pugnæ)
Classem obit, ac validis animos hortatibus implet.
Magnanimi Socii, Venetis spes maxima rebus !
Quos vastum pelagi, sextâ jam luce, per æquor
Quæritis, hîc latitant imbellia pectora Turcæ.
Antè fugâ elapsos, hæc intra littora Terror
Compulit : hoc Nemesis constrictos carcere sontes

Tradidit. in manibus prædæ,pœnæque nocentum.
Nunc Patriæ Chriſtoque manus præbete vocanti.
Hic acies, hic tela reget. Certaminis omen,
Una ratis verſos egit quæ fluctibus hoſtes,
Dum ventus lumenque datum eſt. palantia texit
Agmina nox, Ciurani ingentibus invida cœptis.
Aſt ea nunc iterum noſtris Deus objicit armis;
Militibuſque ſuis, nutu qui prælia torquet,
Victricem ætherio palmam protendit ab axe.
Talia fatum avido Rivam clamore frementes
Excepere acies, certi præſaga triumphi
Gaudia teſtatæ, atque oblati Martis amorem.
Tunc alacer, ſimul ac thoraca indutus ahenum,
Canitiem preſſit galeâ, inſtructaſque cohortes
Admonuit, puppi ſignnm dat Prætor ab alta.
Omnibus extemplo velis, remiſque citatis
Lata ſecat maria, & ſpumantibus evolat undis
Adriaca Oſmanidûm in medias vis concita claſſes.
Hoſtibus obvertunt proras: & carbaſa tendit
(Quem Venetis pugnans Genius, maris arbiter Ales,
Impulit haud-ficti commiſſâ lege tridentis)
Adſpirans Zephyrus, puppeſque ad littora portat,
Focchia queis Thraces penitus ſub mœnia clauſi.
Euganeûm obſtupuit tantiſque exhorruit auſis
Barbarus: & quanquam numero majore coactas
Europæ atque Aſiæ vires habet Africaque arma,
Adverſis trepidat ventis; portuſque reducti
Janiſarûm anguſtas delecto robore fauces
Obſedit; pavidamque emunit machina claſſem.
Nec minùs & plenis invecti littora velis
Omnia Chriſticolæ perrumpunt: neve fugaces
Certamen Turcæ effugiant, dejecta carinas
Anchora fundavit, collatiſque obvia proris
Agmina concurrunt. * Oſtro caſtella refulgent
Turrita: & ſolidas jactari fluctibus urbes
Dixeris, aut actas vario Symplegadas æſtu.

Locus ubi pugnatum eſt, vulgo *Focchio* dicitur.

* Pugnæ ſignum.

Hinc gravis atque illinc nitrato pulvere, flammam,
Principium pugnæ, concepit ahenea moles,
Terrifico eructans glomeratas igne tenebras.
Ære cavo ingeminant tonitrus:reboantia longè,
Dissultant freta anhela, novisque agitata procellis;
Ferrea nox super, & piceas intorta per umbras
Fulgura. tum rapido populatæ turbine naves;
Illa gubernaclo, diffracto hæc saucia malo:
Pars prorâ, pars puppe caret, pars ardet in undis,
Tormentis jactæque pilæ, sparsæque catenæ,
Quales aëriis excussi nubibus ignes,
Aut Ætnæ insanæ aut bacchantis in arva Vesevi
Visceribus, plagas & mille volantia fata
Exitiumque viris portant pestemque carinis.
Haud mora, vulnificæ majoribus undique glandes
Commistæ crepitare globis: mox cominus enses
Stringuntur. fremituque virûm cantuque tubarum
Personat, & rabidis Turcarum ululatibus æther.
  Riva manu linguâque animos accendit in hostem.
Scotam oppugnantes valido certamine puppim,
Jamque unco immisso consertam ac dentibus æreis
Fixam irrumpentes, deturbat in æquora Thracas
Auxilio accurrens: victricem penè triremim
Bombardæ assiduo labefactam verbere mergit.
Tu quoque, qui Cretam spe jam, malesane, voraras;
Dum Ciurani audes adversam invadere navim,
Ah, malè tentato præceps vix te eripis hosti;
Et multa, indecores, fugiens cum strage, latebras
Bassa petis. Jam barbarico rubefacta cruore
Unda calet: jam crura virûm, densosque lacertos
Et capita huc, illuc, refugas glomerata per auras,
Igniti rapuêre globi, flammeæque catenæ.
  Scilicet Euganeis præsens, delapsaque Olympo,
Quam precibus tecum votisque, ô Marce, vocabant,
Diva supervolitat, dubiis fidissima rebus,

Aligeras ducens acies, in prælia fertur
Ætheriis Regina rotis & nube coruſcâ,
Ipſa inſtructam aciem referens, aſperrima Virgo
Biſtonibus, blandumque ſuis & amabile numen.
Auſpice quâ freti (dum Bellipotentis amorem
Conciliat Mater, cœloque effundit aperto
Auxilia) Odryſios fregere, Acheloïa propter
Oſtia, Chriſtigenæ. Naupactæoque triumpho
S. Mariæ à Victoria conſecratæ Nonæ Octobres. Victricis partum Dominæ cognomen, & aræ
Creverunt, feſtumque diem Victoria ſignat.
Hîc quoque fatiferas ſtellis crinalibus ardens
Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus &c. Apoc. 12. Terque quaterque faces jaculatur ; & ignea toto
Corpore tela micant, vibranti Solis amictu.
Sub pedibus Lunæ palleſcunt cornua Threſſæ,
Sanguineiſque horrent maculis ; & luce malignâ
Deficiunt, MARIÆQUE impreſsâ calce laborant,
Venetorum inſigne D. Marci leo enſifer. Et juxta irato, Venetûm tutela, leoni
Aſſimilis Bellator adeſt, Scythica agmina contra
Fulmineum verſans diris ſtridoribus enſem
Arduus : Ottomani quo tota exterrita ſigno
Agmina contremuere. polo demiſſa faventi
Subſidia, & vires addentem in prælia Marcum
Senſere Adriaci, Turciſque ardentius inſtant.
Diffugiunt trepidi rerum, terramque capeſſunt,
Quà licet, Oſmanidæ. fœdo lymphata pavore,
Navibus, & raptim ejiciens ſe incondita turba,
Ipſa ſibi infelix obſtat ; truduntque, ruuntque.
Pars &, flammarum metuens, Neptunia in arva
Deſilit, & leti accelerant formidine letum.
Littora dum nando affectant, pelagoque furenti
Luctantur ; vorat hunc vortex, illum hoſtica tela
Transfodêre : alios manibus ſaxa aſpera cernas
Prenſare obnixos, limo aut reptare tenaci.
Plurima ſed contis elidit corpora miles
Implacidus ; ſummâque revulſa crepidine retro

Affligit, ſilicive infigit pendula acutæ,
Squallida vulneribus taboque informia membra.
Multiplicem pauci cladem, cœloque marique
Infeſto, evadunt : nec terræ credere & arci
Semianimes audent ; & adhuc fatalibus armis
Terribiles Antenoridas fugientia longè
Terga rati premere : ac montes conduntur in altos,
Cœcaque inacceſſis exquirunt cautibus antra.
Phocœo interea cladis ſpectacula portu,
Naufragii immanis tabulas, claſſiſque ſuperbæ
Relliquias paſſim, ac laceris fluitantia tranſtris
Fragmina malorum, & permiſtis carbaſa remis,
Telaque corporaque & ſtagnantes ſanguine proras
Horreſcunt, imaſque petunt grex cœrulus undas.
At victor Geticis nexos, miſerabile, vinclis
Solvit Chriſtiadas ; Focchenſique arce potitus,
Navibus Odryſiis, clari documenta triumphi,
In mediis feſtos accendit fluctibus ignes.

AD
CAROLUM AURELIUM
COMITEM SAMPAULANUM
DE SUA
EXPEDITIONE CRETICA.

GLORIA Fráciadûm, Veneti Comes inclyte Martis,
Quò tua te virtus, quò ſplendidus abſtulit ardor!
Non maris infidi motus, rapidæque procellæ,
Sævior aut pelago tellus, & fluctibus ignis,
Naufragiiſque horrens denſa inter funera portus,
Conſilio magnæ potuere avertere mentis
Per medias properantem hiemes, medioſque per hoſtes?
Uſqueadeo extimulat teneris Heroas ab annis
Acer Honos, & Principibus dare jura ſuperbus!

Scilicet & vis major agit, lætiſſima ſacri
Relligio auſpiciis belli ; & te, CAROLE, digna
Præmia, fulgentes oſtentat ab æthere palmas.
Te Melite armipotens, Geticiſque ornata trophæis
Vidit anhelantem pugnas, ſtupuitque periclo
Longè inhiantem animum; pariterque accurrere Cretæ
Subſidio exarſit, tua per veſtigia lectum
Agmen agens, Equitum generoſo ex Ordine florem.
Lugubris heu rerum facies! atra undique buſta,
Undique congeſtas ſtrages hominumque locorumque
Obtulit hoſpitium infelix ; ſquallentia longè
Littora, ſemirutas arces, urbiſque cadaver.
At miſera, & latè disjectis horrida membris,
CANDIA, ut obſeſſos portus anguſtaque clauſtra
Francigenam audaci ſenſit penetraſſe phaſelo ;
Principis adventu crudos oblita dolores,
Tandem exangue caput vaſtiſque oppreſſa ruinis
Extulit ora. gravem plagis, taboque fluentem,
Sed laudis memorem ac mediâ ſub clade ferocem,
Explicat abſtergens vultum, frontemque ſerenat.
Deinde novam tota in ſpeciem defixa, notaſque
Sanguinis auguſti, atque excelſæ inſignia mentis,
Jam feſſas revocat vires : mox Candia, lætas
Collectâ in voces animâ, ſic dura virago
Gratatur ; ſic dulce jubar venerata ſalutat.
Qualem ego te, quantumque, ô, cui ſpectabilis aureo
Emicat ore animus , majeſtatemque benignâ
Temperat illecebrâ, terrorem aſpergit amori ;
Qualem ego te,ardentem ut Genium cœleſtibus armis ;
Aſpicio, juvenum fortiſſime ! viribus annos
Exuperas, virtute genus. præſentia famam
Auxit, & immenſas vincent ſpes ardua facta.
Audieram, quas Tornaci ſub mœnia, Princeps ;
Belli primitias, tantarum exordia laudum,
Imbueris, vallo irrumpens, raptamque ſariſſam

Ipse tuum referens ſpoliato ex hoſte trophæum.
Dunensis palmæ Proavi, claruſque triumphis
Longavilla Parens, & Avunculus * incitat Heros.
Nunc & longinqua impatiens tentare pericla;
Et quos cantavit Proceres mirata vetuſtas,
Per maria & terras cuncta in diſcrimina rerum
Ire alacres, raræ quæſita ad præmia laudis,
Æmulus inſolito curſu plauſuque ſecutus
Veniſti, paribuſque imples faſtigia cœptis.
Nec tibi per fictos accrevit gloria caſus:
Et, quæ lætus adis, priſcas diſcrimina pugnas
Semideûm obſcurant. nil Trojæ ſplendida certet
Fabula, & obſidio, Vatum labor ille, decennis.
At mea jam quinto proturbat mœnia luſtro
Barbarus Europæ atque Aſiæ Libyæque Tyrannus.
Huc totus, poſt Pannonici divortia belli,
Incubuit; lectoſque Duces, lectaſque cohortes
Fervidus immiſit, repetitiſque acrior inſtat
Obſidiis. pulſos revocat pudor iraque Baſſas.
Incaluit probro rabies, violentia damno.
Objectam indignata moram victricibus armis,
Indomitam ſævis quaſſavit motibus arcem.
Ceu campos torrens latè populatus apertos,
Aggerem in oppoſitum glomeratis æſtuat undis
Spumeus aſſultans; donec via facta ruinâ
Præcipitem excipiat curſum, vaſtoque fragore
Secum obicem rapiens fluctus domita obruat arva.
Sic rapido everſas gentes ſpoliataque regna
Agmine convolvens, collectâ hîc Barbarus irâ
Infremit, aſſiduiſque furens aſſultibus urget.
En, foſſis foſſas, vallum vallo, arcibus arces,
Urbrem urbi objectant. in me Nova-Candia crevit.
Aſpicis, Oſmanidæ ſummus quâ mole Miniſter
Intulerit ſeſe, conjurataſque Getarum
In mea fata manus quantis exerceat auſis?

* Pr. Condæus

Nec terrâ aut ponto requies. tum mollia linquens
Otia Sultanus, vicinas ipſe per oras
Signa movet. ſpeculâ increpitans vigil adſtat, & acrem
Exigit intenditque operam. prædæ imminet ardens,
Meque ſuoſque premit pariter: bello ipſe miniſtrat;
Plurimus obſeſſam exagitans ſpe devorat urbem.
Barbariamque omnem, mundumque ſub arma coëgit
Ottomanum. Lariſſæ* alium gerit aſper Achillem.
Cominus intereà (rerum cui credita ſumma)
Vizirus, tanto ratus omnia cardine verti,
Inſtat atrox, cunctaſque & vires promit & artes.
Non illum ſolitis excurrens finibus æquor;
Non jam tertia hiems, & qui fœdiſſimus imber
Subſtructam corrupit humum; peſtiſve fameſve,
Crebraque ſeditio caſtris, populique rebelles;
Non fuga ſeceſſuſve, pavor cædeſve ſuorum,
Avertêre operi. Suſcepto impendere vitam
Certior, ac Domini donis opibuſque refectos
Attollens animos, ferro bacchatur & igni,
Immiſſiſque undis, ac toto pugnat Averno.
Janiſaros acuit, devotaque pectora letho:
Nec ſibi, dum noceant Venetis, jam parcere norunt;
Aut vitæ pretium, aut finem poſuêre labori.
Speſque metuſque agitant: rivis ſudorque cruorque
Miſcentur: nec viva ſolo ſe immergere ceſſant
Corpora; & infeſtos ſenſi concurrere Manes.
Alter inexplicitos Creſſa Labyrinthus in orâ
Texuit anfractus caſtrorum, altiſque tetendit
Aggeribus foſſiſque minax ingentia ſepta:
Efferaque horrificis emittit monſtra cavernis,
Pinguia jam noſtro, necdum exſaturata, cruore.
Mille per ambages, effoſſaque viſcera terræ
Serpit, & obſcuræ creſcit vis addita fraudi:
Martis & accendit furias Vulcania peſtis.
Suggeſtu vario & crebrâ ſtatione tonantes

* Egit ea in urbe Sultanus aliquandiu per obſidionem.

Conſpirant


Conſpirant baſiliſci ; & ahenâ fauce procellam
Sulfuream, immaniſque intorquent fulmina maſſæ.
Ictibus inſanis tremefacta remugiit Ida ;
Diſſultant muri, & foſſas ſtravere profundas ;
Ac mea jam vaſtæ nudant præcordia labes.
Tartareis, credo, erumpens fornacibus ardor
In cinerem aërias ſuccenſo pulvere turres
Colleſque ſcopuloſque & propugnacula vertit.
In me armata, meis confuſa elementa ruinis.
   At tanti eſt ſeriem immenſam exhauſiſſe laborum,
Ut bello vexatæ Opifer ſocialibus armis
Adveniens, matura malis ſolatia præſtes,
SAMPAULANE, meis ; cœleſtiaque ora tueri,
Spectataſque ævo poſſim tranſmittere laudes,
Et merita attonitum famâ celebranda per orbem.
Felix obſidio ; felix, quæ cedere fatis
Neſcia, te, Princeps, ſenſit conſtantia teſtem.
   Sic effata, oculis exin mirantibus hæſit
Candia, teque tuaſque adſpectans, CAROLE, pugnas.
Nec mora : vix urbem invectus, jam erumpere geſtis,
Ottomanaſque acies, adverſa laceſſere caſtra.
Nimirum & decoris primas, primaſque pericli
Strenuus invadis partes. florente maniplo
Terribilem inſiſtens aditum, labefacta tueris
Mœnia : & immanem laceræ ſuper arcis hiatum
Arduus, intentos arcus flammataque Thracum
Tormenta, ac ſolido candentûm ex ære globorum
Horriſonos, plumbi confusâ grandine, nimbos
Deſpectas, murumque adverſo pectore ſupples.
   Inde aliud moliris opus ; prætexere muros
Aggeribus ; laxare vias, munire receptus
Præſidio, & campum, erumpens quo ſe explicet agmẽ;
Barbarici informes operis, vacuaſque ruinas
Vertere tutandæ reparatas urbis in uſus,
Objicibuſque novis Geticos frænare furores.

Nec piget effossam toties totiesque refossam,
Pulvereo jactatam igni, putremque cruore
Tellurem versare, gravesque attollere cistas.
Ipse oneri subiisse, gregi sociasse laborem,
Princeps, & sudore fluens sordensque decoro
Pulvere, nobilibus gaudes præcurrere Francis ;
Haud pompæ tantùm specie, cultuque clientum,
Quantum animo & formâ ante alios spectabilis omnes.
Agminibus, quid, cùm instructis prorumpere in hostem,
Ac dextram conferre datum est? qui te impetus egit
Threiciis præstructa inter munimina castris !
Quanquam Christiadûm excubiis arcana relictis
Transfuga prodiderat ; tentandaque castra maniplis
Francigenûm intenti firmarant undique Thraces :
Robur in objectum, delectaque millia tendis,
Nobilium stipante manu. nec te ulla pericli
Absterret facies ; non, quæ centena minatur
Machina ; turritisve operosa repagula septis,
Præcipites cryptæ, aut fossarum immane barathrum.
Pugnæ avidum cohibere labor. commista sagittis
Tempestas saxorum, & acutis addita clavis
Dira catenarum series, glandesque pilæque
Fulmineæ, ac piceo fumantes igne tenebræ,
Vulneraque, & variæ complerant omnia mortes.
Ecce autem, dum tu partes arrectus in omnes,
Si quà fessa cohors numerove oppressa fatiscat,
Subsidium meditaris, & irâ pulcrior ardes :
Fulguris in morem ruit, atro turbine adactum,
Missile ahenum, ingens, cui pulvere fœta nitrato
Viscera, & omnigenæ stipato pestis acervo :
Belligeræ quo nil inventum atrocius arti,
Mille simul jaculis trepidas populare catervas,
Vel solida ardenti casu perrumpere tecta.

Quem non justa tui, subitâ formidine, cura
Concussit, sonitu horrifico ferale ubi telum
Allapsum crepat, & violenta in fragmina circùm
Absilit, huc illum segetem ferrique necisque
Igniferæ spargens, refugas & sævit in auras?
Tu, lethi mediâ immotus caligine, moli
Fatiferæ insultas, Princeps; animosque maniplis
Franciadûm, viresque afflas constantibus ausis.
Impete funduntur passim turbata, caduntque
Agmina Turcarum. pulchri nec parca juventus
Sanguinis, insequitur penitus, quò dulcis amore
Immodico fortes animas Victoria raptat
Immemoresque sui. pars altæ stragis acervo
Incubat, & moriens te spectatore superbit.
Nec sola Venetos dextra bellator, & armis,
Sampaulane, juvas. usu non indiga, & annos
Antevolans, dubiis aderat Sapientia rebus,
Consilio in magno, & Martis spectata senatu.
Sic ubi Turcarum viresque artesque dedisti
Spernere, quò rigidum extendes, Invicte, laborem?
Longiùs acte animis, terræque marisque per omnia
Acte pericla, redi Princeps. huc Francia tristi
Bis morbo implicitum revocat. non ænea membra,
Aut animo indomitum respondent mutua robur.
Sat Cretæ Venetisque datum. belloque viæque
Pone modum: plenis adolescat viribus ætas.
Spem certam in patriæ, & claros te Regis in usus
Magnanime asserva Ductor. Quàm-pænè cruento
Oppressus casu, primæque in flore juventæ!
Te prope, tot ferro audaces cecidêre vel igni.
Tuque adeo Superos, capitis gratusque memorque
Custodes venerare tui. crudelia fata,
Stridentis plumbi glandes, volucresque sagittas,
Accensosque globos, & operti incendia belli,
Sic merito, avertêre, sacris dum fervidus armis

Et mediis gaudes intervolitare periclis.
Hoſpitiis iterum aſſurgens invitat ovantem
An. M. DC. LXIX. Romaque, & immensâ Clemens qui mole tueri
Cretæ relliquias totoque urbem orbe laborat.
Chriſtigenûm imperiis ſacrâ Vigil arduus arce
Proſpiciens, ſociale armis Divûmque virûmque
Bellum agitat ; Francæ ante alias ope gentis amicâ
Lætus, in Ottomanum cœleſtia ſigna ſecutæ.
Præſidio Cretam erexti ; magnoque vel abſens
Exemplo, Princeps, aderis. Jam concita curſu
Laudis opiſque tuæ, certatim Gallica fertur
Nobilitas ; paſſimque Europæ animoſa videmus
Confluere auxilia, & denſas agitare carinas.
Biſtona tu pariter factis illuſtribus hoſtem
Emeritus viciſti, & amicam, Carole, famam.





HEROICON LIBER V.

CELSISSIMO PRINCIPI
FERDINANDO
FURSTENBERGIO
EPISCOPO PADERBORNENSI,
COADJUTORI MONASTERIENSI &c.



ELSISSIME PRINCEPS,

Quam tibi nuper obtuli Divi Francisci Borgiæ vitam, eâ parum adeò meæ in sanctum virum religioni, meoque in Celsitudinis Tuæ obsequium studio factum est satis, ut mihi aliunde

quærendum videretur tenuitatis meæ supplementum. Ea de re sollicito opportunum subsidium attulit Frizonius noster, vir omni eruditionis copia dives, cùm scripta ad me misit in laudem ejusdem Sancti poëmata, tibi suo nomine in xenium hisce Kalendis offerenda. Multis illa tibi nominibus debebantur; sive quod è Gallia nostra flores illi sint, cujus gloriæ faves, & à quâ ita suspiceris, ut de te ornando jam atque celebrando certent inter se Galli omnes eruditi; sive quod opusculorum illorum author sit Poëta celeberrimus, atque ideo tuæ, ut ita loquar, ditionis; cùm eam ferè tibi authoritatem in poëtarum gentem omnem excellens quædam regiæ illius ac divinæ artis peritia vindicet, quam summa virtus, antiqua nobilitas, totque dotes viro Principe dignæ, in fortissimos ac bellicosissimos totius Germaniæ populos tribuerunt; sive denique quod carmina illa sint in laudem Sancti Generalis Societatis JESU, *quam hereditariâ benevolentiâ complecteris ac protegis. Plura adderem, quibus factum est, ut te potissimùm Mæcenatem optarit Poëta illustris, nisi meliùs ipse propediem explicaturus esset eximio poëmate, quod editurus est in tuam laudem. His in antecessum fave, ac munus, quod te non omnino indignum diffiteri non ausim, eâ quâ Musas nostras soles, humanitate ac benevolentiâ excipe.*

CELSITUDINI TUÆ

Devotissimus
ANTONIUS VERJUSIUS S. J.

Coloniæ Agrippinæ, Cal. Ianuar. M. DC. LXXIII.

SANCTI FRANCISCI BORGIÆ E GANDIÆ DUCE SOCIET. JESU PRÆP. GENER. EUTHANASIA.

CHRISTIADUM ſacro ſociandas fœdere gentes
Luſtrabat Latiâ veniens Legatus ab arce,
Purpureus trabeam, & ſancti pars ampla Senatûs,
Regiaque in ſævos acuebat prælia Turcas.
Tu quoque, Romani miſſu Patris, inclytus ibas
Aſſecla Legati, & magnæ, FRANCISCE, Miniſter
Cauſæ ingens, verbiſque potens, factiſque verendus;
Ardua cui virtus, meritâ celeberrima famâ
Herois, totoque animus ſublimior Orbe,
Contemptu ſpectatus opum, ſpectatus honorum.
Te ſequor, ô terras vaſtis emenſe Viator
Virtutis gradibus, poſtquàm gravia illa prioris
Splendidaque excutiens Fortunæ pondera, curſum
Acrior ad ſuperos ſpatio contendis aperto;
Dum, metam exhauſti pro Relligione laboris,
Sideream prendas patriam, ſedeſque beatas,
Arrepto exultans victricis munere palmæ.
Ipſe mihi, votis jampridem aſſuete vocari,
DIVE, Sacræ Mortis pretium, cauſamque genuſque,
Hæreſeos ſcelere infixum reclude dolorem,
Et quæ diluerint feralem gaudia ſenſum.
Littora ad Oceani, pronique cubilia Solis,
Mirantes inter populos, Regumque per aulas,
BORGIA progreſſus, penituſque affixus Olympo;
Mox iter immenſum relegit, quà Gallica brumâ
Arva rigent, circumque fremunt civilibus armis,

Cardinali Alexandrino, ad Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæque Reges Legato Borgia comes adjunctus à Pio V. Pontif.

Morbum contrahit ex itineris incommodis, & animi dolore ob ſacrorum vaſtitatem ab Hæreticis Galliæ importatam.

Undique & infandâ templorum ſtrage laborant.
Calvini ſcelus, ac nimiùm funeſta voluptas!
Ah, quibus aſpergit lacrymis fumantia latè
Rudera ſacrorum, & miſerandas Borgia clades!

Feſto Purificationis die in ruinoſo templo ſacris operans febri corripitur.

Fortè dies auguſtæ aderat ſacrata MARIÆ,
Quâ ſubiit, nullas experta Puerpera ſordes,
Haud ſibi præſcriptæ Moſæa piamina legis:
(Inſigni lucem gaudent celebrare triumpho
Chriſticolæ, & facibus ſtellantem imitantur Olympũ)
Cùm Pater, uſque inhians Chriſto ſacriſque litandis,
Quotquot eunt ſoles, miſeris nec paſſus in oris
Ambroſiâ impaſtam ſuperâ langueſcere mentem;
Tum magis, ut Solymas ipſum jam cernit ad aras
Offerri tenero celatum corpore Numen;
Ritè Dei, & Magnæ ſollennia munera Matris
Inſtaurare parat, meritoſque exſolvere honores.
Ergo ſemirutum in templum collapſaque tecta
Venerat, ætherii meditans convivia Regis;
Perque altos graditur confuſæ molis acervos:
Ac, virgulta inter, triſtem ſquallore ſituque
(Quando aliam infelix regio negat) inſtruit aram;
Theſbitæ ſimilis, juſto flammata dolore
Quem ſtimulat, fœdiſque ſuper coquit ira ruinis.
Atque ita concuſſo gemebundus pectore fatur.

Franciæ calamitatem crebrò deplorabat illis Eliæ verbis: Dereliquerunt pactum Domini... altaria tua deſtruxerunt &c.

O Deus, ô dudum ceſſans in fulmina Vindex!
En tua fœdifragi violarunt jura, tremendæ
Immemores legis, furiiſque immanibus acti.
En tua disjectis lugent altaria ſaxis,
Et cæſi polluta premunt ſacraria Myſtæ.
Indigetum proſtrata querar, contritaque ſigna?
Corpora quin etiam tumulis evulſa dicatis,
Corpora, ſiderei ſoliis quæ debita regni,
Raptarunt medias probris onerata per urbes.
Pars undis abſumpta, rogis pars tradita & auris;
Omniaque infando temerata elementa furore.

Sed caput, heu, ſcelerum, nullâque piabile flammâ,
Dirum, horrendum, immane nefas! vel Numen adorti,
Triticeæ occultum formæ ſub tegmine Numen
Excuſſere adytis; pedibus calcare Tonantem
Haud veriti, & rabidis eſcam objectare moloſſis.
Proh, Fidei columen, Romanæque ancora navis,
Virtutumque Virûmque parens generoſa, nec ullo
Infamis quondam monſtrorum Gallia partu!
Quas ego felicis clades, quæ funera regni
Aſpicio! veterum quò lux & pompa ſacrorum,
Aureaque imperii ceſſit florentis imago?
Primævi nam quæ decoris veſtigia reſtant?
Hei mihi, quâ faciam, ſordens vix ara reperta eſt,
Laſſatâ ſcelerum rabie excidioque ſuperſtes.

Sola Gallia monſtra non habuit. Hier.

Hoc animum imbutus ſenſu Pater, ætheris Agnum
Immortalem offert, ac ſe ſuperimmolat ipſe.
Quippe hiemes inter gelidas, nudoque ſub axe
Perſtat, & infeſto Boreæ ſuſpiria miſcet,
Tartarei attrectans monumenta inviſa furoris.
Succenſo interea Domini præſentis amore,
Et ſceleris pariter conſpectu ſaucius horret.
Martyrii genus! hinc fragiles rigor occupat artus;
Tum ſubeunte æſtu, morbi fatalis origo.

Ecce autem caro Divûm Regina Clienti,
Myſtica dum toto ſuſpenſus corde volutat,
Protinus affulget niveam circumdata nubem.
Crux fronti, dextro ſtella eſt affixa lacerto;
Parvulus inſedit lævam Deus: almaque regnat
Gratia, & auguſto collucet Gloria vultu,
Dulcibus & Natum radiis Matremque coronat.
Scilicet ut priſcâ divinus imagine Pictor,
Unus Apelleas felix ſuperaſſe tabellas,
Chriſtiparam effinxit; cultuſque extendere ſacros
Undique ſollicitus, cæleſtem Borgia formam
Innumero exemplo geminos diviſit in axes.

Imaginem B. V. à S. Lucâ pictam, primus exprimendam curavit.

Tali ſe ſpecie Virgo miranda per auras
Obtulit oranti ; majeſtatemque remiſſam,
Infractumque umbrâ non aſpectabile lumen
Exhibuit, mœſtumque erexit voce Clientem,
Solari dignata graves placidiſſima curas.
Agnoſco, gratorque pios, FRANCISCE, dolores.
Carnificum aſperius ferro, penetrabile telum
Luc. 2 Tu quoque nunc animo excipiens, mea vulnera ſentis.
Nimirum humanos per me devotus in uſus,
Et ſonti addictus luſtralis victima Mundo,
Ut primùm oblatus templa ad Solymæa Puellus ;
Nunc idem manibuſque tuis, linguâque ſequeſtrâ
Offertur, per ſecla ſuas mactandus ad aras.
Nec tantùm rigidam ante Crucem, gladii inſtar acuto
Altè deſcendit materna in viſcera ſenſu ;
Transfixitque animam, Vatiſque oracla probavit :
Sed jamtum ante aras ictu confodit amaro
Illa hominum corrupta Salus, indigna ruinæ
Materies, cæcoque objectus meta furori
Filius, ut ſignum jaculis haſtiſque petitum.
Tu modò ruderibus templi percuſſus, & iſto,
Gallica quo cernis jactari regna, malorum
Turbine, ſacrilegoque in me Natumque tumultu ;
Infernæ furiis turbæ, & feralibus auſis,
BORGIA, inhorreſcis luctu confectus acerbo ;
Membra animoſque æger torrente involveris æſtu.
Verùm age, conceptumque hinc jam ſolare dolorem.
BORBONIA ſurget fatalis origine Vindex,
Qui Proavum ingentem LODOÏCUS nomine reddat,
Aſſimilis pietate nepos & fortibus armis ;
Hæreticas ſternat vires, Fideique ruinas
Excitet, IGNATI auſpiciis felicibus ardens ;
Quem Latio ritu ſacrandum altaribus acer
Inſtabit, Bellique Ducem, Regnique Patronum.
At mihi præcipuè ſollenni obnoxia voto

Ludovicus XIII. ad Hæreſim perdomandam divina providentia excitatus ; B. Ignatium elegit Patronum, ejuſque Conſecrationé ſummo ſtudio promovit.

Sceptra dicans, festos pomparum indicet honores;
Clarior ille mei, Regis quàm sorte, Clientis
Munere, & obsequium gaudens præferre coronæ.
Illi ego vel Regnis majus, vinci inscia, Donum
Et dignum referam supremo à Numine pignus;
Nominis, imperii, decoris qui splendidus heres
Funestam excindet labem, passimque profana
Diruet æternis permutans templa trophæis,
Regnaque firmabit vastâ subnixa ruinâ.
Quam regis, augusto signatam nomine Turmam
Pars opere in magno, & vario quærenda labore
Gloria, divinique manet seges ampla triumphi.
Hæc adeò, FRANCISCE, mali solatia jamnunc
Præcipe, Francigenis melior quæ proferat ætas.
Interea durum, quo carperis, ipsa laborem
Causa gravis relevet morbi. Nempe obsequii vis
Huc egit, nec mollis Amor, quem nulla retardat
Monstrorum facies, non horrida Mortis imago.
Scis, quo deliciæ pretio, sinceraque emantur
Gaudia; ut adversis prodat sese inclyta Virtus;
Ceu, deformis adhuc terrâque obducta, probatur
Et purgata acri micat aurea lamna camino.
Quæ toties ambita, Crucem nunc denique perfer
Impositam, Christique volens te insignibus apta.
Sic mihi, sic Nato placeas. Nec longa supersunt
Curricula: optato vitam via limite claudet.
Laureti fugientem animam complexa fovebo.
Felix ille, meas vigilat qui mente paratâ
Ante fores: certa expectet promissa quietis:
Et, queis immoreris, tibi præmia parta laborum.
His ubi dilectum verbis affata Clientem
Diva Parens, multâque aspersum luce remulsit;
Non tamen, effeto grassantem corpore, morbum
Expulit; at tenuis dispensans munera vitæ,
Egregiam invicto firmavit robore mentem.

Gallicum Regnum Deiparæ consecravit.

Ludovicus XIV. post dicatum V. D. Fráciam natus ad ultimum Hæreseos excidium.

Beatus homo qui : : : vigilat ad fores meas &c. Proverb. 8.

Inde animo venerans tacito, cæleſtia dicta
Borgia Virgineæ recolit ſpeciemque Parentis :
Nec durum ſuſpendit iter, feſſiſve quietem
Indulget membris, properantia fata moratus.
Trans Alpes, trans Eridanum ferturque, viæque
Obſtantûm ſpecioſa Ducum retinacula rumpit ;
Quà Taurinûm Auguſta, & quà regalibus ingens
Hoſpitiis vim blandam adhibet Ferraria, fruſtrà
Cuncta movens. Nam ſe ingrato Franciſcus honori
Deliciiſque procul rapiens, unum æger anhelat
Lauretum , & Magnæ auguſtum penetrale MARIÆ.
Cella Palæſtinas inſueto tramite ſedes
Quæ fugiens, terraſque volans tranſmiſit & undas,
Aligerûm vectante manu, Domus æmula Cælo ;
Terrigenas quâ certa Salus profluxit in omnes,
Gratiaque & rerum miracula. ſæpè tiaras
Pontifices ſtravere aris, diademata Reges ;
Gentes vota ferunt, ſupplexque advolvitur Orbis.
Communem humani generis Franciſcus ad aram,
Vitæ relliquias, & qui ſuper halitus, alto
Maternas quàm corde libens effundat in ulnas!
Stat promiſſa fides : votis nova dona ſolutis
Accipit ; extremæque trahit ſuſpiria vitæ
Longiùs ; & Romam (votorum hic terminus hæret)
Accelerat. Caput illa viæ, finiſque laborum.

Romæ aut Laureti Franciſcus emori cupierat.

Qualis ubi æternum, populis Lucemque Salutemq;
Aſpexit Puerum Senior, dulcique potitam
Pignore jam felicem animam liquefactus amore eſt,
Molli cycneas ſpirabat carmine voces.
Talis, agens animam, divinos Borgia ſenſus
Concipit ; & Cœlo Sanctæ ſurgentia Romæ
Culmina proſpectans, ægros ſe attollit in artus,
Conſcius & MARIÆ delubra auguſta ſalutat.
Grandibus impenſam obſequiis in publica vitam
Commoda gratatur Chriſtoque Patrique Latino ;

Romam iniēs, Simeonis cantico mortem evocavit.

* Sub ipſam portam Flaminiam juſſâ conſiſtere lectica, pro foribus Mariani templi, diu ſupplicavit moribūdus.

Melleaque heic demum Simeonis verba ſecutus,
Corporis emitti labefacto carcere geſtit.
Vixi, & letifero ſanxi mea vota labore,
Extremum imperiis cæleſtibus actus in Orbem.
Tot Divûm ſtatio, longi meta ultima curſus
Roma mihi, Europes reduci jam finibus adſtat.
Splendida fallacis dudum ludibria vitæ
Abjeci, fugienſque Aulæ vincla aurea rupi:
Nunc etiam abjungi membris, penituſque reſolvi
Terrenis avidam nodis, Deus, accipe mentem.
Dixit; & invectus Romanis collibus hoſpes,
Ætheriæ conſcendit ovans juga ſumma Sionis,
Quam ſtudiis ardens, toto quam corde petebat,
Et patria tandem peregrinus ſede quievit.

Exequẽdo voto ſolenni Obedientiæ Pontifici debitæ vitam conſumpſit.

DIVI
FRANCISCI BORGIÆ
APOTHEOSIS.

PROVIDA Mens, vaſtum imperiis quæ temperat Orbem,
Ipſa ſui Cuſtos operis, Reginaque fati;
Naturæ illuſtri quanquam ſpectanda theatro
Explicuit ſeſe, & variis micat undique ſignis;
Altior æternam proprio tamen ordine ſortem
Præſtruit, auguſtoſque piis diſpenſat honores.
Lenibus inſinuans radiis, flammâque ſalubri
Gratia ſublabens quæ corda volentia flectit,
Suave miniſterium Divinæ ſedula Mentis
Exequitur, faſtuſque docet contemnere Mundo
Inſultantem animam, & Cœli ſupera alta petentem.
Illic, exoſos mortalis ludicra pompæ,
Heroas ſolidâ felices luce coronat
Gloria, ſupremæ ceu ſidera viva Sionis;

Mox etiam humanos inter clarescere cœtus
Virtutem jubet emeritam, Cœloque refundit
Terrarum in latos vibrantia lumina tractus.

* Maternum genus ab Aragoniæ Regibus ducebat.

Sic, grandes titulos & opes ubi Regius * Aulæ
Transfuga, Lojolæ signa atque exempla secutus,
Borgia deseruit; totiesque obtrusa repulsam
Purpura deinde tulit, sacri lux illa Senatus:
Jam veri compos decoris, cui tota vacavit
Ambitio, fulgentem animus comprendit Olympum.
Ilicet occurrunt puræ sine corpore Vitæ,
Hic Geniûm chorus, ille Virûm, quos igneus anteit
Lojola, & magno lætus se infundit alumno.
Tum comes, Eoæ domitor Xaverius oræ:
Allobrogumque decus, sancta qui finxerat olim
Arte Ducem, Faber hospitio susceptus amico;
Nunc meritis auctum gratatus, & ipse vicissim
Excipit; ac terrâ sublustrem ostensa per umbram
Divûm arcana, polo clarâque in luce recludit.
Nec tu, virginei flos, Stanislae, pudoris,
Obvius ire Patri cunctaris, & igne coruscus
Dulcia sidereo veniens incendia misces.
Sanguineæ rutilans trabeæ * Consalvus amictu,
Purpureusque Azevedio ductore maniplus
Francisco inclinant palmas. Quid cætera narrem
Agmina, in æternos jam tum provecta triumphos
Ignatî à castris, variâque evincta coronâ?

P. Petrus Faber spiritualibus exercitiis primus Gádiæ Ducem excoluit.

B. Stanislaus Kostka Romæ à Borgia in Societ. Tirocinium admissus.

* P. Gonzalez Silveria.

XL. Socii ab eodem Gener. Præposito in Brasiliá missi, ab Hæreticis interempti, &c.

Advolat & Christi spirans patientis imago,
Dum sacro gereret confixum stigmate corpus,
Nobile qui templis nomen Franciscus & astris
Intulerat princeps, Seraphimûm concolor alis,
Assisii gentile jubar; cui notus ab alvo
Difficiles inter Genitricis Borgia nixus,
Et prece maternâ felicem debuit ortum,
Nomine præsentem hinc referens studioque Patronum.
Ecce autem, quo se Tutore Hispania jactat,

Advenit, ætherii pars haud postrema Senatûs;
Primus & invictum ferro, Regisque cruenti
Sævitiâ clarum Domino testatus amorem.
Quondam acies contra Stygias, horrenda Deorum
Monstra, sacro intonuit bello: tum barbara visus
Sternere, Tartareo quæ conjurata Tyranno
Agmina; bellipotens rapidi cùm fulminis instar,
Hesperias acies, ora igneus, aureus arma,
Antevolans, Mauros pariter turbaret & Indos.
Ille coronandum Cœlo, terrisque colendum,
Primitias Equitum insignes, sacræque cohortis,
Rite suum agnoscit, tacitisque exercita pugnis
Pectora; quæ secum ipse pius certamina miles
Gesserat, & motus acer fregisse rebelles
Irâ exarmatâ domitâque cupidine victor.
Talibus auspiciis imbutus, & hoste subacto,
Molles illecebras durosque agitante furores,
Militiæ gravioris opus vastumque laborem
Borgia in externos obiit mox fortior hostes;
Innumerasque Erebo prædas avertit, Olympo
Quæsitas animas, Christique in castra recepit.

Primus è militari ordine S. Jacobi consecratus Borgia, ab ejusdem Ordinis Equitibus amplissima pompa celebratus.

Tuque adeo, Cœli genus & spectabile lumen,
Fulgure mobilior simul ac flagrantior Ales,
Francisco datus antè Comes, terræque pericla
Mortalesque inter casus fidissime Custos!
Nunc vigilis fructus optataque gaudia curæ
Excipiens, varias Cœli Dux alme per arces
Consortem ostentas; Dominæ communis ad ora
Sponte volantem effers Animam, sistisque Mariæ.
Semideos una ante omnes clarissima longè
Diva Parens; Natoque simillima regnat, & una
Indigetum ordinibus sparsos collegit honores.
Ipsa humilem, pedibusque adstratum maxima Virgo
Suscipit amplexu tenero dignata Clientem;
Ac Matrem confessa, pii dulcedine cultûs

Quem velut ambrosii lactentem aspergine succi
Imbuerat, satiat torrente hîc nectaris unda.
Inde ad supremam sedem, & penetralia ducit,
Æternam, augustam, immensam glomerantia lucem.
Omnipotens quo se Trias incomprensa recessu
Sepsit, adorato in solio, circumque tremendis
Majestatem adytis vallans, fulgore coronat,
Cœlituumque beans inhiantia lumina pascit;
Æternusque Parens, Sobolesque æquæva Parenti,
Adscitam servans hominis super æthera formam,
Ac sacer amborum nexus, Spirabilis Ardor.
Desertori aulæ, jam Numinis aula patescit:
Abjectamque Duci, & protritam calce coronam
Textilibus flagrans astris diadema rependit.
Jam tenues latebras, & amica silentia vitæ,
Contemptusque avidam toto canit æthere mentem
Gloria. Facundæ resonant te, Borgia, voces,
Quot, stellante capax gremio, Solyma aurea Cives
Lætitia cantuque perenni exercet ovantes.
Unum omnes celebrant: ut linguam animumque Puelli
Imbuerit Pietas, tenerisque inoleverit annis:
Ut vitii illecebras inter, tot blanda pericla,
Anxius, & suspensa ferens vestigia, morum
Eximium haud ullâ macularit labe nitorem.
Setoso Cilicum textu juvenilia creber
Membra domans, molli Serum fallebat amictu.
Mitia ut assuetus populis dare jura, sed armis
Vimque salutiferam placidasque exprompserit iras;
Fœda latrocinia, & scelerum genus omne fugarit:
Legibus, ac pulcris ornarit moribus urbes,
Principibus populisque idem lex viva decori.
Quas operum moles, sumptu pietatis in usus
Magnifico, statuit! nec tantùm Gandia, felix
Muneribus largi crevit Ducis: ipsa benignam

Catalaniæ Prorex, grassatoribus eam provinciam purgavit.

Sensit

Sensit opem, floretque Sacro Roma aucta Lyceo;
Enitet ingenuas Virtus quo culta per artes.
Ut decora, ut gazas, adspirantemque favorem
Cæsaris abjiciens, tacitis se infoderat umbris!
Mox &, Pontificum quæ maxima dona, sacrati
Purpureos apices longè aversatus honoris,
Supplicibus contra votis in probra tetendit!
Assiduumque gerens vexati corporis hostem,
Vix tenui membra ægra cibo, somnove maligno
Sustinuit, precibusque instans, gravibusque flagellis!
Quàm patrias idem curas geminum acer in Orbem
Extendit! quàm voce frequens calamoque saluti
Incubuit populorum; & sanctæ semina frugis,
Regum animis, plebique avidæ conspersit! ut ipsam
Barbariem amplexus studiis, ad sacra vocavit;
Huc, illuc missis America in rura colonis,
Immites sudore rigans & sanguine terras!
Talia Cœlestes memorant; super omnia, vitam
Difficili exhaustam obsequio, longosque labores,
Contractumque pio morbum letumque dolore
Hæreticæ aspectu templa inter diruta pestis.
Nec celebrata semel laudis præconia, primos
Borgiæ in adventus patrii ad consortia regni:
Volvuntur Cœlo sonitus, per secla resultant.
Audiit Urbanus, Superis quem proxima Sedes
Extulit; auditâque Interpres laude, Beatum
Succinit Indigetem, ac festo veneratur honore.
Maximus augustam Clemens nunc denique laudem
Ingeminat, sanctoque addit fastigia ritu.
Vaticana sonant præeunte Oracula Cœlo.
Roma novos Divo ducit gratata triumphos:
Christicolæ accipiunt gentes: micat Itala tellus
Lætitiâ; & gelidam quæ se porrexit ad Arcton,
Sarmatia imprimis generoso exarsit amore,
Regiaque illustres agitat solennia pompas.

Romanum Societ. Jesu Collegium fundavit.

Urbanus VIII. Beatis illum adscripsit.

Clemens X. in Sanctorum album retulit.

Borgiæ consecrato pompam in urbe Leopoli Rex Reginaque Poloniæ duxerunt.

Et jam quadrifidas terræ crescentia partes
Gaudia pervadunt: certant ingentibus urbes
Inter se studiis, & plausu consona regna.
Quàm turbis alacres fervent undantibus æstus!
Quæ Procerum decora, & Regum spectacula fulgent!

Madriti, corpus ejus asservatur & colitur magnifice.

Mantua præsertim claros molitur honores
Carpetana, suo jactans se plurima Divo;
Pignusque & sanctæ spolium venerabile mentis
Ostentat, gemmisque inclusum attollit & auro,
Multiplicem advolvens Magnatum ex ordine pompã.

Parisiis in Æde D. Ludovici, celebertima concione laudatus est ab octo Ecclesiæ Præsulibus.

At Lodoïcæo templo & Præconibus altis
Splendida Franciscum, miroque operosa paratu
Astriferi decorasse tholi Lutetia gaudet,
Sublimem Aligeris mediâ rapientibus æthrâ.

Tu quoque cœlestes excelso pectore curas
Concipis, insolitoque paras assurgere cultu,
Burdigala, Heroï magno; mortale trahentem

Rediens ex Hispanica legatione Borgia, summo honore exceptus Burdigalæ fuit, ibique Collegium admisit.

Corpus adhuc venerata Patrem, simul arcibus hospes
Legati Comes Ausonii successit amicis.
Quanta Viri illuxit pietas, quantusque modesti
Oris honos! jamtum meritis æquatus Olympo
Ibat, & Indigetis spondebant omnia sortem.
Ille tibi, optatas populo, votisque vocatas
Patritiis Musas, divini muneris autor,
Annuit, ingeniumque rudis moresque juventæ
Fingere sollicitas; non quæ Parnassia vani
Numina jactarunt, Phœbo sub præside, Vates;
At JESUM inscriptas studium queis carpere lauros.
Quàm facili nunc aure tuas, pro munere gratus
Admittet, rata vota, preces, cui tanta potestas
Numinis ad solium, regnique in parte sedenti?
Ergo & pignoribus tantis spes concipe dignas;
Et veteris memor hospitii, meritique, Patronum
Concelebra, dum læta cliens præludia tentat
Musarum Chorus, ac vario discrimine vocum

Miſcet Aquitani concentus munera Pindi.
Borgiam & alterno Franciſcum docta volutant
Antra ſono, ſilviſque canora reſultat imago.
Franciſcum toto revolubilis amne Garumna
Aſſonat, & longo geminatur Borgia plauſu;
Auſpice * Alibreto, decorant cui bellica fortem
Sceptra manum, Regiſque vices faſceſque tenenti
Paret Aquitanos quæ gens colit inclyta tractus;
Dulce, Valentino cognatum à ſanguine, nomen
Borgia cui pulcros pietatis ſuſcitat ignes,
Mutuaque hinc atque hinc accreſcit adorea laudum.
Æmula certatim Franciſco elementa laborant,
Terraque, & Oceani conſors æſtuque ſuperbus
Æquoreo fluvius, cantuque exercitus aër,
Ac feſtis glomerata rogis, diſploſaque ahenis
Flamma tubis. Lætos urbiſque arciſque fragores
Pulvereo tormenta rotant mavortia nimbo;
Et quæ vaſta premunt Lunati cornua portûs,
Condenſæ tonuêre rates reboantibus undis.
Civica jam legio, & latè ſpectata juventus,
Ore habituque nitens, pompæque inſignibus ardent,
Et cunctam armorum incendunt fulgoribus urbem.
Per vicos, per templa micant regnantis Olympo
Signa Ducis, vultuſque ſacros vexilla coruſcant.
Sic Pater omnipotens gratantibus inclyta terris
Præmia Virtuti ſanxit; laudiſque fugacem,
Ac, Ducis exuto ſplendore opibuſque ſuperbis,
Magnificè opprobriis auſum ſe involvere Chriſti
Franciſcum, hîc noſtras etiam dum carperet auras,
Cæſareos ſupra venerandum evexit honores.
Summiſſi officiis Reges, ſtupefactaque Regna
Cæleſtem coluere Virum: Natura jubentem
Audiit; attactum Morbi timuere, caducis
Cedere corporibus trepidi; Mors ipſa refugit,
Tartareique hoſtes: ac mens præſaga futuri,

* Mareſcallus d'Albret, Aquitaniæ Gubernator, affinis S. Fr. Borgiæ.

Semotaſque procul vivâ res luce retexit.
Omnia proſpectans ſuperâ nunc arduus aulâ,
Et nova per populos fundens miracula, Mundi
Supplicis ambitur votis : radiiſque micantem
Sacra triumphali circumfert Gloria curru.

JOSAPHATUS JUDÆÆ REX, MUTUA HOSTIUM INTERNECIONE VICTOR.

E Paralip. lib. II. *cap.* XX.

LYMPHATIS actos in mutua funera dextris
Ammonem Moabumque cano, deletaque Idumes
Agmina ; & immoto, queis militat arduus æther,
Victores ferro Iſacidas, ſpoliiſque potitos.
Armipotens, cujus Joſaphato Rege ſequuta
Numinis auſpicium, & promiſſo munere fidens,
Carminibuſque ſacris precibuſque armata tetendit
Tergeminas acies contra Solymæa juventus ;
Bellatorem animum, & magno Deus ore ſonantem
Adſpira ; immani ſubitos dum marte furores,
Auſoſque in ſeſe & paſſos hoſtilia cœco
Concurſu ſocios, jam præcentore triumphi
Vate * Sionæo aggredior, tua, Maxime, facta
Miratus, priſcoſque inſtauro lætus honores.
Dilectam ſuperis Judæo à ſanguine gentem
Juſtitiâ & leni componens pace regebat
Haud illaudato Princeps patre clarior Aſâ.
Straverat ille aras lucoſque exciderat altos,
Impia queis fœdum celebrabat turba Baalem.
Jamque peragratis Judææ finibus, omnes
Regis ad ætherii priſcum revocarat honorem:

* Jahaziele, de quo infrà.

Successuque operum lætus, jam debita vitæ
Otia carpebat Solymâ Josaphatus in arce;
Quæ subjectam urbem, magnæque ipsa urbis adinstar,
Despectat turrita Sion. hunc regia montem
Majestas insedit, & altis rupibus aulam
Imposuit florentem auro cedroque superbam.
Sedibus his, belli haud metuens, Josaphatus agebat;
Cùm trepidus Solymam, cursuque irrumpit anhelo
Nuntius, & subitis Regem terroribus implet;
Collectum Ammonem, junctisque in bella Moabum
Viribus, ac toto descendere monte Seïris
Conjuratum agmen, penitusque in viscera regni
Influere, & vastas Engaddi undare per oras.
Desiluit Princeps solio, jejuniaque omnem
Per populum indixit, notasque refugit ad aras.
(Hinc illi quæsita salus) cœtu inde precatur
In medio. Judæa sacræ se infuderat ædi,
Hostili incursu tantoque excita periclo.

Mons Seïr apud sacros au tores idem cũ Idumæa.

Æternis, ô, qui cælum terramque gubernas
Imperiis, Deus omnipotens, quo Numine solo
Res Patrum stetit, & Judææ gloria gentis!
Indigenûm excidio vacuam Chananæïda, & omni
Purgatam scelerum illuvie, Pater alme, dedisti
Abramidis, veterem pacto haud frustratus amicum;
Et propriâ Isrælem stabilique in sede locasti.
Ille autem, simul optatâ tellure potitus,
Templum insigne tuo populus sacravit honori,
Hæc dicens: si quando examina densa malorum
Ingruerint, strictusve ensis, pestisve famesve;
Hic portus nobis, hæc lapsis anchora rebus.
Stabimus augustam ante domum, penetraliaque altus
Implebit clamor: placidas clamantibus aures
Advertes, salvamque tuam dabis, Optime, gentem.
Nunc genus Ammonis, Moabique incesta propago,
Atque Seïræi; per quos (cùm Ægyptia linquens

Hæc Regis oratio, itidem ut altera Prophetæ subsequens, è sacris uraque litteris expressa est.

Arva,, Palæſtinas duce te migraret in oras
Iſacidûm biſſena tribus) pertendere curſum,
Et conſanguineos vetuiſti attingere fines ;
Diversâque viâ longum exercere laborem
Juſſiſti, & flexis errare per aſpera ſignis :
Ne victorum armis paſſim per rura, per urbes
Horrida confuſæ volitaret cladis imago.
Nunc illi immemores veniæ, ingratique ſalutis
Nos contrà patriis detrudere ſedibus ardent ;
Et tua præcipites dona extorquere laborant
Indignis odiis furiiſque hoſtilibus acti.
Ecquid in ultricem porrò Juſtiſſimus iram
Conſurges, bellumque tuâ pro gente capeſſes ?
Haud equidem tantis obſiſtere viribus ipſi
Sufficimus. tria caſtra movent, tria bella faceſſunt
Exitium in noſtrum ſociatæ fœdere gentes.
Vix hoſtes Judæa capit. Nos omnium egeni,
Quod reliquum, ad te oculos, ad te voceſque manuſque
Tollimus, auxiliumque tuis acceſimus aris.
  Hæc Princeps ; unoque eadem ſimul ore precatus
Ingeminat populus. cunctis ex urbibus illic
Matres atque viri, denſum & miſerabile vulgus,
Cum pueris gemitu compellant ſupplice Numen,
Quà nova ſe lato prætendunt atria templo.
  Ecce autem ſubiti perflatus Numinis aurâ
Surgit Jahaſiel, Aſaphi de ſtirpe Levites,
Turbarum in medio, cœlique oracula fundit.
Audite, ô Cives, ait, & quos bellicus horror
Compulit huc, Solymes arcem templumque petentes.
Tuque adeo, Joſaphate, animum Rex adjice verbis
Quæ fari Deus ipſe jubet. Secludite curas ;
Nec vos infeſtis venientûm exercitus armis
Ille triplex vano pavidos terrore fatiget.
Non hæc bella manu vobis pugnanda, neque haſtis
Tempus eget : teſtes oculos victoria poſcit.

Bella geret Deus, atque adverſos proteret hoſtes.
Craſtina ubi cœlo tenebras Aurora fugarit,
Ite Dei auſpiciis, aciemque educite contrà.
Obvia Siſæo tranſcendent agmina clivo:
Terminus heic illis hæret torrentis ad undam,
Qui Jerveleæ tractus præcurrit Eremi.
Haud iſtis, repeto, manibus teliſque gerentur
Prælia: Bellipotens pugnam ſibi vindicat uni.
State alacres, certumque Dei ſperate favorem.
Hoc tantum. ille opifer vobis Deus æthere ab alto,
O Cives, Deus ille aderit. Ne proinde virûm vis,
Tanta licèt, cujuſquam animum formidine turpi
Concutiat. Pugnæque autor, ſponſorque triumphi,
Bellorum Præſes Dominus. Vos ite, ſuperbos
Aſpernati hoſtes. cùm lux ſe craſtina cœlo
Invehet, auxilio Armipotens præſente favebit.
His dictis erecti animi, feſtuſque per omnem
Clamor iit populum. ſubmiſſo protinus ore
Rex terram ſimul ipſe, ſimul pia turba petivit;
Et Dominum toto proſtrati corpore adorant.
Intereà Caathita domus,* Coreique Levitæ
Rite Deo laudes, templis reſonantibus altè,
Promiſſum ob munus læti, grateſque canebant.
Quales ætheriæ per fulgida templa Sionis
Aligeri modulata Chori præconia volvunt.
Nec ſilet arma inter divini carminis uſus.
Namque ubi conſurgens, Thecuæ in deſerta phalangem
Manè novo Joſaphatus agit, mediumque per agmen
Vertitur arma gerens, Solymique inſignia regni:
Heſterni memores Vatis jubet eſſe catervas,
Promiſſiſque adhibere fidem, Dominique parato
Subſidio confiſa metu ſe exſolvere corda.
Tum qui gentili celebrarent carmine Numen,
Linigeros ipſâ turmarum in fronte miniſtros
Conſtituit; fidibuſque tubas, & nablia ſiſtris,

* Leviticæ familiæ.

Tympanaque & doctæ jungentes cymbala voci.
Ergo ubi Jeſſeï ſolennia claſſica Regis
Conſonuere ſacro præeuntes more Levitæ :
Ceu ſignum aurito dederit ſymphonia cœlo,
Omnia ſidereis armamentaria caſtris
Viſa quati, Superûmque acies in bella moveri,
Fulguraque in gladios & acutis ignibus haſtas
Conflari, & rapido currûm tremere aſtra rotatu.
Et jamjam Siſaræ pœnas, ſtragemque cruentam
Diſpoſiti ſtatione ſuâ, flammamque minantes
Stellarum inſtaurent cunei ; ni Maximus Ultor
Temperet ardentes iras, tonitruſque remittat.
Ipſorum adverſas in ſe collidere vires
Hoc placet, atque omnes ſociali occumbere bello.
Ilicet attonitas penitùs lymphaticus Error
Lotiadûm invadit mentes, ſimulacraque rerum
Mutat ; Idumæis ſociis hoſtilia ſigna,
Hoſtilem inducens faciem, Judæaque tela.
Exoritur vaſtus confuſa per agmina clamor
Ammonis Moabique : ruunt ſocia arma ferentes ;
Caſtraque Idumæûm, nil tale timentia, fœdis
Cædibus evaſtant. Quò nunc, quò tenditis ? eia,
Quis furor, ô cœci ! quæ vos mala faſcina turbant ?
(Clamat Edomæus Princeps) non hoſtica caſtra,
Judæamque aciem ; veſtras, ſocia agmina, vires
Perditis, & ludos hoſti datis ! en ego veſter.
O cohibete iram, & ſanctum ne prodite fœdus,
E ſociis hoſtes. Media inter talia ſurdus
Hinc Ammon, illinc Moabus, nec ſegniùs inſtans,
Proturbatque Ducem ; & rerum diſcrimine tali
Deprenſos dubioſque, fugam pugnamne capeſſant,
Mactat Idumæos. Cunctantes ferrea primùm
Telorum oppreſſit grando : mox letifer enſis
Accumulat cladem. ſternunt tentoria paſſim,
Quadrupedeſque viroſque ; & inũdant ſanguine campi.

Lib. Iudicum c. 5.

A Loto procreati Moab & Ammon, unde nomen genuſque populi duo traxerunt.

Mox eosdem inter se fratres novus incitat ardor:
Ammonem Moabus, Moabum ferit inscius Ammon,
Mutuaque infausto veniunt cum fœnore fata.
  Terrigenas Vatum sic fabula prisca canebat
Æsonidæ innocuos hosti, magicoque furore
Instinctos, fratrum non hæc in prælia natis
Oppetiisse armis, Grajæ spectacla juventæ
Dulcia, Phasiaco sed non lætanda Tyranno.
Aut, ne ficta loquar, sic bella domestica lusit
Et multo urbanam violavit vulnere pacem
Roma feræ altricis mores imbuta cruentos;
Cùm circumfusæ crudelia gaudia plebi
Ædilis faceret. Circensi Thraces arenâ
Barbaricam exercent artem; ferroque recepto
Infestos sæpe in gladios indutus uterque,
Alter in alterius confudit sanguine vitam.
Haud secùs obnixi Moabusque Ammonque vicissim
Conficiunt sese, atque insano marte trucidant
Victores victique: absumptis omnibus unum
Per campos triplici superest ex agmine funus.
  Judæûm interea vacuis exercitus arvis
Progressus venit ad speculam fatalis Eremi.
Hic verò novus ille oculis gratissimus horror
Subjicitur, Dominique aperit se ultoris imago.
Ceu cùm æstiva Ceres vastum succisa per æquor
Procubuit, densisque latent sub messibus agri:
Strata cadaveribus prospectant omnia latè,
Nec quenquam innumeris restare ex millibus hostem;
Tergeminas cecidisse acies. simul undique rubri
Visa maris facies, stagnantia sanguine castra.
  Tum divino ictus mentem Josaphatus amore,
Admiransque, manus cælo cum voce tetendit.
Hoc illud, Deus, auxilium sperare jubebas!
Hæc promissa tui Vatis! Belli arbiter unus
Diceris Solymæ. tua, Maxime, signa Triumphus

Semper amat ; famulisque volat lætissimus alis,
In quancunque voces partem. spes ille superbas
Curribus & gladiis fidentum eludere jussus,
Transit ad imbelles, viresque infringit iniquas.
O tibi quas referam grates ? quæ munera templo
Digna satis, Deus armipotens ? Agnoscite, Cives,
Vim superam, patrii tutelam & numen amoris.
Res ubi depositæ, præsens discrimine summo
Maturâ trepidos ope sospitat, ipsaque donis
Optata exuperat. Votorum summa salutem
Spectabat, si versa retro vestigia ferrent
Lotiadæ : nunc parta super victoria, & ipsi,
En, ultro incurrêre suis, mirabile ! telis,
Ac nostras obiere vices. Agè, debita laudum
Carmina solvamus Domino, quo Vindice tuti
Carpimus oblatos tanto ex certamine fructus.
Ite modò, & spoliis, Cives, gaudete repertis.
Dicentem Isacidæ læto clamore secuti
Decurrêre jugis : prædamque ex hoste petentes
Ingeminant gratesque Deo regique triumphos.
Ventum erat in vallem, facies quam dira premebat.
Heic perfossa vident pilis, hausta ensibus illic
Corpora,& innumeras lethi formasque viasque.
Nam trajecta alii jaculis præcordia rupti ;
Confixi jugulos alii : partim ungula equorum
Obtrivit ; partim falcati concita currus
Vis rapuit, lacerosque artus circumtulit axis
Fulmineus. tepido singultant flumine trunci,
Ac plenæ capitum galeæ volvuntur,& arma
Corporibus defixa hærent, & vulnera servant.
In vultu sedere minæ ; vivitque superstes
Ipsa in morte furor : gladios dextræque retentant.
Grandibus hæc inter congesta cadavera acervis
Ampla jacent spolia, & gemmis pretiosa supellex,
Purpureæque virûm chlamydes, pictique tapetes.

Judæus quæ abjecta legit, cælique potiri
Muneribus properat : Ducibusque insignia cæsis
Detrahit, & nitidas torques, & splendida bullis
Cingula, loricas argento auroque trilices,
Et cristas capitum, clypeosque ex ære decoros,
Arcusque pharetrasque & adhuc fumantia tela.
Sed prædâ obruitur victor, tresque ordine soles
Convectare humeris hostilia vasa laborat.
Quarta dies revocat sparsos ad signa maniplos
In vallem, * quâ dicta Deo bona verba faventi. * Vallis benedictionis.
Inde sacram facti signarunt nomine Vallem.
Judæi exuviisque graves, & pectora largo
Lætitiæ infusi sensu, quòd perculit hostes
Omnipotens, Solymæ remeant felicis ad oras,
Palmatis omnes galeis (Josaphatus ovantes
Anteit) & citharis misto clangore tubarum
Templa petunt, tantoque canunt pro munere grates.
Nec mora, finitimas it nuntia Fama per urbes,
Judæis pugnante Deo, cecidisse Seïrem,
Oppressum Ammonem, debellatumque Moabum.
Diditus in populos terror ; sancita Sioni
Certa quies : & Pax cœlo delapsa sereno
Pinguibus ornavit Josaphati tempora baccis.

JOSAPHATUS INDIÆ PRINCEPS VICTIS VOLUPTATUM ILLECEBRIS AULÆ NUNTIUM REMITTIT.

Hujus argumentum Poëmatis de Iosaphato Indo, Regis Abenneris filio, è capite XXX. sumptum est Historiæ, quæ apud S. Ioannem Damascenum extat: ubi castissimi juvenis animus, quò blandius, eò periculosius à procacissima puella oppugnatus, idoneis ad vincendos conatus illos nefarios visis armatur.

NUMINIS ardentes, cælo gens orta, Ministri,
Queis vigilem humanæ curam exercere salutis
Tutelamque datum est, arcano Tartara bello
Frangere, sidereisque animas inducere regnis;
Victorem scelerum Juvenem celebrate, Camœnæ
Aligeræ, sanctumque Chori pæana sonantes.
Arte laborantem Stygiâ, Venerisque dolosæ
Illecebris, præsenti animum firmastis amici
Subsidio, visisque biformibus. inde profanæ
Aulæ odium, sacræque cupido incessit Eremi.
Tuque adeo, Vindex Superûm, Domitorque Leonis
Cæsareo induti cultu, lateque per arva
Thracia, perque urbes augusta in signa furentis;
O lux, ô patriæ Rectorque decusque Damasci,
Unde trahis nomen; jam Vatem respice Vates
Ipse olim, nunc & cœlestibus addite Musis!
Desertorem Aulæ Josaphatum, antroque latentem,
Produxit spectandum Orbi, scriptisque sacravit
Dextra, pios doctâ ritus acerrima pugnâ
Tutari; Graiæque ideo sub crimine fraudis

Leo Isauricus, Imp. Constantinop. Iconomachus, in quē D. Joan. Damascenus scripsit.

Præcipites Arabis furias perpessa Tyranni.
Purpureæ formosa micant vestigia plagæ,
Virgineique eadem vestigia mira favoris.
At tu istâ rege, Dive, manu, longeque corusco
Duc radio ingressum tua per monimenta clientem.
Auroræ imperium & patriam calcere coronam
Ostentis rursus variis ad dura vocato
Da facilis juveni, & cœptis allabere magnis.

Manus ob Isaurici calumniá Damasceno amputata, miro Deiparæ beneficio restituta.

Jamdudum invictâ Patri pietate rebellis
Memnonius steterat Princeps; viresque dolosque
Fregerat, & Theudæ magicas eluserat artes:
Theudæ, qui Cyprias, agmen famulare, puellas
Expertus scelerum juveni submiserat autor,
Infaustumque ministerium, pellaciaque ora.
Una sed ante alias regali è sanguine Siren,
Aspectu cantuque nocens, præsentius offert
Exitium, cœcosque adspirat vocibus ignes,
Multa procax simulans; & relligionis inescat
Objecta incautum specie, turbatque timentem.
Credulus & jam jamque magis mollescere sensim
Cœpêrat insidiis animus, labefactaque corda:
Cùm dubios inter fluctus, ægræque procellas
Mentis, humi abjicitur, plangitque flagrantia supplex
Pectora, & assiduos oculi solvuntur in imbres.

Interea, dulci sortitus tempora furto,
Edenis superi delecta papavera campis
Ecce manu quassans delabitur æthere Somnus;
Non, viles stupor ille animas, plebeiaque passim
Assuetus riguo perfundere lumina cornu.
Heroum hic vigilem sopito in corpore mentem
Exercet, cœloque infert; atque alta, latentis
Numinis interpres, rerum miracula pandit.
Mille adeo pictæ facies, simulacra sequuntur
Mystica; prædulcis leti comitatur imago.

Ecstasis.

Ergo, ubi cœleſtis tacito pede regia Somnus
Tecta ſubit, curiſque oppreſſum contigit aureâ
Permulcens virgâ juvenem, ſacroſque medullis
Ambroſiæ inſperſit rores; tunc læta caducam
Molem eluctari ac ſenſu Mens ire relicto,
Jam levior, jam laxatis propè libera vinclis.
Continuò ignota longè tellure vagatur,
Aligerûm rapiente manu, qui per loca vaſta,
Dumiſque ſcopuliſque & grandibus aſpera ſilvis,
Tandem ad ridentes viſi perducere campos.
Splendidior cryſtallo & nectare ſuavior amnis
Purpureas ſpargit ripas & gemmea prata,
Halanteſque toros æterni munere veris.
Heic ſtupet inſignem lucum Joſaphatus, & altè
Fluminis adſtantes utroque à margine palmas:
Queis, neque deliciis Indorum cinnama certent;
Nec pretiis, olim vanus quæ cantat Apollo
Heſperidum nemora & fulvi decora illa metalli.
Non ipſe Eoïs arvis pulcherrimus Eden,
Prima homini ſedes, divina conſitus arte:
Quamvis & flavæ dextram conſerta Juventæ
Ducere Vita choros & nullis anxia curis
Gaudia geſtiret, circùm plaudentibus undis
In numerum, & teneri ſtrepitu admodulante Favoni
Concentus avium & liquidæ certamina vocis.
Hæc nullæ colubri inſidiæ pomaria fœdant;
Nec diræ invigilat Mortis cuſtodia ligno
Auricomo, ſacros prohibens invadere fetus:
Noxaque & intacto longè Mors exulat arvo.
Roſcidus it totis panaceæ frondibus humor.
Utque nemus gracilis perlabitur aura coruſcum;
Dulci arguta ſono, ſuavi fragrantia odore
Conſpirant folia; & roſeis ſtellantia plumis
Per teretes volucrum pendent miracula ramos,

Cœlestes Apodes, tellurem ſpernere natæ.
Sponte ſua rami varios ſinuantur in orbes ;
Heroaſque vocat frontes condenſa corona,
Nec ſenio marcens, nec pulvere ſordida terræ :
Et lemniſcatâ micat ardua Gloria palmâ.
Protinus amplam inhians rapitur Joſaphatus in urbem,
Aureus immenſo quas circùm amplectitur arces
Divinas ſpatio campus, ſilvæque beatæ.
Portas bacca ingens, muros extruxit ïaſpis ;
Obrizô ſpeculare ſolum conſternitur aurô :
Splendida flagrantes volitant per compita turmæ.
Cætera quis referat ? fulgentem qualis ad aram
Majeſtas ! obductæ oculis trepidantibus alæ
Circumfuſorum Procerum : celſiſque clientes
Deſiliunt Reges ſoliis, ponuntque coronas
Suppliciter. feſto ſonat omnis Regia cantu,
Mortalis quò non adſpiret gratia linguæ.
Concordes fervent citharæ, cumque ore loquuntur
Artifices digiti : vox eminet una canentum.
Heroum hic locus eſt ; requies immota piorum,
Qui maculæ expertes animas, intacta profanis
Pectora deliciis, meliora in gaudia ſervant.
Tu nos, ô Regum Princeps, Rex maxime Divûm,
Imperii heredes patrii, tantæque coronæ
Conſortes numero ex omni legis, Optime Vindex,
Qui meritos clauſo Furiarum carcere Manes
Fulmineus mactas Ultor. tu ſanguine caſto
Purpureos idem Reges, aræque Miniſtros,
Chriſte, ſacras. tecum heic ipſo regnabimus ævo.
Dum ſancto permiſta metu ſuprema voluptas
Defigit mentem attonitam, ſuſpenſaque tanto
Lumina conſpectu Joſaphati, uritque videndo :
Dia rudes jampridem oculos ſpectacula paſcunt ;

Nunc repetenda via; externas agè desere sedes:
Increpitant Genii cunctantem, & multa rogantem,
Ne sua præcipiti subducant munera raptu,
Neu fortunatæ revocent à mœnibus urbis.
Non ita (subjiciunt juveni comitesque ducesque)
Succedes magno hospitio: via dura laboris
Carpenda: haud precibus superæ stant præmia palmæ.
Solenni referes palmam certamine victor.
Ergo aude, & clarâ dignum te finge curuli.
Hæc simul; & Reges inter, sanctumque senatum
Ostendêre locum vacuum, sellamque paratam.
Ille autem sceptrum ac trabeam, quam Gloria dxetrâ
Texuit ipsa sua, sparsisque insigniit astris,
Ætheriâ in sella, & vivis diadema pyropis
Scintillare videt capiti decus. æstuat omnis
Luce locus, rutilamque accendit purpura sellam.
In medio, gemmis radiisque inscripta coruscat,
Contemptori aulæ, formosæ tessera sedis.
Hauserat illam oculis; diversasque actus in oras,
Et desiderio corda ictus fortia, cessit.
Parcite, terribiles Genii! sublimis Olympi
Quò cupidum rapitis Josaphatum in devia, & orbem
Adversum penitus Superis, penitusque jacentem?
At vitæ ancipitis metas, discretaque factis
Præmia magnanimo juveni recludere præstat.
Hinc timor incumbens stimulis urgebit amaris
Victrices agitare fugas. jam sidera nota
Altius assurget repetens, in Tartara visu
Demissus, Paphiosque extinguens ignibus ignes.
Antrum horrendum, immane, ardens, fornacis ahenæ
In speciem, cœcâ medium tellure dehiscit
Præcipites volvens populos, & sulfure inundans
Conglome-

Conglomerat piceo fumantes igne tenebras.
Segnius Ætnæis concepta incendia venis
Perpetuam eructant nubem, fundoque Vesevi
Montis anhelantes rumpunt spiracula flammæ.
Ipsæ ardent, ipsæque avidis sine more caminis
Inconsumptæ animæ feralia pabula præbent.
Illic discinctique Duces, fractisque Gigantes
Viribus, ac noto spoliati murice Reges
Mutatos horrent habitus, & non sua regna.
Divite jam torquis baccâ stellatus, & auri
Cessit honos : nunc illuso circumdata collo
Flamma, eadem sceptrumque manu frontique corona
Fingitur : incensas penitùs flamma induit Umbras,
Purpuream assimulans trabeam : stant omnia flamma.
Flammam inter Stygii, genus implacabile, vermes
Mille voluminibus serpunt ; atroque veneno
Spumantes, rabido convellunt intima morsu.
Admovet ipsa faces, dirisque armata flagellis
Conscia mens instans æterno verbere sævit.
Monstrorum omnigenæ facies, simulacra Leonum
Ignea, Cerberei rictus, vastique Dracones,
Ah, trepidis inhiant, Orci insultantis acerba
Ludibria : & densam rumpentia fulgura noctem
Turbine sulfureo pœnas produntque gravantque.
Vinclorum tractu horrisono, crepituque resultat
Plagarum, & surdo mistum plangore Barathrum.
Talia dum pavido Josaphatus lumine cernit,
Confusosque haurit fremitus, questusque nefandos
Frustra exsecrantûm sese, infaustósque parentes,
Ultoremque Deum : tum vox contorta per auras
Intonat. Hæc subeunt scelerati ergastula Manes.
His demum luitur pœnis malesana voluptas,
Fœdior & cœno, & rapidâ torrentior unda.
Quo tonitru concussi animi, ruptoque repente


Exturbata quies, noctiſque ſilentia ſomno.
At non diſtractam in geminas ſpectacula partes
Oblata effugiunt mentem. Cœlum, Orcus in alta
Mente ſedent, hærentque oculis : jam gaudia pectus,
Jam vaſtæ alternâ repetunt formidine pœnæ.
Ingemit, exanguiſque tremens, fletuque ſequaci
Suſpirans, intercisis ſic vocibus infit.
O Superi ! ô Manes ! ô fortunata Piorum
Concilia ! ô ſævo conſtricti carcere Sontes !
Agnoſco (exclamat) nec me ſacra ſomnia fallunt.
Eheu, quàm tenui rerum diſcrimine Olympum
Atque Erebum, Vitæ & Mortis confinia vidi,
Quamvis immenſum ſedes chaos inter utraſque !
Cedite fatales, monſtra importuna, puellæ ;
Tartarei, peſtes, queis ſibila lingua colubri,
Lubricaque heu nimiùm fallacis gratia vultus !
Inſidioſa cohors, procul hinc, procul ite nefandæ
Eumenides ! Stygii in flammas remeate Barathri ;
Dira miniſteria & fraudes avertite cœcas.
O Pater ! ô nomen jamdudum oblite parentis !
Ah, quid amore nocens & pluſquam hoſtilibus urges
Natum odiis ? ſcelerumne faces, Orcique miniſtras
Prolis ad exitium magicâ pater inſtruis arte ?
Si tibi jam obſtructæ monitis cœleſtibus aures ;
Poſthuma nulla ſalus ; pereundi certa libido :
Me Patris ætherii divina capeſſere juſſa
Quæ demum invidia eſt ? comitemne in Tartara Natum
Præcipitas ? hic prolis amor ! pugnare Tonanti
Quippe jubes ; Stygio fœdus ſancire Tyranno.
Hei mihi, ſi pœnas ſcelerum, feralis Averni
Effigiem hauſiſſes oculis ! Proh bruta reorum
Pectora ! flammivomæ in medios fornacis hiatus
Ultro avidi ruimus, Cœloque avertimus ora.

Proh furor, æternoque appensa dolore voluptas !
Quàm prope ab exitio, pietatis imagine captus,
Tartareas gressu in fauces titubante pependi !
Sed miserans, dextram Christus porrexit ab alto;
Summâ, flagitio præreptum, à clade recepit,
Asseruitque sibi. Et tantis objecta periclis
Hæres, infelix anima atque ingrata salutis !
Quid dubitas ? Regis nudus vestigia nudi
Consectare, Crucique volens te accinge ferendæ.
Hac monstrata vocat stellantis gloria regni.
O ubi * Barlamus ! quid me, Pater optime, densis
Hostibus expostum ac furiis flammantis Averni,
Aulâ in fallaci tectisque micantibus auro
Deseris, ipse cavis agitans sub rupibus ævum,
Et cælo niveæ pia condens furta senectæ ?
Dicite, iô saltusque sacri, feliciaque antra,
Dicite, vosque almi, cælo gens debita, cives,
Quæ Barlamum habeat sedes ; ubi conscia votis
Molliat incenso lacrymarum flumine saxa !
O qui me patrias ardentem linquere sedes
Deserto statuat medium, puroque sub axe,
Quò me non Genitor, non aula invisa sequatur !
Quæ mihi tum Charites, quæ cœli gaudia desint !
Tutior in silvis certè, mediusque leænas
Inter agam, quàm turba procax ubi retia nectit,
Illecebrisque afflant Paphiæ contagia formæ.
Aulam extra, scelerisque vias, vulgique tumultus
Tempora devolvam tacitæ placidissima vitæ,
Præcipiens Superos : victor mihi jura subacto
Ipse dabo, tunc sceptra tenens, potioraque regna.
Quam tu si veniam, specioso carcere septum
Usque premens, renuis; nec patris nomine longum,
Dure, neque extincto Genitor lætabere Nato.
Sic Juvenem sacri collectus imagine Somni

* Vir sanctus, à quo Josaphatus Christiana fide imbutus.

Impetus acer agit. nec multo vota moratus
Tempore, magnanimo ſpretam pede reppulit aulam,
Sceptra ſuper fugiens ſtratoſque in limine faſces.
Ilicet & Serum molles ablegat amictus,
Lætus inhorreſcens ſetis ; & regia tecta
Optato exilio mutans, ſpelæa ferarum
Occupat inſuetus, ſilvis mirantibus, hoſpes.





HEROICON LIBER VI.

MOTHA CANDENERIA AD ILLUSTRISSIMUM FRANC. DE ROCHECHOUART CANDENERI DYNASTEN &c. PRIMUM E QUATUOR VIRIS PRÆTORIARUM COHORTIUM PRÆFECTUM.



FORMOSUM Ligeris quà ſe via pandit ad amnem
Juliodunæi per agri lætiſſima culta,
Dives opum decorumque, & amicis hoſpita Muſis
CANDENERI latè regnat Domus, aurea Motha.
Illic certa quies, illic ſincera Voluptas,
Et junctæ Ludis Charites; Geniuſque beatæ

Sedis, Honos ; Numenque Heroïbus, ardua Virtus.
Inclyte priſcorum ſanguis Comitumque Ducumque,
Supremis populos terraſque undaſque regentum
Imperiis ; ades ô tantis, generoſa propago,
Major Avis, FRANCISCE, tuæ laus maxima Mothæ.
Jamdudum blandis exercens otia curis,
Et nova fatales vertens in gaudia caſus ;
Splendida nunc mecum placiti monimenta laboris
Colluſtra, tantumque operæ felicis & artis.
Ad tua, quò Vatem revocas, Prætoria cantu
Longinquas in amœna traham ſpectacula gentes.
Non juga Telegoni, non mollia Tiburis arva
Præniteant, Latias olim quæ plurima Muſas
Frondoſi hoſpitii gelida tenuêre ſub umbra.
Conſpicuas immenſo aditu progreſſus ad arces
Chlorus, Apollineâ vernant cui tempora lauro,
Lunatum inſtiterat campum, frontemque legebat
Adverſam caſtri admirans, & ahenea clauſtra.
Sublimes tacitus valvas prælabitur amnis :
Limen inaurato ſuccingunt ferrea vallo,
Candentes inter quæ ſpicula fixa columnas.
Addita vis formæ, decorique admiſta voluptas.
At valli in medio, & ſupremo in fornice portæ,
Divite flaveſcit, Soli haud ſpernenda, metallo,
Demittitque caput Clytie & languentia colla ;
Jamque riget luctu : florem cura ipſa colorat.
Antiqui, Clyties dextra lævaque, ſuperſtant
Poſtibus Heroës ; ſolidum queis pectore robur,
Marmoreo ſpirat majeſtas ardua vultu.
Projecta & nanis ingens redimita cupreſſis
Area tranſmiſſo Juvenem vix ponte recepit ;
Sidereâ illuſtris ſpecie cùm ſe obtulit Hoſpes,
Aggere contiguo viſus deſcendere caſtri.
Pulchrorum ille operum longè pulcherrimus auſpex,
Cujus amor puris excelſas ignibus Artes

Incendit, ſeu res manibus, ſeu mente gerenda,
Ibat Honos, florentem auro per colla toroſque
Cæſariem effuſus, lituoque inſtructus eburno.
Ilicet amplexu, & dictis occurrit amicis.
Chlore, quis aſpectu in primo, limenque ſub ipſum
Greſſum animumque repens fixit ſtupor? extima captos
MOTHA oculos tenuit: quid, cùm penetralia pandet?
Murorum neque enim facie cenſenda, ſuâque
Mole domus, pinniſque, & turrigero anfractu.
Ingredere, & majora oculis mirantibus hauri.
Hæc inter, ſubmiſſum animo grateſque cientem
Occupat ipſe manu, ſuperatoque aggere ducit,
Quà gradibus ſummis gemini inſedere leones.
Ira jubas arrexit, & aſpera dentibus ora
Illiſere globo, atque impactis unguibus horrent.
Tum Sphinx, virgineo formoſum pectore monſtrum,
Deſinit in tergum, caudamque ungueſque leonis;
Pontiſque obſedit fauces, terretque placetque.
Stant toto virides ſuggeſtûs margine coni,
Protectæ ſaxo molis latera ardua flumen
Alluit, & vivo reſtagnant gurgite foſſæ.
Veſtibulum jam Chlorus init; foribuſque ſuperbis
Aligeræ accipiunt Horæ, genus Ætheris alti;
Quæ turrim caſtri æriſonam, bipatentia ſupra
Limina, pervigili propriam ſtatione tuentur.
Contrà excurrenti reſpondent atria viſu
Pervia, & immenſum trans ædes panditur æquor,
Anterior Mothæ quanto plaga limite tendit.
Tum comitem, argutis oculis per aperta vagantem,
Inferioris Honos ſuccedere ſedibus aulæ
Invitat, croceo Attalico quam ſtemmata pingunt
Candeneri, undoſoque appenſa inſignia ſcuto.
Singula percenſet Ductor, Chloroque reſignat,
Et Domini priſcâ faſtos ab origine texit,

Vicecomites Lemovicenses, quorum etiam nonnulli Aquitaniæ Duces, ut de genus Procerum de Rochechoüart, ex antiquiss. monumentis.

Fulquerium, Vidonem, Ostrofrancumque renarrans,
Totque alios Lemovicis agri ditione potentes;
Queis & Aquitanos tractus, rapidumque Garumnam,
Infuso undantem Oceano, frænare potestas.
Certa loquor monimenta Domus, tabulasque perennes,
Inquit Honos; nullâque fides ambage laborat.
Gerardi, Cubus Comiti cui paruit olim
Viviscusque Duci Biturix, placidique Vigennæ
Accola, perpetuum recto genus ordine fluxit
Rupem-in-Cavardi: ramoso deinde per omnes
Stemmate Francorum Proceres, Italosque cucurrit,
Teutonicosque Duces, Regali & Sanguine mistum.

Candeneria Domus cum plurimis Galliæ, Italiæ, Germaniæ Principibus, ipsisque adeo Christianiss. Regibus affinitate conjuncta.

Cœlesti dignas sed quas ego Præsule laudes,
Cui magnum Rupes dederat * Fucaldia nomen,
Concipiam? Numen ceu Tutelare piorum,
Ac Regum ille Patrem gessit. nec dignior alter
Romulæ adoratam genti conscendere Sedem:
Nec (quò præstantum meritis incensa ferebant
Vota Patrum) solio frustra considere summo
Christiadæ, pronoque humeros supponere seclo
Vidissent Custodem Orbis, Regemque Sacrorum.
Purpurei sanè Princeps lumenque Senatûs,
Nunc potiore micans ostro, st[.] [.]llatus Olympi
Arcè sedet, Franciscum & Avunculus excitat Heros.

* Frãc. Cardin. Rupifucaldius, Cãdeneri Proavunculus.

Quid Polemarchorum clavas, & Martia regna,
Laurigerosque canam, proavis decora addita, fasces,
Et partam Heroum dura inter prælia famam?
Nec verò, stirpem egregiam quæ tanta coronat
Gloria, Canden[.]rum longâ pertentat ovantem
Majorum serie, Consanguin[.]isque superbum.
Haud splendoris egens alieni, & lumine clarus
Ipse suo, qualis proprio Sol igne coruscat.
Acrior ingenio, dubit[.]s, animone; quieti
Aptior, an bello, certat cum robore forma

Corporis: intrepidâ regnat Constantia fronte.
Ille nec officii parcus, nec mollibus uti
Gnarus blanditiis, gratæ capit artis amore
Phœbigenas; Doctosque alios, quæ cuique facultas,
Hospitio donisque fovet, studii que lacessit.
Ingenio nova causa faces admovit, & ultro
Splendida captantem commercia nobilis urget
Cura Virum, Natus; nec dignior ulla Parente.
Et Patre haud quisquam potior, sublimia rerum
Sponte suâ sectantem, & nil puerile ferentem
Excolat assiduè, atque ingentibus omnia cœptis
Spondentem accingat famæ, decorique futuro.
Omnia mutatis jamnunc miracula formis;
Assyrios, Persas, Grajos, Latiosque sonantem
Externis stupeas linguis. pulchrum ipse laborem
Ludo avidus rapit; & memori sub pectore servans
Fastorum signata notis, signata locorum
Cuncta ævi monimenta refert: gressumque Lyceo,
Naturæque adytis oculos immisit apertis.
Usque adeo tardos animus prævertitur artus,
Annorumque moras! lustro congesta secundo
Tot studia, exercent vacuas quæ singula mentes.
Atque Artes idem Musis permiscet equestres,
Gradivi Phœbique avidus decerpere lauros.
Et jam prima tulit gratantis munera Phœbi,
Aureolo tenerum modulatus pectine carmen.
Quale sub Ortygiæ cecinit natalibus antris
Delius ipse Chori Princeps, artisque repertor,
Lactea cùm citharam primævo dextera lusu
Impulit: Ægeï presserunt murmura fluctus.
Dixerat; erectumque animis, auditaque plenâ
Mente revolventem, vastæ penetralibus aulæ
Chlorum educit Honos: junctoque per alta feruntur
Tecta gradu, atque alia ex aliis conclavia lustrant.
O mihi tantorum si fas æquare canendo

Innumeras decorum ſpecies, fuſaſque per omnem
Delicias gazaſque Domum ! Regalis ubique
Splendor, ubique decus, gratoque opulentia luxu.
Aurea librorum hîc nitidas examina ſedes
Complevere : illic armamentaria ferro,
Partim etiam argento ſplendent ; nec ahenea deſunt,
Miſſilibuſque globis & pulvere fœta nitrato
Tormenta. inde tonans molitur fulmina Mavors.
Non ego, Mothæas quanquam omnia magna per ædes,
Singula amem gracili vacuus percurrere filo.
At doctos equidem haud ſileam, quos crebra tapetas
Fabula deſcripſit, Chlorique exſuſcitat œſtrum ;
Quos punctis acus inſiſtens operoſa minutis
Bombyce exegit, mirâque animam addidit arte.
Vos Juveni, quoſcumque novæ Carthaginis hoſpes
Legerat Æneas caſus patriæque labores
Junonis templo effictos, aulæa refertis
Gemmata, & Graïæ ac Latiæ contexta Minervæ.
Hîc ſpoliatum armis, ſpoliatum lumine victor
Hectora crudelis raptat, cumque Hectore Trojam.
At Priamus (tantum patrii vis auſa doloris !)
Pelidæ affuſus genibus, natique rubentem
Sanguine complexus dextram, feralia jura
Et lacrymas emit appenſo miſerabilis auro.
Parte aliâ inſidias, furtivoſque edidit hoſtes
Arduus inſultans muris Equus ; inde Pelaſgi
Dardaniam exundant nocturnâ ſtrage per urbem.
Jam cinis eſt quæ Troia fuit, domus illa Deorum,
Ille Deûm labor. hîc nondum conſedit in ignes
Seclorum victrix, & adhuc vivacibus ardet
Inconſumpta rogis, mediaque in clade perennat.
Poſtquam oculis Phrygios inhians animoque tapetas
Circumiit ; patulum ſe offert, lateque recluſo,
Ad primos quâ parte Domus reſpectat Eoos,

Pariete ſuggeſtum procurrit, & imminet undis.
Quò greſſum juvenis ſimul intulit; arvaque raptim
Obvia proſpectu inſolito miroſque lepores
Libavit; ſimul attonitus, fidiſſime ductor!
Verane, ait, rerum facies? an ſplendidus error
Ludit Apellei fuco fallente laboris?
Lætius artificis nam quid ſolertia dextræ
Finxerit, audaci quidvis mentita colore?
Hîc virides umbras nemorum, hîc felicia culta
Hortorum, hîc riguo trepidantia flumina curſu,
Prataque ſectilibus latè gemmantia rivis?
Ut partem ridente ſolo funduntur in omnem
Gaudia, campeſtriſque decus ſpectabile regni!
Circeos equidem lucos, cantataque rura
Crediderim, illuſos quondam paſcentia ſenſus.
Ergo agè, multiplices jucunda per otia formas
Perlege, & Æmonias Tempe vincentia valles;
Arridens ſubjecit Honos. ipſe omnia blandus
Intento ſignat digito, & res vocibus ornat.
En, ait, ut caſtrum placido circumvaga fluctu
Nympha coronavit! Dorizam nomine dicunt:
Ceſpite ut eductus, tenuis quem glarea veſtit,
Ripaſque extruxit, pratumque amplectitur agger!
Pratum adverſum, ingens; ubi ritu ficta Britanno
Mille trahit virides ſecto area gramine flexus.
Dædaleo ut ſepes operi formoſa renidet!
Frondentes metas, immortales cypariſſos
Punicei variant flores; contexta roſeta
Laudato ante alios frutici, cui nomina fecit
Perpetuus, canæque viror nil frigora brumæ,
Nil rapidam æſtatem metuens, torrentiaque aſtra.
Quattuor amne obeunt ducto in diverſa canales:
Singulaque integrum referunt divortia flumen,
Cryſtallum oblongo liquidam voluente meatu;
Et caſtigatæ, ne quà ſilva edita viſu

Officiat, puris circumſedêre cupreſſi
Æquales ſpatiis, & utroque à margine vernant.
Omnia congeminat lymphæ ſpecularis imago.
Aſpice & ulterius pratis nemoroſa vireta.
In medio longeque viam, lateque patentem
Herculea obtexit foliis bicoloribus arbos,
Dum vaſtâ excipiat creſcentis imagine lunæ
Concurſus populorum, & publica vota petentum
Salmurias arces & Magnæ Virginis aras.
Talia monſtrantis, viſu per cuncta ſequaci,
Stabat inexpletum juvenis ſuſpenſus ab ore.
Cui ductor: ſubjecta oculis volitare per arva
Pergimus? an certis propiùs cognoſcere formis
Cætera, Chlore, juvat, greſſumque efferre morantem?
Lætius hoc: dulciſque labor pervadere prata,
Gramineoſque toros manantibus undique rivis,
Vicinumque nemus. Chlorus ſtatione relictâ
Exſcendens, rarum artis opus jam calce terebat,
Pendenteſque gradus, atque ipſo ſtantia nexu
Apta inter ſeſe miratur grandia ſaxa.
Inde, ſub egreſſum, taciti ad penetrale Sacelli,
Quod lateri annexum dextro gradibuſque recurvis,
Ducitur afflatus propriori Numinis aurâ.
Rite piam oſtendit ſedem, ſanctoſque receſſus
Dux juveni, & quàm crebra loco pretioſa ſupellex;
Ingens præcipuè candenti è marmore ſignum.
Humanâ major ſpecies niveam inſidet aram,
Marmoreuſque puer maternis decubat ulnis.
Credo equidem, Indigetis ſimulacrum nobile * Divæ
(Infit Honos) arrecto animo dum ſuſpicis, hoſpes,
Grande illud tacitus voluis; *Cœlone peractum*
Fluxit opus? certè longinqua per æquora tantum
Hoc decoris Motham advectum. Baſin aſpice verſu
Inciſo memorem: Genuæ venerabile Donum
Agnoſcas, una nec relligione tuendum.

* Deiparæ.

E ſilva 1. Statii.

*Tempore quo Francâ Ligures ditione Secundus
A Decimo implicuit Ludovix, par unus utrique
Hesperiæ, belloque potens ; sed amore suorum
Clarior, & populi non vanâ laude Parentem
Jactantis ; rerumque adverso fortior æstu :
Pictonicas moderantem urbes & Santonis oras
Oceani, multaque priùs virtute probatum
Franciscum imposuit Genuæ, qui parta fideli
Servaret validâque manu, Regemque referret.
Pro quo bisgeminum Pario de marmore munus
Publica gratati Cives monimenta dicarunt.
Henrici studio Magni haud indignus, ad arces
Fabricius * Belli dictas cognomine Fontis
Secessit, statuisque decus regalibus addit.
Ex illo quæ lux generis, quæ gloria jamtum
Candenerî, cernas, gestis & adorea rebus.

Franc. de Rochech Dynatta Candenerius, Pictonum Alniensiumque Gubernator, à Ludov. XII. Prorex Genuæ creatus.

* Statua, Henrico IV. expetente, ad castrum Fontisbellaquei trāslata.

Franciscum hac Pietas exercet sede frequentem.
Exemplo componit Herus famulantia corda ;
Sed magis affixam lateri Pater ardua prolem
Astra sequi, pulchroque docens inolescere mori.
Sic aquilæ advolitat pennis jam fortibus audax
Vere novo fœtus, cùm rupibus emicat ales
Fulmineus, cœlique iras cœcosque fragores
Exsuperans, rutilo nubes secat ocyor igni.
Jamque adytis cedebat Honos; cùm Chlorus, at, inquit,
Marmora dissimulas medio substructa Sacello !
Ille autem. Ne verò alti, ne quære doloris
Materiem. hîc viridis prærepta in flore juventæ
Quippe Viro Conjux. lethi victricia corda,
Æternæque fovent cinerem sub marmore flammæ.
Stirpe genus Lupiâ ; Cœlesti ab Virgine nomen :
Bellenave, ditio : roseo Mens pulchrior ore.
Improba Lucinæ primum Libitina levamen
Invidiâ excepit, libataque gaudia vertit.
Sat partu fecunda uno tamen illa, puellum

Marmoreus in Sacello tumulus Mariæ Lupiæ, uxoris Cādeneri, feminæ spectatissimæ.

Nunc Geniis enixa parem. Nec plura profari
Sustinuit : gemitu sermonem abrupit acuto.
Protinus hinc comitem vicina sub atria transfert,
Tabulæ Geographicæ.
Quæ limbo circùm insigni condensa tabella
Vestiit, & pelago ac terris descripta pependit.
Torva hæc aspectu, & vultus imitata leonis,
Corpore turrito ac totis gerit artubus urbes.
Arces ore sedent, exertis unguibus arces;
Stant villi silvis, decurrunt flumina venis.
Nec minùs illa ferox, habituque induta Draconem,
Sed tamen innocuis populos complectitur alis.
Ludicra quas hominum formas industria fecit,
Ausa etiam cœlo Superisque adscribere monstra.
Ecce autem patriæ laus & spes altera Mothæ,
Candeneri Soboles, Musarum illustris Alumnus,
Arti instabat ovans, corda igneus, aureus ora.
Mox ubi certatum officiis; quascumque per oras
Ire velit, cuicumque freto dare carbasa, promptum
Spondet Honor signare vias, Chloroque lacessi
Ardentem. Ingenii certus, lætusque pericli
Emicuit, radio stringens quæsita fideli;
Mirator stimulos alacri dum subderet hospes.
Dic, ubi se, Proavis quondam regnata, superbis
Ædibus attollat Genua, & queis imperet undis?
Continuò notat hic Ligures. quibus acer in oris
Regisque & patriæ vindex Czarneskius ardet?
An. M. DC. LX. quo hæc scribebantur.
Littaviæ saltus, saturasque cruore paludes
Ostendit, captasque urbes, populosque fugatos.
Sarmaticæ hîc acies; hîc cæsi castra Geloni.
Et numero iste quidem superans; at languida bello
Dextera. Threïciis congressus viribus impar
Quid Dacus, Pannoque, & Cæsaris arma pararent,
Dicebat; Venetûm egregios, pia bella, labores
Subtexens ultro, ac quæsitis plura rependens;
Dalmatiam, Cretamque, volantesque æquore Francos

Àuxilio, variaque frementem classe Zacynthon.
  Tum Japonum addebat, Sinarumque ultima regna
Montibus ac scopulis, æternoque aggere circùm
Vallata ; &, si quá nativus deficit agger,
Perpetuâ muros internectente coronâ.
Perfidus ut subitâ defecit labe, ruinam
Imperii traxit murus ; quà prodita claustra,
Ultro avidum invitans reclusis finibus hostem.
Non expectato deprensa ignavia casu ;
Turbine correptum imperium : tot sceptra solutas
Effugêre manus, victoris præda superbi :
Aurea jam Kamo Pequini regia servit.
  Sic memorans, geminum solers errare per axem,
Lusiadûm æquabat cursus, classesque Batavas.
Laudibus implebit, studiis quem jam occupat Orbem.
  His actis, castro excedunt, tabulataque picti
Lata premunt pontis, Phœbique feruntur ad ortus.
Aggere constiterant medio : castroque sub ipso
Quattuor apparent sectæ discrimina vallis,
Quattuor ad ventos vastum porrecta per æquor,
Prataque, odoratumque nemus, latosque canales.
Arboris eximiæ versu distincta quaterno,
Tergemina immenso excurrit via limite in omnem
Acta plagam. tantum nitidi jacet undique campi !
Tractu lyncea vis insano fracta resistat.
Longarum ingentes supremo in fine viarum
Termini, & insignes candenti mole columnæ.
Innumeros paribus spatiis atque ordine certo
Propugnantque, ornantque simul claustra, addita pontes. Portæ XI. ferreæ, opere pulcherrimo.
Ferrea tota virent, nisi quà permiscuit aurum
Artificis non parca manus : virgataque gyro
Ludunt multiplici, & longo serpentia flexu.
Lævia per segmenta, & apertos undique chlatros
Transmitti faciles visus. florente metallo

Impendent, ſparguntque comas operoſa micantes
Lilia. tum jaculis increvit cuſpis acutis
Suprà, infraque horrens : portæ latus armat utrumque,
Projectique aditus intercipit objice ferri.
Defixum objectâ ſpecie per ſingula Chlorum,
Præſertim verſo in Zephyrum per hiantia caſtri
Atria conſpectu hærentem, procedere porrò
Admonuit ; lævamque petens, impoſta canali
Dux picturatæ ſubiit faſtigia portæ.
Belgicæ inumbratum patulis quod frondibus ulmi,
Tranſverſum carpit ſpatium, pratiſque propinquo
Succedit nemori. venatibus obvia paſſim
Præda, feræ : nec Phaſiacæ deeſt turba volucris.
Jam ſilvam ventum in mediam, quod lata bis-octo
In centrum toto coëunt ſpatia undique ſaltu.
Pratorum in gremio, totidem ſtrata ampla viarum
Par ſtellæ ſpecies radiato colligit orbe.
Orbem denſa utrumque abies, Indiſque petitæ
Finibus intonſoque comantes vertice plantæ
Circumſtant, viridemque loco ſtruxere coronam.
Hîc molles ſtrepitant auræ, dulcique canoras
Murmure aves queſtuque cient. frondentia tecta
Ingenui vario perſultant agmine Ludi.
Et ſua cuique vacat regio. Quàm longa palæſtra
Ferrato exercet tuditi verſatile buxum,
Ac valido tantùm luſu calet ! ilice opaca
Aſſurgunt latera, & ferventia tela retundunt.
Certatim ſolidoſque globos, animataque plagis
Robora ſuccincti pugiles truduntque, rotantque.
Concuſſæ alterno reſponſant verbere ſilvæ.
Exin digreſſos campeſtris ſcena theatri,
Pierioque æterna vocant viridaria ludo,
Spectanti Procerum quondam gratiſſima turbæ.
Interlucentes ferro tum dividit hortus
Contiguus valvas. fruticum lectiſſima ſilva,
Reticuli

Reticuli implicitam nexus quam ſuſtinet æreï,
Pomifero Autumno muros conveſtit apricos ;
Autumnique ornant alienos munera menſes.
At latus adverſum nitidis intexta columnis
Ærea præcingit ſepes ; hortique perennes
Delicias eadem clauditque aperitque tuendo.
Atque ubi quadrifidâ incurrunt regione viarum
Tranſverſi pulvilli, incurvatoque recedunt
Margine lunati ; culto ſeſe extulit arvo
Artis apex, compacta globis, ferrique metallum
Auro illuſa, micans, & conſcia machina cœlo.
Aurea fama ſupèr paſſis levis eminet alis,
Ære cavo inflatas tollens ad ſidera laudes
Candeneri, claræque ferens inſignia gentis.
Aurea Candeneri rutilat ſummo axe corona,
Vel dum nube latet Phœbus, dum nocte ſepultus,
Temporis expreſſura vices. Phœbumque ſequentis
Flos Clyties, Auſtrina poli ſuffixus ad aſtra ;
Auratique orbes, ac florum ex ordine gemmæ,
Et cælata baſis vertente inſcribitur umbrâ :
Umbrâ, quam cornu effulgens fera temperat aureo,
Mitis ab ingenio Domini manſueſcere docta.
Horas cuique ſuas tot per loca diſſita genti,
Ac tempeſtates varias revolubilis anni
Deſcribit, feſtoſque dies ; & quæ, hoſpita Solis,
Ignea ſignifero regnent animalia tractu.
Æternum curſorem, indefeſſumque laboris,
Umbra pari Solem curſu ſequiturque fugitque
Tempore dimenſo. Mortalem extendere vitam,
Quæ volucrique aurâ trepidaque fugacior umbrâ eſt,
Fama potens, Heroum Umbras in ſidera transfert.
Accedunt, hilareſque oculos per ſingula volvunt
Chlorus, & aſtriferis agitans commercia regnis
Vixque humiles plantâ ſtringens Honor alite terras.
Curriculo in magno celeres quæ meta quadrigas

Sciothericum horologium inſigne.

Siſtat, agens retrò ; & verſis quò tendat habenis
Longa per ardentes relegens veſtigia campos,
Juſtus & alterno brumam Sol dividat æſtu.
Qui lucem appendat tenebris, noctesque diebus ;
Qui mediumve diem, aut gemini confinia mundi
Signet, & objecto proſpectum limite claudat ;
Quive polo hinc atque hinc prætexat circulus axem :
Cæteraque alloquio miſcent, Hortumque peragrant,
Stant triplices ferro portæ, ſplendentia clauſtra,
Quà ſublapſum hortus læto bibit ubere flumen.
Atque hinc Euripo duplici & brevioribus alveis
Caſtrenſes lympha in foſſas exercita curſu
Commeat, & crebro Nymphæ plauſêre natatu.
Iſtuc biſgeminos videas ſub equilibus altis
Confluere, exortos ſeptenis fontibus, amnes ;
Et quem multifido trajecit Motha canali ;
Et qui diversâ ſalientes parte maritat
Hoſpes aquas, primumque ſubit juncto agmine limen ;
Cœruleum hinc Ligerim affectans, Neptuniaque arva.
Tramitis in medio, ſternit ſe ponte canalis,
Committitque ingens, caſtro qui præjacet, agger ;
Tum ponte adverſo connectit roſcida prata.
Nec viſus altæ caſtigans objice molis
Ille quidem, venientûm acies ut aperta laceſſant
Atria ; per mediam traluceat eminus arcem
Planities metata ſolo, fugientia rura,
Innubiſque dies, convexaque cœrula mundi.
Aggeris extremam ad frontem ſubſedit utrinque
Areola : & muro aſſurgens, niveiſque columnis
Ferratos molli in chlatros ſeſe induit umbrâ.
Pomonæ hæc lætis opibus, lucoque coronans
Inſolito Floræ ſocialia regna, trecentis
Citriaque arbuſtis oſtentat, & aurea mala,
Mala vel Alcidæ manibus digniſſima carpi.
Non lucum Heſperii ſervat tutela Draconis,

Saxea sed Boreâ moles defendit acerbo.
Centum illis variæ species, & nomina centum,
Terrarum & longè diversis partibus ortus.
Nec dubiæ nemus auriferum committitur auræ,
Infidoque solo. septa intra lignea silvam
Stirpibus infossam teneris, facilemque moveri,
Ubere congesto tellus nutritque fovetque
Fragrantem silvam; teretesque nitescere ramos
Desuper, ac latas Soli dat pandere frondes.
Nam tepido exponi gaudent peregrina sereno
Arbusta, & gelido subduci innoxia cœlo.
Tecta receptandis, hiemant dum sidera, malis
Inter, & officiis structas vernilibus ædes
Area quadrato explicuit se maxima tractu,
Assiduisque retrò stellantes floribus horti.
Parte ex adversa, posticoque aggere castri
Insinuant undis, cæcisque ambagibus errant
Areolæ, buxo Cretæum imitante laborem:
Et ductu alludit vario labyrinthus aquarum,
Illimes, vitreas, tremulo splendore micantes
Candida quas Naïs per amœnos dividit agros.
Purpureos nivei latices & marmora cycni
Fluxa tenent; doctas mulcent concentibus aures.
Acribus interea alipedum resonantia passim
Armentis, & prata nitent, & fortia equorum
Corpora delectu longè quæsita superbo.
Jam limen repetens Chlorus, præsepia ad alta
Turmatim pasci & longo fremere ordine cernit
Threiciosque, Afrosque; & quos circumflua Ponto
Anglia; quos ventis genitos, aurumque bibentes
Dives equûm, dives fluviorum Hispania misit.
Omnia quæ postquam Chlorum per gaudia duxit
Blandus Honos, vivaque implevit imagine MOTHÆ;
Visa simul Dryadasque inter, facilesque Napæas
Ferre Camœna pedem ac ridenti Gratia vultu,

Quæquæ aliæ ſedem Nymphæ tenuêre ſuperbam.
Unà omnes, Geniumque loci Chlorumque ſequutæ,
CANDENERI pariter nomenque decuſque canebant
Æternum, & laudes ſurgentis ad æthera Nati :
Nec voto inferior patrio, nec ſanguine avito
Degener, ingenii celebres miracula * Picos
Reddere jam aggreſſus, Fortunam ut vincere diſcat
Virtute ; & raptim ſubluſtri viſus in umbrâ
Nuper ut attonitæ in ſe oculos converterit Aulæ.
Obſtupuit ; Geniique hortatu accenſus amico
Inceſſit pars ipſe Chori, Dominoſque Domumque
Advena concelebrat, ſummoque attollit Olympo
Jampridem tacito meditatas pectore grates.
Cantantem dux afflat Honos, Mothæaque pergunt
Ambire officiis comitatæ ad limina Nymphæ.

* Silvia, Comitis Randani (nunc Ducatûs titulo inſignita Randana ditio eſt) & Fulviæ Picæ Mirandulanæ Filia, Candeneri Avia.

DE

CLARISSIMO ERUDITISSIMOQUE VIRO

JOANNE VERJUSIO

CUM EJUSDEM POSTHUMUM OPUS

PANEGYRICI SACRI

Fratrum curâ in lucem prodiiſſent.

FALLOR, an ætherio volitat delapſus Olympo
Et Famæ nova cura Liber, nova gloria Suadæ,
Rorantes inter gemmas & lilia denſâ
Miſta roſâ, puroque inſcriptus volvitur auro ?
Regia Muſarum, veteriſque Lutetia Romæ
Æmula, divinum pignus, cœleſte volumen
Doctorum accepit Procerum gratante Senatu.
Quàm variæ arrident facies ! quàm ſplendida floret
Gratia, & auguſtis rerum miracula viſis !

O dignum Superis munus, nataliaque aſtra
Inſolito referens habitu Liber! omnia Cœlo
Picta nitent, clarumque oſtentant omnia Numen.
Hîc formâ primùm exoritur pulcherrima Virgo; 1. Paneg. de Naſcẽte Virgine.
Qualis fatidico, ſilvarum gloria, Vati
Jeſſeâ radice procùl ſe attollere viſa, *Egredietur Virga de radice Ieſſe &c.*
Myſtica Virga ſacrum ſublimi vertice Florem
Edidit, æternùm vernans, nullo aſpera nodo:
Inſignem ante alios florem, paſſimque decoris
Purpureum maculis, niveoque tenerrima lacte
Candentem folia; & miſeris præſentia terris
Auxilia in Stygias lætum diffundere peſtes.
Ambroſium latè populis ſpiravit odorem,
Unicaque extinctam reficit Panacea ſalutem.
Et placidâ veniens aurâ, longeque volucres
Ante alias dio ſpectanda Columba nitore,
Virgineo flori patulis ſuperincubat alis,
Et dulci illæſum demulcens pondere firmat.
At belli ſignum, ecce, novi fatale coruſcat Panegyr. in Crucem. Ejus Victoriæ ac Triumphi.
Regnator, ligno domitum qui vindicat orbem,
Morte ſua vincens, & adactas ſub juga gentes
Sanguine pacifero luſtrans: Mundique Tyrannum
Deturbat ſolio, ac flammato carcere frænat.
Lucifugi trepidant hoſtes, revoluta barathro
Agmina: ſollenneſque Cruci molita triumphos
Fulmineum extollit cœlo Victoria robur:
Aligeri ductam antevolant per nubila pompam.
Scilicet & lethi ſpoliis Orcique ſuperbos,
Clara triumphales agitans Facundia currus,
Ipſaque cœleſtis pompæ pars magna, triumphat.
Jam rutila quantus properat Legatus ab aula, In D. Paulum, Chriſti Legatum.
Idem oleam gladiumque ferens; in utrumque Miniſter
Delectus pariter, bellumque indicere Averno,
Atque iterum, antiquo diſciſſam crimine, pacem
Jungere terrigenis, & non violabile fœdus!

Principis haud melior mandata efferre ſupremi,
Quam gerere ; & ſanctas factis conſciſcere leges
Sedulus, & cœli terris imponere morem.
Naufraga ter maria, & crepitantis verbera nimbi
Saxea, vulnificoſque expertus corpore faſces ;
Opprobriis clarus, media inter vincula liber,
Publica devotus certæ velut hoſtia morti,
Paulus hic eſt, Chriſti quem vis comitata per omnes
Terrarum excurrit populos. Sapientia mentem,
Corda inſedit Amor; tonitruſque in verba ſecuti.
Commiſſus chartis ſpirat cœleſtibus ardor :
Divinæ reſonant æterna oracula vocis.

Parte alia, vinclorum aurata volumina cernas,
Splendidum onus, traxiſſe, & iniquo pondere frangi
Leviaden, mille implexum præcordia nodis.
Curarum audiri ſtrepitus, ac ſemper hiantis
Improba avaritiæ ſuſpiria. Rumpe tenaces,
Infelix, nexus ; Chriſtus jubet. Ille potentem
Difficiles inter ſonitus magnæque tumultum
Fortunæ, vocem arrectis ſimul auribus hauſit,
(Mirandum !) ſimul ille animis : gravibuſque ſolutus
Continuò curis, & avaræ transfuga vitæ
Arduus exiluit; nec mollia juſſa vocantis,
Calcatis audax opibus, nudamque ſecutus
Pauperiem, jam ſpe regnandam præcipit æthram.

In S. Matthæũ (qui & Levi nominatus) Chriſti vocem telonio relicto ſecutum.

Tu quoque magnificam, Aureli, fers, inclyte Præſul,
Laudem opere in tanto : liquidoque ſimillimus igni
Effulges, totumque illuſtras fervidus orbem.
Omnia doctrinæ pervaſit ſplendor, & umbras
Diſpulit errorum ; Manichææ inſomnia noctis ;
Quidquid Donati, quidquid delirat Arii
Perfidia, & vario Pelagî fallacia flexu.
Caſtus Amor, vivamque trahens à Numine flammam,
Crimina purgavit lacrymis, æſtuſque profanos :
Chriſticolis vaſtos Pietas operoſa labores

De S. Auguſtino. *Quaſi Ignis effulgens.*

Nunc quoque inextinctis præbet fulgoribus ardens.
Sed quid ego Indigetum longo præconia cantu
Singula consector ? Sanctæ decora omnia turbæ
Pagina, & inclusum, quantus patet, æthera sistit.
Huc sanctus repetit Genitor : per magna priorum,
Quà via sacra tulit, celeres vestigia natos
Acribus urget agens stimulis, validaque coronæ
Objectæ illecebrâ ; mollique per aspra locorum
Sublevat hærentes dextrâ miseratus alumnos ;
Et non degeneres immenso amplexus amore,
Imperii heredes patrii locat ipse volentis
Primigenæ in solio, fraternoque addit honori.
Nunc & viva subit patriæ felicis imago,
Relligiosa quies, placidisque silentia septis.
Ceu fixa Isaciæ quondam tentoria genti,
Finibus avectæ Phariis, Erythræaque longè
Trans freta & Arabiæ vastas sitientis arenas.
Strata solo circùm, & nimbis famulantibus acta,
Mira seges. dux certa viæ, fidissima nubes,
Pervigil & flagrante diem supplere columnâ,
Pensilis arcebat rapidos umbella calores.
Ordinibus descripta suis, distinctaque castra
Agmine bisseno steterant, laudata vel hosti,
Aligerûm excubiis, manifesto & Numine septa.
Balami ante oculos terrori mixta voluptas.
O nemora ! ô pingues riguis in vallibus horti !
O Libani juga picta perenne-virentibus herbis,
Et nitidi fontes, & roscida fontibus antra,
Ubere mellito doctæ mollescere cautes ;
Et vos, quæ terram pedibus servare coactæ,
Æthera formoso prensatis vertice cedri !
Quas ego delicias, quos Relligionis honores,
Dulciaque insontis legi spectacula vitæ,
Sidereas tædas, & virgineos hymenæos !
Nimirùm hæc doctis manantia gaudia chartis,

In Sanctos universos. *Sancti estote &c.*

(Qui vicerit, faciam eum sedere mecum in throno meo. Apoc. c. 3.)

De vita Religiosa Panegyrici tres.

Quàm pulchra tabernacula tua, Iacob &c.

Vt valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios &c.

Hæc ſancti decora eloquii, clariſſima Divûm
Lumina, Verjuſi, toto circumfluus æſtu
Numinis, & pleno largus jam corde refundis.
Æterni ſuggeſta premis radiantia templi
Orator ſublimis ovans ; & debita, palmas,
Præmia, facundæ geſtans pietatis honores.
Altiùs & Superis dudum vox nota perorat,
Cœptarum pertexere amans præconia laudum,
Inque vicem auguſtâ Superûm laudante coronâ.
Nec tamen hæc inter, depreſſa in valle relictos
Et nimiùm damni memores, oblitus amicos,
Egregio conſtantem animum ſenſuſque priores
Pignore firmaſti, magnæque interprete mentis,
Suavia demiſſo exercens commercia Libro.
Credimus ? an tumulo aſſurgens ſuper ætheris auras
Reppetit Autorem fetus ? taciti que recluſis
Muſæi latebris, prodit ſub nocte jacentes
Suadæ relliquias & digna encomia Cœlo ?
Hinc decus immortale viget, ſacroque ſuperſtes
Perſonat eloquio Francas Verjuſius oras.
Nil favor hîc peccat populi, gratiſque redempta
Fraudibus inſincera libros quæ Gloria clarat ;
Et nitidâ illuſos ſpecie, cultuque ſuperbos
Crebra fovens, nugis pretium felicibus addit.
Illum adeo Natura parens, illum aurea nutrix
Congeſtis certatim opibus doniſque beatum
Vindicat Ars Genium : & ſtudiis concordibus ambæ
Scriptorem, curiſque librum ſocialibus ornant.
Quot lita luminibus, quàm pulchris ignibus ardens
Vis penetrat blanda eloquii, ſenſuſque animoſque
Occupat illecebris, perque intima pectora regnat !
Hîc ſolido nervi cum robore ; nec minùs, aptâ
Temperie, florentis honos & gratia formæ,
Materiæ cœleſtis opus. neque prodiga luxu
Diffluit, aut uſu ſatiat corrupta voluptas.

Palladiam Pitho qualis dominata per arcem,
Inſedit tereti linguæ, non illa decorem
Ingenuum fuco & placitis violata venenis.
(Ceu, male bracteolas phaleraſque induta crepantes,
Splendida quæ turbis Suadelæ arriſit imago,
Ingenii ſtricturâ & acutis frigida vibrans
Fulguribus, geſtitque operoſo dædala ludo,
Dulcibus & vitiis animos titillat inertes).
Mollitiem unguentis madidam muliebribus odit;
Sed pugilum ritu, atque oleo nitet uncta palæſtræ.
Nec verò (aſpersâ ut ſordet luctator arenâ)
Aſper inhorreſcens, &, quo ſchola pulvere fervet,
Squallidus ingreditur placidas orator ad aras.
At quanto ſe marte ferens, Academica bella
Geſſerat; & ſacro ſpectatus ritè Lyceo,
Sorbonicas lauros, primæque inſignia laudis,
Ipſe ſuos, major titulis, decoravit honores,
Jam gravis in viridi meritis Verjuſius ævo!
Doctrinæ immenſum omnigenæ ſi reſpicis orbem,
Secula Neſtoreæ fingas decurſa ſenectæ.
Ille tamen, Latiæ quidquid Graïæque Minervæ eſt,
Complexus, tot vaſta virûm monimenta, tot artes,
Singula quæ totam longâ ſtudia ardua vitâ
Nec tardam impediant mentem; nova, priſca, profana,
Sacra, ſinu collecta ferens, immanè capaci
Cuncta aggeſta ſinu & cumulo inconfuſa bonorum;
Vix quater octonos annorum expleverat orbes.
Atque illum, jam inde à puero, miratus, & altæ
Vim ſurgentem animæ & Clari juga Montis amantem,
Muſarum ipſe parens, doctrinarumque, Petavi,
Sidus, ubi alterius ſpectas orientia Phœbi
Lumina, primævoque tui tantum inſtar alumno.
Et jamtum memores populorum evolvere faſtos;
Et quis cuique color veterum, quæ vena, ſuamque
Ingeniis formam & certæ diſcrimina vocis

Adhuc puer, cùm operam litteris daret in Collegio Claromontano S. J. admirationi fuit magno Petavio.

Aſſignare potens; jamtum ſcripta edere tiro
Viſus erat, ſua quæ curæ maturus & ævi
Plurimus optarit & non inglorius autor.
Mox juvenem Hiſtorici quoties, Myſtæque ſalebris
Impliciti, dubiaque malignæ lucis in umbrâ
Conſulere aggreſſi, & libris coluere dicatis!
Vos ego, felici quoſcunque admiſerat uſu,
Aonii flos alme Chori, vos conſcia teſtor
Pectora, queis lucem toties affudit honeſtam
Verjuſi generoſus amor. quanquam ipſe receſſum
Maluit, & doctos latebris mandare labores.
Quantùm inhians ſequitur vulgus, famam ille refugit
Inſtantem; ac merito ſeſe ſubduxit honori,
Involvitque libris, ſolidæque incumbere laudi
Prudens, & vanos populi contemnere plauſus.
Idem Aulæ ſpecioſa animo juga ferre ſubacto
Fortiter ignarus, byſſoque prementia & auro
Vincula, amicitiaſque graves captare Potentum.
Quin etiam ſponte adſpirans dum crebra Favoris
Aura virum, placidique vocat pellacia ponti;
Non maleſuada virum ſpecies & gratia fallax
Marmoris æquorei, non mobilis aura Favonî
Conſtantem à fido valuit deducere portu.
Ille quidem ſuavi ingenio componere frontem
Blanditiis aptus, nec duros fingere mores;
Si quidquam addictâ pro libertate paciſci
Suſtineat, nulli docilis ſervire magiſtro,
Contemptu ſublimis opum, ſublimis honorum.
Sed neque Pieriæ tantùm indulgere quieti
Aut vocali operæ natus; rebuſque gerendis
Fortè impar, ſtrepitum horruerat, turbamque morantē.
Miſceri externæ ſi quando turbine ſortis
Contigit, obſequioque negotia verſat amico;
Strenuus ingentes ingenti pectore curas
Explicat, uſque ſuus: dulceſque reviſere Muſas

Impatiens, Pindo emeritus ſe condidit alto ;
Et famæ parcens committere facta loquaci,
Invidiam eluſit pariter laudemque remiſit.
Hoc erat, hoc dignâ tripodum quod voce ſonabat.
Felix, qui tacitam Mundi turbante theatro
Perſonam geſſit Sapientis, inania rerum
Deſpiciens, caſuſque animo ſupereminet omnes !
Sanctius effatum, delatamque æthere legem Panegyr. in Humilitatem.
Nobilis intonuit ſacrata ad pulpita præco :
Et flatus premere, atque in ſe ſubſidere juſſit
Chriſticolas ignotâ humiles virtute profanis.
Quippe Deum ultricemque manum intentare ſuperbis,
Munificamque ultrò ſummiſſis porgere dextram ;
Dejicere elatam, dejectam attollere mentem.
Sic præeunte Deo cecinit, cum templa teneret
Flammeus Orator. nec ſcenæ publica virtus
Servierat ; linguam nec diſſona vita refellit :
Obvia quæ paſſim cordis fœdiſſima & oris
Diſſidia, & dictis ſtupeas pugnantia facta.
Stabat Verjuſi, non ulli obnoxia larvæ,
Ac longè inſanos exoſa modeſtia faſtus
Naturam imbuerat penitùs, vitamque regebat,
Innumeras ornans, dotum gratiſſima, dotes.
Inter Apollineos, lectiſſima pectora, cœtus
Diſpenſare ſagax lucem, furtimque docebat
Diſcenti propior , paulatim arcana benignus
Quærendo elicere, atque aciem ſuſpendere mentis.
Nequicquam ardentes latebrâ certaſtis, Amici,
Excutere indignum tenebris , & promere in auras.
Perpetuâ circùm nebulâ ſeque ipſe, ſuoſque
Sepſerat ætherio fraudatos lumine partus,
Ah! durus nimium Genitor : populoſque Patreſque
Fruſtratus ; ſua regna, Lyceum, Helicona, beato
Divitis ingenii cenſu fraudabat avarus.
At quaſcunque tenax & iniqua modeſtia vitæ

Librorum celarat opes, mors æqua retexit.
Posthuma jamque usu cœpit splendescere gaza.
Nec magis hæ Divûm, si fas est dicere, laudes,
Quàm tua, Verjusi, præconia, cujus apertos
Vivida prosiliens Pietas Doctrinaque fontes
Consecrat, & valido quæ lactea copia jactu
Emicat in Cœlum ; nimboque relapsa sereno,
Jam melior, jam nectareos imbuta sapores
Cœlicolûm, terræ sitientia proluit ora.
Haud secùs & vestra, eximii, præconia, Fratres,
Publicaque officia, & Germano reddita famæ
Præmia, quem superas redivivum effertis in auras.
Pergite, cognatos queis fas censere labores,
Pergite, dum Famæ hic rapitur plaudentibus alis,
Doctam operum seriem & longam producite pompam.
Jamdudum incensæ studiis, votisque vocanti,
Nobile portentum patriæ debetis & orbi ;
Ingens exemplum, jubar adspectabile seclis.
Prodeat, & nullâ scriptorum parte sepultus
Pervolet ora virûm ; jam totum reddite fratrem.
Primitiis arrecti animi. Præcepta sequantur
Orandique Artes præmissa Encomia Divûm,
Auribus exceptam pronis, justoque favore
Gallorum celebrem & notam super æthera Suadam.
Quin & Romuleis Marci dignissima Rostris
Perlegimus? Patriæque pater, vindexque sacrorum,
Qualia jam Lodoïcus ovans monimenta recepit,
Maximus & Regum, Regum & sanctissimus Heros.

In D. Ludovicum Regem Paneg. Latinus &c.

Ite alii ex aliis libri. quid Epistola cessat,
Seu Francas spirans veneres, Thuscosve lepores,
Seu Latium antiquum referens, Romæque voluptas?
Orbe quid angusto pulchrè collectus Aquinas?
Quid, quæ Concilium in magnum, sanctique Senatûs,
Christiadûm cuncto delecti ex Orbe Senatûs,
Consultis meditata super, claræque Tridenti

Hiſtoriæ ductus? heu grandibus invida cœptis
Sævities morborum, & inexorabile fatum!
Sed propria inceſſit vates acuitque cupido,
Quæ patriis cantata modis, cantata Latinis
Verjuſi, manibuſque arrepta oculiſque fruendi.
Ille autem ſævo moriens addixerat igni
Carminaque & docti pariter genus omne laboris;
Scilicet extremam queis importuna vetabat
Sors adhibere manum, tenueſque abſtergere nævos.
Sic quem olim Vatem divinâ carminis arte,
Mox eundem rigidâ cenſuræ lege ſecutus.
Publica ſed veriti peccare in commoda Fratres,
Ac cineri prolem indignam miſcere paterno,
Legem audent & juſſa viri reſcindere iniqua.
Funereo prærepta rogo ſpolia ampla tuentur;
Vindicibus curis orbique ævoque laborant.
Hæc Patriæ, hæc illis ſolatia mortis acerbæ,
Æterni decora ingenii. Quàm rara ſupremo
Munere tergemini conſpirat gratia Fratris,
Dulces partiri curas, operumque labores!
Ille, vicem accelerans extincti implere clientis,
Purpureo ſacrata offert monimenta Patrono;
Fraternis ex quo vivum jubar allinit umbris.
Præclaræ effigiem mentis, ſtudiique magiſtram
Inſoliti ſpeciem, latebroſæque intima vitæ
Facundo præfixa operi mirantibus offert
Fratrum alius; majora fide, veroque minora
Concinere, & meritis gaudens ſuccumbere tantis:
Plurima commendat quem, fallere neſcia, teſtem
Relligio; Naturæ opulenta Artiſque ſupellex
Inſignit ſcriptorem, ac gemmeus eloquii fons.
Autori laus ipſe tamen certiſſima, laudes
Inſcriptus Superûm, & ſummo Liber æquus Olympo,
Aſtrorumque flagrans radiis auroque coruſcus.
Nec minus & reliqui, dudum quos Fama repoſcit,

Vivaces fetus & pulchro ſanguine digni,
Jam ſacram exornent, opera immortalia, cedrum.
Hic te adeo, Lodoïce, vocat labor : hæc tibi cura
Præcipuè incumbens, fidos inſtigat amores
Orba fovere ſinu fraterno, ereptaque cladi
Pignora magnifico dotata educere ſumptu.
Terrenis ceſſere opibus, Cœloque morantur,
Quà licet, ac mundo ſeſe abjunxêre profano,
Qui Fratres ſuperant gemini. te clara vetuſtas
Verjuſi columen generis reſpectat, & ampli
Nominis heredes ventura in ſecula mittet,
Vindice te, Proavûmque altos cumulabit honores.
Liligeram ſedem, Themidis ſublime tribunal,
Inſedere alii ; tantis & Curia princeps
Præſidibus latè Pariſinâ ex arce clientes
Per populos ſua jura dedit, longeque tremendo
Armavit gladio regalem in crimina libram.
Virgineis alii templis (quæ maxima genti
Celtarum, & lectis delubra auguſta Miniſtris
Sequana obit) Regum Dominæ Matrique Tonantis
Addicti, ſanctæque illuſtres munere ſortis,
Doctrina & pietate graves. Myſtaſne renarrem,
Crebra Matiſconis ſacro quæ lumina cœtu
Effulſere ? genus cenſu cùm ritè ſuperbo
Myſtarum, antiquos & nobilitatis honores,
Lugduni in morem ſolita explorare Matiſco.
An, quos militiæ (Templi dum nomine clarus,
Barbariæque armis invictus floruit Ordo)
Adſcriptos Equites, tituliſque inſignibus auctos,
Fortibus egregios factis, longinqua tulêre
Secla, tuo jamtum celebratos nomine dicam ?
Et ſtirpis laus ampla tuæ, qui ſtrenuus olim
Auroram petiit ſacris Verjuſius armis,
Dum ſceptro Indigetis Lodoïci Francia cœlum
Tangeret. Imperii curas arcanaque fido

Henricus Verjuſius à Balduino Imp. Conſtant. miſſus ad S. Ludovicum Reg[illegible]tus.

Geſtans ille ſinu, Byzantinique Miniſter
Auguſti, Francas rediit Legatus ad oras.
Virtutemque Artemque probans, Henricus Eoa
Occiduaque idem pariter ſpectatus in aula eſt.
Quo propiora ſequar verſu, cultuſque Parentis
Eximios? multâ ingenii quos arte lepores
Imbuit? aſſiduo felices munere curas
Dulcibus impenſas Natis, ſeu fingere linguam,
Seu mentem à teneris; Naturæ ingentia cœpta,
Virtutumque ſatu lætos abſolvere mores?
Te decorant generoſæ Artes, primiſque ſub annis
Lyncea vel ſummis habilis Prudentia rebus.
Finitimos tereti ſuſpendas plurimus ore,
Nec peregrina ſonans, populos; & civis haberi
Communis linguâ evincas. Aulaſque ſuperbis
Ritibus inter ſe adverſas dextro inclytus uſu
Concilians, uno libatas undique dotes
Pectore, nec ſolito contractas fœdere jungis.
Principibus quæ jura, tenes, quiſve ambitus, & quas
Spes animis foveant; quo ſe omnia cardine vertant.
Verùm intacta Fides, magniſque exercita fatis
Virtus, & claras cumulans inſignior Artes,
Europam meritis, famâ complectitur Orbem.
Nunc & fraternæ ſpargis cum ſemina laudis
Sollicitus, longoque ſequaces agmine libros;
In ſtudia & curas Germano impenſa redundat
Hæc, Lodoïce, tuas, & mutua gloria ſurgit.
Verjuſi Manes, ſi quid mortalia tangunt
Vos decora, æterni felices luminis aurâ;
Officiis gaudete piis, Fratrumque ſupremis
Muneribus dignas læti perſolvite grates.
Ac dum ingens certat vatum Chorus ultima dona
Congerere, & lauros tumulo depangere ſacras;
Ne properante manu ſparſos contemnite flores,
Candida quos Pietas & fratribus æmula jactat.

CAPUT JOANNIS
IN DISCO.

Hoc crudelitati ferculum debebatur...

Intuere, Rex acerbissime, tuo spectacula digna convivio &c. Ambrosius lib. 3. de Virginibus.

HEu geniale nefas! heu diri mensa Cyclopis!
Sanguine quis latices, cædem miscere choreis
Instituit, Vatisque impendere fata Tyranno?
Funere Natalis colitur: Veneremque secutæ
Exultant Furiæ, facibusque incendia junctis
Conglomerant. Timor, Ira, Dolus miscentur in unum.
Nata procax, incesta Parens, concordibus ambæ
Grassantur studiis; optatum in munere crimen
Dimidio anteferunt regno: suffragia cædis
Fert saltatricis fautor conviva puellæ.
Concilium infelix, & cui se nulla probarit
Insontem Virtus! Bacchanti grata catervæ,
Aurea quæ tumido gestit lascivia cultu.
Crispa comam, fucata genas, simul ore renidens,
Limis & vibrans oculis, fractoque per artem
Ludere docta gradu; molles muliebribus armis
Insidiisque viros & lubrica vertere corda
Gaudet ovans, victrixque obscœnâ regnat in Aula.
Corruptis inhiant animis; blandoque puellam
Murmure, discumbens stratis fulgentibus agmen
Prosequitur: ludoque Herodes præmia dicit,
Quæcunque audaci conceperit improba voto.
O temere promissa fides, jurataque dona!
Mendax relligio, & sceleris velamen inane!
Flagitii pretium est facinus. Flos ille pudoris,
Flos Baptista virûm, cœlestique editus ortu,
Famosæ cadit arbitrio: manibusque protervis

Augustum

Augustum data præda caput, lacrymabile ferclum.
Nempe tuæ caput hoc cœnæ, Teterrime Regum,
Debetur, fumansque cruento à carcere missus:
Et lictore agitas convivia digna ministro.
Jam tragicæ illatum mensæ, quò, Barbare, festis
Insatiata epulis crudelia lumina pascas.
Conscius instructi sceleris, fraudisque nefandæ,
Quin scenam ficti removes larvamque doloris,
Ac tacito malè pressa sinu nova gaudia prodis?
En age, quid cessas? immitem porrige dextram:
Sævities ne quâ fraudetur parte, cruoris
Purpureâ nectar digitos intermicet undâ:
Et cùm nulla sitim spumantis pocula Bacchi
Hactenus explerint, totis agè faucibus hauri
Baptistæ abscisso calidum de vertice flumen.
Invisos, en, cerne oculos, infamis Adulter,
Dedecoris certos media inter funera testes.
Nec verò extinctas acies vis ferrea lethi;
Sed magis aversos orbes tua, fœde, voluptas
Clausit: & objecti conspectu saucia luxûs
Involvêre gravi sese pia lumina nimbo.
Quamvis insano circumfremat ebria plausu
Turba virûm, gratata nefas; discumque cachinno
Feralem excipiat, salibusque aspergere certet:
Ultrix ipsa sui Mens conscia sævit, amaros
Infigens penitùs stimulos; laceratque flagello
Impia Tartareo cœcus præcordia tortor.
Ut tremis! ut pavitas! ut te fugis ipse, tuumque
Nequicquam, Herodes, facinus! cæsa ora, sacrique
Horrificant vultus. Divinæ oracula Vocis
Ecce tacent; & adhuc cœlestis fulmina linguæ
Permetuis! pœnas occiso judice, demens,
Sperasti elusas, stratoque Heroë triumphos?
Instat adhuc, graviusque tuos obturbat amores
Censor, & infandum vocali sanguine crimen

Exagitat Vates : oriſque ſilentia clamant.

MOSIS ELOGIUM

Ex Cap. xi. Epist. ad Hebræos à verſu 23. ad 29.

Fide, Moyſes natus, occultatus eſt à Parentibus ſuis, eò quod vidiſſent elegantem infantem, & non timuerunt Regis edictum.

FORMOSUM Amramus puerum, Jocabedaque conjux
Ut vidêre, Fideſque animos formidine preſſos
Erexit ; Pharii ſpreverunt juſſa Tyranni
Barbara, ſollicitique infantem aluêre parentes,
Ægypti in cladem natum, populique ſalutem,
Quem Deus eximio jamnunc ſignaret honore.
Flumine ſublatus Moſes, atque inſitus Aulæ,
Fortunam in magnam Regiſque ad ſceptra vocatus ;
Mox tamen, [24] ut plenis adolevit conſcius annis,
Corda Fide egregiâ firmans, probriſque gravatos
Iſacidas repetens, natam Pharaone parentem
Ultro abjuravit, ſpes contempſiſſe ſuperbas
Magnanimus. [25] conſorſque Piorum indigna ferentum
Maluit extrudi ſolio, quàm gente profanâ
Gaudia miſcere, & falſi ſe nominis umbrâ
Splendidus oſtentans, Phariâ dominarier Aulâ.
[26] Scilicet oblato gazæ Memphitidis auro
Opprobrium antetulit Chriſti, ſordeſque ſacratas ;
Præſago quem jamtum animo cernebat egentem,
Nudatum, indecorem ; noſtri quando exuit illum
Mirus amor, patrioque opulentum abjecit Olympo ;
Pauperie ut placitâ, probriſque immanibus emptos
Theſauros Superûm, & Cœli cumularet honores
Terrigenis, proprioque heredes ſanguine regni
Scriberet ipſe ſui, atque æternâ ſorte bearet.
Tanta, Fide arrectus, ſpectabat præmia Vates.
Inde pedo ſceptrum, deſponſaque regna [27] Canopi
Exilio mutare libens, Madianis in arva

24 Fide Moyſes, grandis factus, negavit ſe eſſe filiũ filiæ Pharaonis.

25 Magis eligens affligi cũ populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem.

26 Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperiũ Chriſti. aſpiciebat enim in remunerationem.

27 Fide reliquit Ægyptũ, non veritus

Conceſſit, rediitque animis cœleſtibus auctus.
Horribilem ſævi expavit nec Principis iram,
Abramidûm Vindex ; aſſertam compede gentem
Ductor agens, jam totâ Ægypti mole premendus :
Vel cùm terrificas rapiens per aperta quadrigas
Fulmineus Pharao, totque agmina quadrupedantum
Cominus urgerent Erythræi ad littora Ponti.
Certus inaſpecti reſponſo Numinis ibat,
Ceu Domini coràm fulgentia cerneret ora ;
Promiſſum, nec ſpe dubiâ, diſcrimine ſummo
Auxilium expectans ; [28] & jam graviore periclo
Defunctus, dirâ quando ſub nocte ſatelles
Numinis, ultrices Ægypto exprompſerat iras.
Quippe Fides ſacris communem avertere cladem
Inſtituit, mediis cæſo in penetralibus agno :
Cujus ut affuſo ſignatos ſanguine poſtes
Primigenûm latè Vaſtator viderat Ales,
Limina tranſiliit ſancto defenſa cruore,
Hebræum innocuæ vetitus ſe immittere genti.
Alma Fides [29] pelagi mortalibus invia plantis
Recluſit ſpatia, & ſiccô dedit ire profundô,
Arentis quo more ſoli calcantur arenæ.
Ut ſolido adſtantes hinc atque hinc marmore muros,
Undoſos inter cumulos fugientia duxit
Agmina mille virûm, Moſemque Deumque ſecuta;
Et turbam imbellem, materna ad pectora preſſos
Aut lateri hærentes pueros, teneraſque puellas.
Aſt eaſdem tentare vias, & non ſibi apertos
Cum Phariis auſum Pharaona irrumpere fines,
Unà omnes Erythræ abſorpſit ſpumantibus undis
Immenſum, & populo & Regi commune, ſepulchrum.
Fatalis Virgæ imperium Sinus audiit : & quâ
Vi ſteterant tumefacta, repentè in ſe alta reſidunt
Æquora, purpureoque minantes aggere fluctus
In medium evolvunt collapſis molibus alveum.

animoſitatem Regis. Inviſibilé enim tanquam videns ſuſtinuit.

28 Fide celebravit Paſcha & ſanguinis effuſionem; ne qui vaſtabat primitiva, tangeret eos.

29 Fide tranſierunt mare rubrum tanquã per aridam terram. quod experti Ægyptii, devorati ſunt.

LEONARDI FRIZON

E SOCIETATE JESU

POEMATUM

PARS SECUNDA,

THEANDRICON LIBROS TRES

COMPLEXA

TOTIDEMQUE PATHENICON.

ERUDITO LECTORI.

QVod in primo totius operis aditu ſtatui, ſplendidè cum Poëſi Chriſtianis argumentis convenire; id ſanè tibi, Lector Erudite, perſuaſum confido; tum verò ſententiam hanc noſtram in Theandricis maximè Parthenicisque valere; quibus nihil aut eſſe aut fingi poſſit, vel ad majeſtatem auguſtius, vel ad elegantiam ſuavius, vel ad varietatem copioſius, vel ad motum omnem accommodatius. Quare pauca tantùm hîc admonebo: ac primùm Οἰκονομίαν *paſſim à Græcis Patribus vocari divinam humanæ aſſumptionem naturæ. Sic autem inſcripto carmine præcipua quæque capita ſum complexus, in Theologiæ ſcholis tractari ſolita* de Incarnatione; *ſed ita ſubactis mollitiſque difficultatibus, vix ut ſentiantur. Quanquam hominibus Theologiæ non initiatis apertiora, quæ ſequuntur, expeditiuſque decurrenda videantur Poëmata. Ceterùm omnia ſingillatim perſequi ad Chriſtum ſpectantia, nec rerum amplitudo, neque anguſtia temporis ingeniique patitur. Primo quidem carmine Theandrica res univerſa conglobatim proſpicietur: ac deinceps, ad Chriſti necem, quæ præcipuo ſunt Eccleſiæ cultu conſignata. Cruciatus Poſthumaque myſteria libro ſecundo, Effata* VII. *ſuprema tertio referentur. Jam quædam ex profeſſo, & quaſi ore pleno canuntur; breviùs, atque ex occaſione, aliis alia intexuntur, nec modò Theandricis Theandrica, ſed etiam Parthenicis, ob ſummam Filii Matriſque conjunctionem. Suus quoque & Theandricis & Parthenicis hexametris quartus eſt liber ſubjunctus in tertia parte lyricus. De Parthenicis nonnulla ſpeciatim ſuo loco exponentur.*



THEANDRICON
LIBER I.

SACRA OECONOMIA
SIVE
HUMANÆ A DEO NATURÆ SUSCEPTIO.


IVINI ſeries arcani, & myſticus ordo
Jam tandem evolvit ſeſe, viſuſque tremendis
Mortales adytis caſtoſque humileſque receptat.
Imperioſa Fides, captivæque ardua Mentis — 1. *Corinth.* c. 10.
Obſequio inſultans, ſubluſtri nubis amictu
Septa viam juxta ſtetit ; admovitque flagrantem
Lampada, & umbroſos docuit penetrare receſſus.
Quâ duce ſublimes infert Sapientia greſſus,
Tota Deo ſuſpenſa, & inenarrabile pleno — Theologia.
Ore agitans Numen. clarum hinc nomenque decuſque

Alma gerit. Pindum ſupra, ſupraque Lyceum
Emicat in Cœlum, Naturâ major & Arte.
Nec tacitis contenta modis, propriaſque tuendo
Paſcere delicias; mox & cœleſtia terris
Viſa refert: fructuſque altæ monimentaque curæ
Dividit in geminum chartis reſonantibus axem.
At non hîc, ſolito argutæ de more catervæ,
Grandia ſenſa rudi per humum ſermone trahentis,
Cum ſtrepitu & rigido pugnam ciet aſpera ferro.
Hîc placida, excuſſo rixoſi pulvere campi,
Incedit, ſolidoque adamante nitentibus armis.
Splendida Jeſſeï affectat veſtigia Regis,
Enthea plectra ſequens; teque, ô clariſſime Proſper,
Proſper Aquitanæ ſoboles & gloria gentis,
Totque, ævo meliore, Patrum capita alta recenſet,
Magnifico pulchrum ſtudio meditata laborem.
Talibus exemplis accenſum afflare clientem
Geſtit; & ipſa viam, cultus induta ſacratos,
Læta præit. viridem cedro è Libanitide ramum,
Nexaque coccineæ foliis redimicula vittæ,
Temporibus dat circùm; & inexplicito labyrintho
Cœruleam ætheriæ pallam inſcripſere figuræ.
Dextræ inſertus honos, miris liber undique circùm
Effulget ſignis; niveique apparet imago,
Sed roſeus cum lacte cruor quam diluit, Agni.
Sic tenues inter nimbos, vibrantiaque aſtra
Arriſit diæ ſpecies objecta Magiſtræ,
Utile jucundo miſcentis, forte decoro.
Illa polo delapſa, gravemque ad ſacra Camœnam.
Ducit ovans, ſenteſque docet floreſcere acutos.
Agglomerant ſeſe ardentes, operique miniſtrant
Permiſtis Charites Geniis, pictique Lepores:
Et ſuperadveniens Pietas, medioque coruſcus
Agmine fervet Amor, rutiloque opus imbuit auro.
His accincta choris, grandes Sapientia curas

Molitur, linguâque ciet dextrâque laborem ;
Seu calamo, ſeu voce refert ſpectabile Numen.
Jam Natum, ætherii gremio ſolioque Parentis
Summiſſum in terras, commercia noſtra petentem,
Exequitur : jam conſilii cauſaſque modoſque
Digerit ; humanæ conceſſa piacula proli,
Juraque muneraque, & rerum miracula paſſim
Siderei adventum Regis teſtata per Orbem.
Pulſa ſuperſtitio, ſimulacraque vana Deorum
Strata ſolo. Crux Cæſareis impoſta coronis ;
Crux aris elata ; Crucem Capitolia adorant :
Devictuſque, jugo ſubiit poſt aſpera Mundus
Prælia, & invalido potuit Dux agmine Chriſtus
Proterere inſanas vires, animoſque ſuperbos,
Et cultus rigidos ſanctorum imponere morum.
Undique purpurei generoſo ſanguine Teſtes,
Nube velut factâ, condenſo examine fulgent,
Qui populorum alacres Regem Regumque Magiſtrum
Pulchra canant, Fidei auctorem, per vulnera JESUM.
Chriſticolûm arbitriis vertique regique fatetur
Natura, & nutus ſenſit venerata potentes.
Vix Domini audito tremefactæ nomine peſtes
Diffugiunt : trepidis horreſcunt Tartara monſtris :
Corporibuſque atri ceſſere animiſque Tyranni.
Debita quæ Chriſto converſi præmia Mundi,
Pignoraque, antiqui celebrarunt carmine Vates.
Secula tu revocans, ſanctæ Regina palæſtræ,
Excutis Abramidûm faſtos, oracula pandis ;
Præcipuè incenſis pulſanti ſidera votis
Quæ reſponſa Viro prænuntius edidit Ales,
Fatorum Interpres Gabriel ; ſignataque CHRISTI
Tempora, ſeptenos implexis orbibus orbes.
Judæo ſceptrum generi tum denique raptum
Cùm patrio venit demiſſus ab æthere Vindex,
Gentibus expectata Salus, longumque gementis

Chriſti adventum & divinitatem in Judæos & Gentes probat mũdi converſio &c.

Daniel. 9. Hebdomades LXX.

Gen. 49.

Compede ſub Stygia miſeræ ſpes publica Terræ.
Heu cæcæ Iſacidûm mentes ! heu ſaxea corda !
Hoſtili præſentem odio vexare Theandrum
Supplicioque auſi, cæleſtia dona ferentem.
Ut diram ulciſci properarint omnia cædem ;
Tot ſceleris culpaſque ſimul, pœnaſque ſequaces,
Excidium Solymes, auguſti incendia Templi,
Exilia, errores, furias, genus omnia in unum
Fulmina torta refers, & non placabile Numen.
Væ dignis, quos ipſa Salus damnetque prematque
Luc. 2. Exitio ! nempe ancipiti diſcrimina Chriſto
Fecere ; inque ſuam vulgo vertêre ruinam,
Quem Natum Genitor relevando addixerat Orbi.

Ortus Chriſti non ſuſpenſus ab Adami peccato.

Quanquam inconcuſſo venturum haud ſeciùs Orbe
Tradis, Adamæo nec tantum à crimine munus
Invectum, aut noſtræ ſupremum gentis honorem
Funeſti accitum opprobrio lapſuque Parentis.
Quippe Deo, æternis meditanti ſæcula curis,
Chriſti primus amor, rebuſque hæc cauſa creandis
Maxima. certe operis meruit præſtantia, & omnes
Unius in laudem ſuaſit procudere formas.
Coloſſ. 1. Hunc Superis, hunc Terrigenis Finemque Caputque
Omnipotens ſtatuit : pulchrorum exempla petita
Ioan. 1. Hinc operum ; ex illo ducta omnis Gratia fonte,
Gloriaque, huc pleno refluens exercita curſu.
Fœdifragi ne quid ſe inſania jactet Adami
Rerum incremento, & ſacros ſibi vendicet ortus :
Cui non ſe, ille gerens hominem Deus, at ſua debet
Uulnera & indignas mortali in corpore pœnas.
Primigenam ante omnes voluit Pater edere fœtus.

Deiparæ Virginis immunitas ab originalis etiam peccati debito.

Hinc adeò & Magnæ decus inviolabile Matri
Aſſeris, & cunctæ removes contagia noxæ.
Fatali excluſam pacto, Monſtrique priorem
Letiferi aſpectu, conjunctam Prole Parentem,
Rite doces. Charitum effuſo ſic munere plena,

Primitias Nati ex meritis tulit aurea Virgo,
Præcerpſitque ſuos fructus. ita Numinis alti
Digna Parens, nullamque trahens ab origine labem,
Non tenuem nævum, aut inviſi criminis umbram;
Undique perfecta, & maculæ Sponſa inſcia prorſus
Enituit, niveæ in ſpeciem formoſa Columbæ.
Hæc quondam cecinere Patres: mox ille Tridenti,
Chriſtiadûm inſignis collecto flore, Senatus
Annuit: exortemque ſonant Oracla Puellam,
Confuſo exceptam primævæ Mortis acervo.
Nec veró, antiquis ſuperaddita jura, novaſque
Pro MARIA leges, Tarpeiaque fulgura Summi
Parcis Alexandri, & tonitrus agitare minaces.
Illuſtrem, & Mundi nactam ſuffragia cauſam,
Sidera nec dubiis firmant quam conſcia ſignis;
Auctaque multiplici Dominæ ſollennia cultu,
Communes Matri ac Soboli defendis honores.

Cantic. 2. 4. 6.

Cõſtitutio Pontificia Alexandri VII. pro immaculato B. Virginis conceptu.

Biſgenitum auguſtâ Unigenam quis origine narret?
Seu quâ, Luciferi ante ortus, exordia mundi,
Supremum Genitor ſanctæ inter lumina mentis
Eloquitur Verbum; ſeu quâ Sponſam almus obumbrat
Spiritus; afflatuque pii fecundus amoris,
Virgineo tenerum fingit de ſanguine corpus.
Nec fetum ille rudem, vulgi de more, Parentis
Concreſcentem utero paulatim excudit & aptat,
Formam operi bruto inducens. ſimul omnia ſummi
Expolit Artificis manus, ornatamque beato
Sedem animo, penituſque illapſo Numine complet.
Hoſpitio neque ſucceſſit Deus advena, ut aulæ
Infert ſe Princeps. major proprio incola tecto,
Parſque opifex operi ipſe ſuo ſe innectere gaudet.
Unus ſtat naturâ & ſimplex duplice Chriſtus.
Quippe Deo effultus, jam non ſuus, inque Tonantis
Sortem adſcriptus Homo, & jura in meliora redactus.
Quæ ſpatio immenſo disjunctas fibula formas

Verbi æterna generatio.

Chriſti productio; Naturæque illius humanæ, ſingularis atque ex omni parte mirifica efformatio.

Divina Hypoſtaſis.

Cùm in forma Dei esset.... formam servi accipiens. Philip. 2.

Conſeruit ? Verbo corpuſque animamque revinxit ?
Terrificos nexus, & inenodabile vinclum
Solerti venerans tentat Sapientia dextrâ,
Et docto adnitens, quà fas, animoſa periclo.
Inde alia ex aliis ſacrorum arcana moventur :
Naturam ut fragilem nova per connubia Verbum
Adſcivit ; largâ veniens cum dote, viciſſim
Quid ſegetem in meriti, ac varios Soteris in uſus
Suſcepit ? quid, multa Deo cùm indigna ſubiret,
Reſpuit illæſi probris ratio alma decori :
Quàve tenus valuit decreſcere, nil vice rerum,
Nil mutata habitu Majeſtas, ſemper eâdem
Sede manens, damni impatiens, haud indiga lucri.
Funditus Erroris nebulæ, veſtigia Culpæ
Abſunt, & pigro deformes agmine Morbi,
Defectus membrorum, oriſque inamabilis horror.
Nulla intus fœdo conjurat turba tumultu :
Nòn illi, ſubitam rapiens in Fomite flammam,
Mollibus illecebris aut extimulata Cupido,
Injuſſa aut brutis erumpens motibus Ira.
Ipſe potens dominuſque ſui, laxatve premitve
Chriſtus agens animi faciles cæleſtis habenas,
Invitâ nil mente ferens. Diſcordiæ imago
Si quando alternis ſurrexit turbida curis,
At pugnâ in mediâ Pax & Concordia regnat,
Infera dum ſuperæ cedit paretque voluntas.
Externâ quid non idem vi paſſus acerbi ?
Hanc quoque vim tulit ipſe volens, aviduſque dolorũ.
Inſolito adverſas componit fœdere partes ;
Delicias animæ felicis, & ubere Cœli
Ambroſio ſaturæ ; mœrorem & cordis amarum,
Letiferum, horrendum, ac laceros tormenta per artus.
Ah ! ſenſum fugiens, tacito ſubducta receptu
Arcem in tranquillam Mentis, divina Voluptas
Hæret ſummo apice ; & liquido priùs agmine torrens

Decorum in illa quoque abjectione, aſſumendiſque naturæ mortalis defectibus ſervatum:

Tranquillitas Chriſti cum agitatione voluntaria:

Iſai. 53.

Beatitas animæ cum triſtitia & dolore.

Copia lætitiæ ruere in præcordia cessat;
Nota vel exilis stillæ solatia parcit.
Ceu, quem prævalido frænarunt objice moles,
In se amnis redit, & varios tumet actus in orbes.
Aut (propiora loquens, miro ut miracula facto *Josue 3.*
Æquiparem) arcanâ veluti compressus aquas vi
Jordanis stetit, inque caput revolutus, & altos
Plurimus undarum in cumulos montesque coactus,
Sustinuit sese; atque educto gurgite in auras,
Ipse agger sibi marmoreus, nudoque pependit
Inferiore alveo, siccamque fefellit arenam.

Nunc agè; quo tandem implicitæ concrescere nodo Libertas cum impotẽtia peccandi.
Discant, & pactis socialibus oscula jungant
Splendida Libertas, & nulli obnoxia culpæ
Conditio, jamque aspectu dignata beato
Numinis, æternumque immobilis? undique tutæ
Advigilat custos animæ, connexa Dei Mens.
Nec minus intereà, patuit quà limes Honesti,
Partem in diversam licuit se flectere Christo.
Curriculo in primo, atque inapertâ Virginis alvo,
Filius æterno æquævus comparque Parenti, *Hebr. 10 & 12.*
Ingrediens, biviæ adstiterat capita æmula vitæ,
Arbitrio subjecta. Oblatos sprevit honores,
Gaudia, opes: ignominiam, sordesque, Crucemque
Arripuit; medioque receptam in pectore legem
Figere amans, mandata libens graviora peregit,
Nec veniam exposcens facilem, nec jussa moratus.
Exorare Patrem, Cœlique educere castris *Matth. 26.*
Fulmineas acies potuit; sua vertere fata,
Et quæ circumstant vario discrimina casu;
Indictæ proferre diem, aut accersere mortis;
Delectuque operis placito, finisque decori,
Promerita aggerere, & fas immortale pacisci.
Sic, quanquam patriâ moriendi lege tenetur,
Ultro animam ponit CHRISTUS, seque immolat ultro. *Ioan. 10.*

I, latebras ſcrutata, Deique immane profundum ;
Perge, aliam reſeca litem, Sapientia : & aptum
Libera poſtquam intra gyrum dimenſa Facultas,
Dein geminæ inter ſe certantia jura Sororis
Miſericordia cum juſtitia. Pſal. 84. Concilia. Cœlo hinc niveis Clementia bigis,
Purpureo hinc Aſtræa venit ſuper obvia curru,
Virtutum & Charitum circumvolitante catervâ.
Quæ, miſerante Deo, quàm juſta piamina Chriſtus
Theandrica merita. Solvat, & impenſo pretium ſcis dicere dono ;
Immenſum pretium, haud ullo reparabilis auro,
Terrarum quo aſſerta Salus, Genteſque redemptæ.
Scilicet hanc divina viro conſortia præſtant
Vim meriti. Naturæ humili conſpirat amicè,
Totum operi infundens numen, præſentia VERBI.
Qualis ubi inſitio ſilveſtrem callida truncum,
Impoſitis oculis docilem manſueſcere, vertit
In melius, juſſitque novos ſoboleſcere fœtus ;
Miratur ſocios peregrinæ frondis honores,
Lætaque felici creſcens arbuſcula ramo,
Et jam conjugio blandos imbuta ſapores
Eminet in cœlum, nemoris decus atque voluptas.
O Terræ, ô Cœli commercia ! protinus ambæ
Communicatio idiomatũ. Uno impermiſtæ coaleſcunt corpore partes.
Sol vili adſtringens ſua condit lumina limo :
At teſtæ, incluſus, radiis jubar allinit aureis.
Ergo humana Deus patitur ; naſcique morique,
Hebr. 2. Ætherei cives infra dejectus Olympi,
Suſtinet : auguſto redimitus honore viciſſim,
Ac Superis prælatus Homo divina capeſſit :
Subjectumque ciens orbem, non ille locorum
Limitibus, rapidique arcetur finibus ævi.
Sap. 8. Cuncta ſimul ; pictâ quæ quondam in veſte ferebat
Textilibus ſimulata modis, majoris & ipſe
Pontificis ſimulacrum, & Chriſto prævius Aron ;
Epheſ. 1. Cuncta in ſe, nec fictum & inani pondere Mundum,

Colligit instaurata Deique Hominumque Sequester.
Et Reus & Judex, idem, Patronus & Actor; Varia Christi munia.
Rex, Famuli squallens habitu; pariterque Sacerdos
Victimaque, æternam letho peperisse Salutem
Terrigenis gaudens, ablutâ sanguine noxâ.
O Amor! ô Virtus, atque inconfusa Potestas!
Cetera quid relegam decorum fastigia longo
Carmine pervolitans, fecundaque semina laudum?
Magnificas latè dotes, atque inclyta Christi
Nomina, Legiferique novi, Vatisque Magistrique,
Acribus & curis, & duro gesta labore?
Tam varias rerum facies, opera ardua, necdum
Aligeris sat nota Choris gentique beatæ?
Dum loquor; en, volucrum sonitus haurire rotarum
Hîc videor, stellantum oculis, & fulgure opaca
Nubila rumpentum; quales Euphratis ad undam *Ezech. 1.*
Obtulit attonito spectandas Gloria Vati,
Implicitasque sibi pennisque ardentibus aptas,
Intus agente Deo, & sanctas animante Quadrigas, *S. August. lib. 1. de consens. Evang.*
Queis Victor domito subvectus in Orbe triumphat.

BETHLEMIUM

STABULUM.

DUM chorus Aligerûm bipatente effusus Olympo,
Pastorumque manus, Regesque Oriente vocati
Bethleo accelerant Stabulo, cunasque jacentes
Certatim votisque colunt, donisque frequentant;
Vos quoque mirandi læta ad spectacula partûs
Ire decet, Vates; Parnassi horrentia saxa
Exosos, natale Dei succedere in antrum.
Huic Phœbea Claros, Pataræaque regna silescunt;
Fallaces tripodum pressère oracula Delphi.
Hunc Solyma, arcanis cæli gens conscia fatis,

Prodidit, ac totæ Superûm ſonuere cohortes.
Et vos afflatâ propiùs jam Numinis aurâ
Heic canite ; & viridi feſta inter carmina lauro
Spargite adoratam, Bethlea mapalia, rupem.
Omnia Bethleæ cedent miracula laudi.
Regifico ſeſe luxu picta efferat Aula,
Parietibus cenſus populorum induta ſuperbis ;
Arduaque extremo devectas orbe columnas
Tecta premant, Libanique arbos & Hymettia tigna :
Textilibuſque auri radiis, crebroque pyropo
Stellati faciem referant laquearia mundi.
Explicet illecebras, mollique nitentia fuco
Gaudia mille trahens, toto licet ore Voluptas
Rideat, inverſumque effundat Copia cornu ;
Atria Majeſtas teneat, niveaſque curules
Purpureis inſignis Honos circumvolet alis.
Contrà informis Hiems, nimboſos aſpera vultus,
Et glacie hærentes nivibus conſperſa capillos,
Ac rigidus Boreas immanſuetuſque December,
Quæque ſuper ſtipulam laceris jacet obſita pannis
Squallida Paupertas, & acutis ora querelis
Exercens Dolor atque oculos triſti imbre reſolvens,
Præſepe obſideant : flatus tamen Aula remittat ;
Elatumque ſupercilium criſtaſque coruſcas
Perſica Bethleæ ſummittat Regia ſedi.
Contextas ebeno cunas Indoque elephanto
Porphyrogennetis. Cæſaribus ſtruxit Fortuna, Erythræque lapillis
Diſtinctas variique ardentes luce metalli ;
Improba quas Nutrix undantes murice verſat
Ambitio, ſceptriſque operoſa crepundia fingit.
Splendida ſed vincit longè incunabula nudum
Præſepe : & vilis baccata monilia vincit
Faſcia, lacteolum quæ circùm amplexa Puellum.
Suavius enituit ſtramen violâque roſâque.
Sordibus æternos jam relligionis honores
Allinit,

Allinit, auguſtoque ſacrat Deus omnia tactu.
Felix ô ſtabulum, felix, quod prætulit altis
Ædibus Herodis, Romaniſque arcibus Infans!
Felices, Tyrio, panni, quos prætulit oſtro!
Atria Bethleis cedent Salomonia caulis.
O ſtabulum, jam non ſtabulum, ſed Regis Olympi
Hoſpitium, templumque Dei, ſpecus æmula cælo!
Virginei Rex ille gregis, nive purior Agnus, *Apoc. 14.*
Heic tener, ah! duro nimiùm ſtabulatur in antro:
Confectas macie & vaſtis erroribus actas
Agnus oves tuto revocans Paſtorque receſſu
Subjicit ambroſiam ſaturis præſepibus eſcam.
Atque idem rabidoſque lupos avidoſque dracones
Vicit, & ima fugâ trepidos ſub Tartata adegit.
Non ita Jeſſides, urſum puer atque leonem
Hædorum in morem fortis laniare, Giganti
Prælusit, ſceptroque pedum mutare paravit.
Bethleo ceſſit Davidica Turris Ovili.
Creta Jovem latebris, materni conſcia furti,
Foverit æriſonos inter Corybantas alumnum
Oleniæ venerans capræ, Idæoque Tonantem
Ad ſuperas antro mendax eduxerit arces.
Criminis inde ſatus, fecundaque ſecula probri:
Seu claram, gemino reptatam Numine, Delon;
Seu Baccho inſignes, inſignes Hercule Thebas
Fabula decantat, vanos & conſecrat ortus;
Ac nimiùm Patri ſimiles culpamque per omnem
Sectatos famoſa Jovis veſtigia Divos.
Majorem, extruſâque Deûm farragine denſâ
Haud fictum cæli Dominum, rerumque potentem
Virgineus pudor & patriæ lux candida Mentis
Progenuit, ſecli Autorem melioris, & Orbi
Ardua virtutis dare natum jura Puellum.
Bethleo Latium decedet Pantheon Antro.
Promiſſi jam olim Ducis alto à ſanguine Judæ,
R

Principis æterni ſolium, infantiſque Magiſtri
Sella humilis, Præſepe, Deique ignobilis Ara !
Ad te Cuſtodes ovium, lætiſſima turba;
Ad te munifici veniunt terno agmine Reges,
Suppliciterque ferunt ſtellantibus oſcula cunis;
Aurea dejectis advolvunt ſceptra coronis.
Inclyta Bethleo Capitolia cedite ſaxo.
Undique Luciferi primo ſurgentis ab ortu
Uſque ſub extremum cæli revolubilis axem
Concurrunt populi : nec Gymnoſophiſta moratur
Memnonias gentes, Druidum nec pulpita Gallos.
Socratici lugent deſerta umbracula * Cycni.
* Platonis:
Audit uterque Orbis Bethlei oracula Verbi,
Delapſæque adſtant ſupremo ex æthere Mentes.
Nec me ſiderei tantùm concentus Olympi,
Quantùm humilis rapiat teneris vagitibus Infans.
Attica Bethleæ concede Academia Mandræ.
Non ibi ventoſo bullas Stoa turgida faſtu
Jactat, & arguti pugnax ſonat ira Lycei.
Cœleſtis latet obducto Sapientia velo,
Et tacitâ cor voce petit : vagitibus ardens
Bethlei Infantis Pitho divina perorat.
Nil mutum in ſtabulo : vocaliaque antra beatam
Pauperiem & ſtultos mundi pereuntis amores,
Felices ignominias, ſuavemque dolorem
Pannique ſtipulæque docent, tremebundaque membra.
Romula Bethleæ decedite Roſtra Cavernæ.
Quale ſatellitium magna ad prætoria noctem
Pervigilans, decus ac tutamen Principis, omnes
Circa aditus vallo telorum effulget aheno ;
Aut quales nitidam penetralia ad alta cohortem
Purpurei agglomerant Proceres , ſoliumque coronant :
Dulcibus excubiis tales pulcherrima curas
Heic agitans, rutilis Cuſtodia flagrat in armis.
Caſtra hæc illa Dei. Sed opis non indiga, & ipſo,
Caſtra Dei sũt hæc. Gen. 32.

Quæ Puer omnipotens insedit, Numine tuta,
Spelæa officio celebrans exercitus ales
Cælituum, cantuque sacro festoque volatu
Lustrat, & ambrosios radiis permiscet odores.
Te Romana olim solenni altaria cultu
Suscipient, & longa colent per secula gentes,
Prima apparentis statio, Præsepe, Theandri!
Mox, simul humanos, opera haud mansura, labores
Extremi abstulerint ignes; cælestia templa
Sidereamque petes, Superis vectantibus, * Aram.
Cedite Bethleæ Solymæa Sacraria Cellæ.

* Signum cæleste.

Namque homini partæ monimentum illustre salutis
Transcribet cælo Deus, in medioque locabit,
Astrorum stipante globo: ligna arida latè
Ætherio florens accendet Circulus auro.
Cedet & Europæ vector, mala fabula, Taurus
Bethleo sua regna Bovi, volucerque rudenti
Bethleo Quadrupes. medium hæc Præsepe gemellâ
Sidera servabunt flammâ, radiosque perennes
Splendida cœruleis pascent Animalia campis.
Lumina Bethleo concedite Olympia Signo.

AUGUSTISSIMUM

JESU NOMEN.

In Circumcisione.

SUB cultro tener est Agnus: jam prima cruoris
Libamenta offert; demissum ex æthere Nomen
Hoc redimit pretio, tantisque paciscitur orsis.
Non umbram ingentis tituli gesturus inanem,
Humanæ implebit Nomen fatale Saluti.
Josephus, grassante fame, sibi credita regna
Frugibus expromptis (multò quas antè repostas
Struxit acervatim prudens, Augurque futuri)
Sustinuit; populo Nilum supplevit alumno.
Nunniades Phariis deserta per invia terris

Eductam Iſacidûm gentem, felicia caſtra,
Hoſtibus eripuit, propriâque in ſede locavit,
Quam Deus Abramio generi deſponderat oram,
Mellis, & irrigui præpinguem munere lactis.
Clarus uterque ipsâ magni vel nominis umbrâ;
Tum reliqui, patriam oppreſſam, duroque gementem
Servitio, quicunque armis victricibus olim
Aſſeruere jugo ; & lætam peperere ſalutem.
Verùm incerta Salus, paribuſque objecta periclis
Contigerat. nam ſæpe iiſdem mox caſibus actos
Spes nova deſtituit, paciſque breviſſimus uſus,
Cùm miſeros alii ex aliis traxere Tyranni.
At meus hic plenas Jesus mortalibus affert
Vindicias, non quæ unius ſe limite gentis
Contineant ; nec quæ peritura in corpora tantum
Expromptam, clauſamque anguſti finibus ævi
Sævitiem avertant, recidivaque fata morentur.
Principe ab hoc populos it Gratia fuſa per omnes ;
Corporibuſque animiſque virûm præſentia pellit
Exitia : immitis vincla omnia rumpit Averni ;
Et jam terrigenis amiſſa in jura repoſtis
Cœlicolûm optatâ dat libertate potiri.
O Jesu auguſtum et mundo venerabile Nomen,
Omnia cui priſci concedant nomina faſtûs,
Et quæ Cecropidis & quæ jactata Latinis !
Huic, æquata ſolo disjectis oppida muris ;
Huic, populata armis regio, imperioque ſubactæ
Famoſum gentes atque illætabile nomen,
Vocale ſpolium ac titulum tribuêre ſepulcri.
Non ſic parta malis hominum atque immanibus empta
Cladibus exornant divinum inſignia Regem ;
Gloria ſed proprio venit quæſita dolore.
Nuntius hoc ſuperi Gabriel genitoris ab ore
Exceptum, magnæ retulit ſub Virginis aures ;
Mox etiam, ut Sponſum dubiis exolvere curis

Venit, inaſſueti prodens myſteria fetûs,
Magnifici cauſam ſubjecit nominis Ales.
Servator populi, deleto crimine, JESUS
Dicetur, ſanctumque feret ſuper æthera Nomen.
Sic Gabriel: ſtudiiſque, pii quotcunque ſecuti,
Nominis egregii merita in præconia certant.
Quòd Cephas inopem Solymæi ad limina templi
Haud expectatâ Claudum ſtipe donat, ut ægrum
Surgere, firmatoque jubet procedere greſſu;
Quòd morbi genus omne fugat: vi Nominis actum
Teſtatur ſummi; haud alio miracula fonte
Profluere. Hoc terris Cœloque Ereboque verendum
Aſſiduè cantat Præco trans ſidera raptus.
Nec librum, Aureli, quondam ſapuiſſe fateris,
Cujus nulla ſibi præfixêt pagina JESUM.
Hæc adeò, Hyblæo vox nectare dulcior, & quo
Gemmati Hebræos lactavit adorea roris.
Bernardus, fandi cui mellea copia, teſtis,
Nominis effuſo latè fragrantis olivo
Dum celebrat decora. Hinc duri fomenta doloris,
Hinc pugilum vigor, hinc pinguiſſima pabula luci.
Rite coronatum radiis micat undique Nomen,
(Quale ſacer primùm ſuggeſtu Orator ab alto S. Bernardinus Senenſis.
Spectandum effinxit populis, caſtéque colendum)
Diſcutit & Stygiæ tetram caliginis umbram,
Martyribuſque animos invictaque robora præſtat.
Ignatî (poſtquam Romanâ expoſtus arenâ
Procubuit ſenior, Libycorum præda leonum)
Diſſecto carum, ut memorant, ſub pectore pignus
Aureus exhibuit ſanguis. radicibus illis
Altus amor toties repetiti Nominis hæſit.
Et nobis penitùs ſacrum ac memorabile Nomen
Dius Amor, non ille quidem flavente metallo
Inſculpat, pulchrum & viſu mirabile monſtrum;
Ignatî ſed quo alterius fortiſſima juſſit

Corda, ſalutiferum vivo ſignum exaret igni.
Haud alio certè ſignatam Nomine baccam,
Emerita ingenti poſtquam ſtipendia bello
Proſtratique hoſtes cæloque invecta trophæa,
Crediderim ſanctæ Chriſtum promittere genti,
Candentem & puro florentem lumine baccam.
Scilicet hoc palmare datum eſt ex omnibus unum,
Teſſera ſupremæ, Nomen, pignuſque Salutis.

EPIPHANIA.

De Chriſto Regum Rege Cultuque à Regibus exhibito Prophetici Pſalmi LXXI.

METAPHRASIS.

1. JUSTITIÆ Legumque parens, Deus Optime, Regem
Rege ſatum, cui jam rerum conceſſa poteſtas,
Providus imperii juſtos effingere ad uſus,
Exemplis compone tuis; rectique ſequacem
Numine agens, ſceptris æquas da jungere lances;
2. Legibus & ſacris populum frænare clientem,
Judicioque inopem turbam recreare benigno.
3. Suſcipiant placido delapſam ex æthere Pacem,
Et reducem Aſtræam ſubmiſſo vertice colles.
Bella procul, ſceleriſque procul genus omne faceſſat;
Concordeſque homines Divis lætentur amicis.
4. Nempe humili Princeps gaudet jus dicere vulgo:
Ac, ſi quem oppreſſum ſcelerata calumnia vexat,
Conteret artificem ſceleris, fraudemque refellet.
5. Dum Sol alternos & Luna recurret in orbes,
Stabit poſtgenitis clarus, regnoque vigebit
Æterno: labem nec mobilis afferet ætas.
6. Ille etiam ſolio ſeſe demittere ab alto
Gaudebit, facilis, tacitoque ſimillimus imbri,

PSALMUS LXXI.

Inſcriptus quidem à Davide Salomoni, ſed Chriſti perſonam gerenti, verè Pacifici, Optimi, Maximi Regis ac Regum Principis.

1. *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis.*

(Chriſtus in Evangelio paſſim Filius David, Regis Filius in parabola, Rex antomaſticè dicitur. ac de ipſo Gabriel ad S. Virginem; *dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus* Luc. 1.)

2. *Judicare populum tuum in juſtitia, & pauperes tuos in judicio.*

3. *Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam.*

4. *Judicabit pauperes populi, & ſalvos faciet filios pauperum; & humiliabit calumniatorem.*

5. *Et permanebit cum ſole & ante Lunam* (quamdiu Sol & Luna extiterint) *in generatione & generationem.*

6. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.*

(Communis eſt Patrum, ipſiuſque adeo Eccleſiæ interpretatio de Verbi per Incarnationem divino in Virginis uterum deſcenſu; cujus myſterii figuram geſſerat vellus illud Gedeonis mirificè irroratum. *lib. Jud. c. 6.* Quod hîc diſtinctiùs, quàm in ipſa Metaphraſi, conſultò Prophetica integumenta non prorſus evolvente, libuit exprimere)

Ceu liquidæ nubis gremio defluxit aperto
Velleris in nivei lanam puriſſimus humor,
Cum ſacra Cœlituum juſſis excitus ad arma
Expetiit fidei Gedeo mirabile pignus.
Nec pretium, conchæ illapſus, ros gemmeus æquet.

7. *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna.*

(Perpetuitas extremis verbis significatur. nec verò id particula, *donec*, futurum infert, quod ipsi particulæ subjungitur)

8. *Et dominabitur à mari usque ad mare; & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.*

(In Metaphrasi, cùm figuræ servierim, ut suprà indicavi, Prophetæ succinens duntaxat, neque enucleatiùs mysticum sensum exposuerim: hîc sententiam, prout Salomoni congruit, arctiorem; prout Christo applicatur, plenissimam numeris explicavi Poëticis)

Nec breve Erythræo describet gurgite regnum,
Internóque mari; & fecundo Euphratis ab amne,
Ægypti ad fines, Rivique * ignobilis oram.
Sed spatium ingentis, quodcunque habitabile, terræ
Imperio implebit: pelagusque adjunget Eoum
Oceano Hesperio; Tanaique à flumine tractus
Æthiopum extremos longè lateque patenti
Comprendet ditione potens, Rex omnibus idem.

* Rhinocorura.

(Primis versibus regni limites Salomonii complexus, reliquis amplissimum orbique penitùs æquale summi Regis imperium Christi designavi, sumpta è veteribus Geographis dimensione terrarum)

9. *Coram illo procident Æthiopes; & inimici ejus terram lingent.*

10. *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent; Reges Arabum & Saba dona adducent.*

(Tharsis, id est, maris, potissimùm Orientalis, sive Insularum, quibus & plurimis & maximis mare illud consitum est. Et quidem ab Oriente profectos adoratores Christi Magos Evangelica testatur historia. nec sanè desunt, qui Regem ab ipsa proprie dicta India censeant

Vellus ubi ſubſtratum & mollia terga bidentis:
Aut ubi manantes declivis ab imbrice tecti
Terra bibit ſtillas, & gramine læta vireſcit.

7. Illius auſpiciis pulchro exorietur Olympo
Juſtitia, & felix manſuræ copia Pacis;
Donec cœruleæ noctis Regina bicornis
Axe revellatur, ſupremum paſſa laborem.

8. Biſgemini regnum pelagi protendet ad oras,
Magnoque extremum à fluvio telluris ad orbem.

9. Confeſſi Dominum Æthiopes in pulvere coràm
Procumbent, pedibuſque hoſtes capita ardua ſubdent;
Lambentque ore ſolum & Chriſti veſtigia prono.

10. Jam myrrham Æquorei Reges, Regeſque Sabæi
Thura dabunt, procùl innumeris advecta camelis,
Munera digna Deo. 11. totoque ex orbe Tyranni
Numen adorabunt: gens omnis ſerviet uni.

12. Scilicet abjectæ plebi inſultare potentem
Non feret; auxilioque inopem præſente levabit:

13. Nedum onera imponet cervicibus aſper egenis,
Indulgens miſeris ultro: pœnaſque remittet,
Servabitque animas. 14. Fœnus diſſolvet iniquum,
Oppreſſos redimens, immanique ære gravatos.
Quin vulgo exoſæ pretium mirabile * Chriſtus
Dicet egeſtati, divinoſque addet honores.

* Salomonem attingit Chriſti nomen ob unctionem regiam.

ad Christi cunas advenisse)
11. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ ; omnes gentes servient ei.*
12. *Quia liberabit pauperem à potente ; & pauperem, cui non erat adjutor.*
13. *Parcet pauperi & inopi; & animas pauperum salvas faciet.*
14. *Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum : & honorabile nomen eorum coram illo.*
15. *Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper : tota die benedicent ei.*
16. *Et erit firmamentum* (frumentum, Hebr.) *in terra, in summis montium ; superextolletur super Libanum fructus ejus : & florebunt de civitate sicut fœnum terræ.*
17. *Sit nomen ejus benedictum in sæcula : ante solem permanet nomen ejus.*
(Ante, id est, coram, ut v. 5.)
18. *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : omnes gentes magnificabunt eum.*
19. *Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus.*
20. *Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum: & replebitur majestate ejus omnis terra. Fiat, fiat.*

Subjicitur hæc Psalmo epigraphe ;
Defecerunt laudes (sive *hymni* ; aut, ut vertit Hieronymus) *Completæ sunt orationes David filii Iesse.*

15. Ipſe hominum vitam accipiet, peregrinaque dona.
Concurſu ardebunt gentes, ſollennia vota
Arabiæque aurùm regali advolvere cultu,
Fauſtaque perpetuâ gratantes laude precari.
16. Montibus in ſummis, perque arida ſaxa niteſcet
Læta ſeges ; Libani ſilvas tranſcendet ariſtis.
Florebitque Sion, cives complexa beatos,
Ut picturato ridentia germine prata;
Regis opus, formoſa Sion, Regumque creatrix.
17. Pacifici celebrent auguſtum ſecula nomen.
Immenſus quàm-Sole-diu luſtrabitur Orbis,
Inclyta Progenies manet, æternumque manebit.
18. Ex illo ventura Salus : populoſque per omnes
Semper honore novo, ſemper celebrabitur aris.
19. Gratia Abramigenûm Domino : miracula ſolus
Edidit Omnipotens, alieni haud indigus unquam
Præſidii. 20. Illum omnes linguæque animique perenni
Laude colent : terram Majeſtas tanta replebit.
Hæc mihi certa fides ; votorum hæc ſumma meorum.
Jeſſidæ voces, meritarum in præmia laudum,
Deficiunt ; digitos nec jam audivêre ſeniles
Nablia. Sic vitam juvet abſumpſiſſe canendo.

TRANSFIGURATIO.

Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat. Matth. cap. 17.

Non enim doctas fabulas ſecuti..... ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis &c.
D. Petri Epiſt. 2. cap. 1.


LUDITE mutatis aliena in corpora formis,
Phœbeï Vates ; nugaſque agitate profano
Carmine bullatas, & inania ſomnia veri,
Nocte ſuperſtitio Stygiâ quæ plurima finxit.

Me Christi nova forma, & lumen amabile vultûs
Siderei, puræque nivi rapit æmula vestis.
At tu, Divinæ Princeps venerande Cohortis,
Tu, Thaboris spectaclum ingens nubemque coruscam
Et Christo visos adstare per aëra Testes,
Petre, refer. tibi enim gemino cum Fratre tueri
Fulgentes Domini vultus, vocemque Tonantis
Audire, & memori concessum est scribere seclo.
Postquam à morte redux, clausasque ingressus in ædes,
Illuxit Christus Sociis; visuque beato
Golgotheâ abstersit conceptum è clade dolorem:
Jam non mortalis, mortales inter agendi
Parcior, abscessit post gaudia prima suorum.
Ergo septa domo, sacræ penetralibus aulæ
Continuit sese, Solymûm formidine, turma:
Ceu quondam in stabulis, pastore absente, tremiscit
Grex ovium, circumque lupis ululantibus horret.
Illic fortè pio curam sermone levantes
Ac desiderium Christi, dum facta recensent
Inclyta, & ante necem dulcis prædicta Magistri:
Ecquid (ait Domino ante alios Carissimus omnes)
Ultra præscriptum Thaboris decora alta silemus,
O Cepha? exhausto surrexit funere Christus.
Tum verò Socii, quæ sint mysteria porrò,
Atque hunc atque illum scitari, arcanaque rerum
Quærere. Nec Cephas Sociorum vota moratus;
Dicam equidem, humanâ liceat si voce profari,
Inquit, in hoc quæ jussa premi miracula tempus.
Vidimus, ô Fratres (& adhuc meminisse voluptas)
Divinæ specimen non enarrabile lucis,
Mutatâ Domini specie, cùm Gloria Natum
Ornavit patria, & cœlo claravit aperto.
Heic ubi collisi currus, prostrataque latè
Agmina vesani Sisaræ, pugnantibus astris;

Vertice mons tereti ſuperas aſſurgit in auras,
Clarior ille olim ſpectato à lumine Jesu,
Sidereæ quàm cùm exarſit certamine pugnæ.
Atque huc me, ſociâ Zebedæi Prole, vocavit
Incubuitque preci per amica ſilentia Chriſtus.
Nos ſopor oppreſſit, placidæque ignavia noctis.
Aſt ubi dimiſit languentia lumina ſomnus;
Cernimus aërio Dominum conſiſtere tractu
Sublimem, ſimul ora modis ſplendentia miris.
Qualis cùm liquidâ ſol emicat igneus æthrâ,
Et nubem objectam radiis incendit & auro:
Haud aliter clauſum terreno corpore Numen
Crediderim auguſtos ſeſe effudiſſe per artus.
Hinc veſtis candore nives anteire, jubarque
Scintillare oculis totoque effulgere vultu.
Non ita conſpicuam divino lumine frontem
Legifer induerat Sinæo in culmine Moſes.
Ille, & qui rutilo ſecuit ſpatia invia curru
Thesbites, aderant: ſuſpenſique aëre, Chriſtum
Affari; &, Solymæ quæ mox peragenda, viciſſim
Tractare inter ſe viſi, Dominumque fateri:
Majeſtate ambo inſignes, lucemque trahentes
A Chriſto ingentem & venturi præſcia corda.
Jamque recedentes ambo loca nota petebant:
Ipſe autem trepidâ mentem dulcedine captus;
Hac tria ſede placet figi tentoria vobis,
O Domine? heic ipſo tecum lætabimur ævo.
Dicebam rerum ignarus; cùm lucida nubes
Has inter voces, umbellæ penſilis inſtar,
Protinus obtendi, & geminos ſubducere Vates
Mirantûm ex oculis. Tum vox è nube ſerenâ
Altiſoni Genitoris. Hic eſt mea maxima cura
Natus, amor Patris. Vos juſſi audite docentem,
Myſticaque æternæ promentem oracula vitæ.
At nos ætherii Patris reverentia, & horror

Ad Thaborem *collisi sunt currus . . . de cœlo dimicatũ est contra eos: stellæ manentes in ordine & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.* Jud. 5.

Vocalis tonitrûs pronos dejecit in ora.
Sed tactu admonitos & dictis Christus amicis
Surgere, terrenosque metus secludere jussit.
Solus erat, raptimque suos exutus honores,
Omnia jam nostro similis, vestemque, coloremque,
Oraque in humanæ morem revocata figuræ.
Qui sancti excelso digressos vertice Montis
Prodere tanta vetat miracula, donec ab umbris
Infernis remeet victor sub luminis auras.
Talia veracis Cephæ narrata bibentes
Christiadæ, Dominique novo præcordia amore
Incensi, diæ pascuntur imagine formæ.






THAENDRICON

LIBER II.

CHRISTI CRUCIATUS; POSTHUMAQUE MYSTERIA.

VIR DOLORUM IN HORTO GETHSEMANIO.

Isai. 53.



VNDE mali serpens, violato fœdere, labes
Stirpem infelicis corruptam evertit Adami;
Fatali repetita Salus effloruit Horto,
Almaque Oliviferi surgit Pax ubere collis.
Heu malesanus amor, funestæque ambitus escæ!
Terrigenûm simul ille parens, simul ille peremptor,
Arboris infaustæ fetum depastus acerbum est; *Ezechiel. c. v.*
Et diro haud contacta cibo stupor obruit ora!
Jam solitos Christi cœlestia gaudia cursus *Tristitia Christi.*
Sustinuere, animo penitus collecta supremo;

Ægraque destituunt admissis pectora curis,
Ac teneri nullâ sensûs dulcedine mulcent.
Et procusa Deo tales miracula in usus !
Nec sat erat, primo ex ortu quas Gloria membris
Divinæ sociis Naturæ animique beati
Debuit, abstinuisse caduco à corpore dotes ?
Queis auctus donis, & utrâque à parte beatus,
Undique circumseptus inaccessusque dolori,
Alituum & motus & vim penetrabilis auræ
Christus, & ardenti vicisset lumine Solem.
Nec satis hæc decora, & sacros felicis in artus
Suavem animæ excursum pressisse ! etiamne potestas
Deliciis orbare animam suprema laborat ?
Coepit pavere, & tædere &c. Corda catervatim Mœrorque Horrorque Pavorque
Invadunt, sedenim porta bipatente vocati,
Et jussi sævire, gravique insurgere motu.
Vivida quæ pingit rerum simulacra Facultas,
Probrorum effingit species formasque dolorum
Omnigenas ; quidquid scelerata insania versat
Concilio in Caïphæ, & rabidis ludibria sannis,
Sputa, flagella, Crucem, atque immanes criminum acervos.
Et quæ proditio Judæ, & perjuria Cephæ,
Et labefacta fides Comitum, fuga fœda suorum,
Scilicet & caræ luctus ante omnia Matris,
Occurrunt animo, concussaque pectora turbant.
Totus Oliviferum in montem jam Golgotha venit.
Jam patitur, quæcunque feret ; calicemque paratum
Prælibat Christus, Patris illætabile donum,
Felle redundantem calicem, mistumque venenis.
Ingratum Solymæ genus, & quæ dira triumpho
In medio nuper lacrymas expressit imago
Excidii horrendi ; totumque agitanda per orbem
Relligio subit, atque Erebo socianda Tyrannis
Gentẽ in Christiadûm, ac populos dominata per omnes
Impietas.

Impietas. facto mundi ſcelera agmine Chriſtum
Denſa premunt. uno aſpectu ſibi triſtia ſiſtit
Cuncta ſimul, venturi & abacti conſcius ævi.
Nec tua, Chriſticolæ ſpecioſo nomine quiſquis
Improbe te jactas, immenſo deerat acervo
Perfidia; & Dominum ſtimulis propioribus urit.
Ah, ſibi nequicquam ſeries exhauſta laborum
Tantorum;ſancti nequicquam effuſa cruoris
Maxima pars, pretioque humanæ impenſa ſalutis;
Triſtitiæ, ah, nimiùm, & vivi ſeges ampla doloris.
Quin hæc ipſa (nefas !) operoſa piacula, & ingens
Noxæ in materiem pietas vertenda; neciſque,
Heu, contemptus atrox, Crucis hoſtes undique, paſſim
Calcandus cruor; & juſtum poſcentia amorem
Vulnera, ſacrilego toties laceranda furore.
Tum magni Genitoris honos temeratus, & illa
Majeſtas deſpecta, polo terriſque tremenda;
Hoc caput, hæc letho par alti ſumma doloris.
En,ſolus tacitâ ſociis ſub nocte relictis,
Abjectuſque ſolo, moribundaque pronus in ora,
Ter ſupplex eadem Genitorem in vota vocavit,
Terribiles ſi quà pœnas avertere fas eſt.
Ipſe ſibi obluctans alterno ſcinditur æſtu.
Qualis ubi ancipitem navis diſtracta procellam
Suſtinet; adverſo aſſultant freta turbida motu;
Jamque ſuperjectis undarum montibus, alto
Deprimitur; ſalſum pleno pontum ebibit alveo :
At clavo affixus ſupereminet, aſtraque ſervat
Rector adhuc puppe erectâ, cladique repugnat,
Voce, manu imperitans, ventiſque obnixus & undis,
Ac merſam mergi prohibet multâ arte carinam.
Haud ſecùs hinc atque hinc curis diſcordibus actam
Chriſti animam moles inſtantum oneroſa malorum
Urget, & immenſo oppreſſam mœrore fatigat.
Ardua Mens flecti docilem, facilemque levari,

Arbitrio ciet ; & vaſto permiſſa dolori
Corda involventes ſternit fracto impete fluctus.
Hæret amarities uſque, & ſuſpenſa Voluptas
Innocuum fraudat ſenſum, & meliora merentem.
Sic noſtro dolet, ac pavitans è more fatiſcit,
Quò vires nobis animoſque ſuaſque rependat
Delicias tormenta inter. Quanquam Ales Olympo
Miſſus adeſt, ægroque adhibet ſolatia cordi ;
Deficit ille, & mortem animo prægustat acerbam.
Deſeruitque Pater Natum, ſeque ipſe reliquit
Filius. extremos vitæ durabit in actus
Angor edax ; graviorque Crucis Crux intima pœnis.
Aſt homini redimenda Salus, reparanda Parenti
Gloria, quæque ipſi rata proſtant præmia Chriſto,
Erexere animum ; atque æternâ lege Voluntas
Verſari mortalis amans, præcepta capeſſit
Aſpera, ſed patria, & pingui ſuaviſſima fructu.
Nunc demum placido Chriſtus certamine victor,
Diſſidii ſpeciem nutu componit herili.
Sponte ſua juſtumque tulit poſuitque timorem.
Ergo quidquid atrox, probroſum, immane minatur,
Exceptare audet, calicem epotare profundum.
Sudor Sanguineus. Sanguineæ interea (monſtrum !) de corpore guttæ
Horrendo ſudore fluunt ; veſteſque per ipſas
Purpureus ruit imber, & undâ proluit arvum.
Incaluit pulvis, penetravitque æthera clamor
Sanguinis, Abelî major meliorque cruoris
Voce ſonus, miſeriſque potens veniam hoſtibus orat.
Frigida qui cogente metu præcordia circum
Sanguis iit ; ſuperante animo diſpulſus in artus
Æſtuat, & toto prorumpit corpore ſanguis.
Carnificum intactus plagas ultro occupat, ultro
Viva ciens ſimulacra neci præludit JESUS,
Primitiaſque ſui libat ſine cæde cruoris.
Ipſe volens letho ſeſe obtulit ; ipſe furori

Occurrit venientûm : & avaro barbara turba
Ne quid ſignifero, ne quid ſcelerique doloque
Deberet ; nil inſidias, fictoque moratus
Graſſantem officio Judam, ſe prodidit ipſe,
Index ipſe ſui, & quærentibus obvia præda
Hoſtibus incedens, vano indeprenſa tumultu.
Oſcula tum blandæ in ſpeciem compoſta ſalutis,
Perfidiæ tela, atque atris imbuta venenis,
Accipiens, fœdi contactum haud reſpuit oris.
Mox læſo imbutam ſervo, & majora parantem
Audacis dextram Comitis gladiumque repreſſit.
Parcere ſed mandans ferro Clementia, & aurem
Attactu medicans, nil, heu, corda impia tangit.

Christi comprehensio.

Ecce ruit, tædaſque per umbram enſeſque coruſcans,
Et mixtos fuſtes armis & vincula geſtat,
Venatu ceu belligero captura caterva,
Monte ſuper, ſilvâ defenſum & nocte latronem.
Væ, crudele ſatellitium, & duce digna nefando,
Conjurata Orco manus involat, auſa verendum
Cœlicolis violare caput. palantibus aſtris,
Proturbatque teritque Deum, cæditque trahitque,
More nec humano ; maniciſque illudit onuſtum ;
Calcibus & pugnis, ſcuticiſque & fuſtibus inſtat.
Ut quondam ille ſacrâ, divini pignore fati,
Cæſarie florens & inexuperabilis Heros ;
Quem neque vi gens unum, & inermem perdere telis
Evaluit ; pretio atque indignâ fraude petitus,
Vincla Palæſtinæ ſubiit furiaſque phalangis.
Ambos cepit Amor, pœniſque addixit iniquis :
At turpis Samſona, procax quem forma puellæ
Incendit : Chriſtum pius auguſtique Parentis
Atque hominum flammavit Amor, decoriſque ſalutiſque.
Illi jam attonſô robur fatale capillô
Conciderat, domitumque armato objecerat hoſti :

Ipſe ſui ſeſe ſpoliavit roboris uſu,
Immites facilis dextras admittere Chriſtus.
Cui tantum invito liceat de Numine, vinclis
Ætherium ut Regem, libertatiſque datorem
Opprimat, inque extrema vocans ludibria, vitæ
Exuat autorem vitâ? mortalibus ibat,
Teli extra jactum, furiis & inanibus auſis
Protinus inſultans; ſeu notas promere vires,
Flectere ſeu precibus Patrem, ſeu flammea juſſis
Excire Aligerûm toto velit agmina cœlo.
Senſit & immiſſus, quàm certa potentia, miles.
Stans adverſa cohors; vnâ ſe voce fatentis,
Nec ſpirante iram dicto, ſimul acta retrorſum,
Fulmine ceu perculſa, ſoloque afflicta jacebat,
Corporibus torpens confuſa & inertibus armis;
Nec ſeſe erexiſſe valens, ni Vindicis alti
Annueret pietas. aliter nihil omnis in unum
Auſonidûmque manus poſſit, Solymûmque caterva.
O furor! ô cœcæ præceps violentia turbæ,
Quam nec majeſtas operum & miracula terrent,
Illa hominem ſupra vis atque experta poteſtas,
Vulnera quæ ſanet tactu, verbo agmina fundat;
Nec, Malcho quæ impenſa truci, ſtratæque cohorti,
Blanda feram pietas docuit menſueſcere Chriſto!
In Superos, hominum ſcelere atque errore miniſtro,
Tartarei rabies ſævit tenebroſa Tyranni.
Diſſimulat vim deinde ſuam, penituſque recondit,
Aut Sociûm expromit curâ; ſervatque, latronum
Sexcentos inter gladios, dilecta Magiſter
Et Paſtor capita; ipſe capi, vincliſque teneri
Paſſus, Olivetique inter juga confraga trudi,
Per montiſque rapi declivia, perque Cedronis
Saxea torrentis nigro vada conſita luco.

VIR DOLORUM

IN URBE HIEROSOLYMA.

QUO Christum, ſcelerata cohors, trudiſque rapiſque
Compita per Solymæ & noctis bacchata per umbras,
Inſano feralem agitans clamore triumphum?
Hei mihi, quæ rerum facies! quàm diſſona pompæ
Sollenni, quâ nuper ovans inceſſit amœno
Chriſtus Oliviferi deſcendens vertice montis,
Obvia cùm plenis undarent agmina campis!
Tota adeo Solyme ſacri commota triumphi
Inſolitâ ſpecie, atque effuſo percita plauſu,
Nam quis hic eſt! ſtupefacta novo quærebat honore. *Matth. 21.*
Hic Vates, hic ille (uno retulere faventes
Concentu Populi) merito quam nomine præfert,
Re præſtans, Nazaræ urbis decus ille, ſalutem,
Sermoniſque operiſque potens, cui nulla tulerunt
Secla parem, cui nulla ferent virtute ſecundum.
Scilicet eximias venientis ab æthere laudes
Omnia conſonuere. tot altis conſcia factis
Turba frequens ibat. cunctis redivivus in ore
Lazarus. & feſtos ſtrepitus juga, mœnia, templa,
Gratantumque pias geminabant ſidera voces.
Nunc ingens, capto veluti latrone, tumultus
Turbatam fremitu confuſo implere Siona
Per noctem. armorum ſonitu miſta omnia. terror
Civibus excuſſit ſomnos. ſpectantque rogantque,
Dum facibus vici ac denſis haſtilibus ardent,
Quid motus ferat iſte? reus quò vinctus agatur?
Falſus adeſt Vates (reboat lymphata caterva.)
Turbarum incentor, Galilæâ è gente profectus,
Ducitur, errorumque ſator, ſcelerumque magiſter,
Pontificis ſolio ſiſtendus Numinis hoſtis.

Talia vociferans turmatim incondita prædo
Præcipitem glomerat cursum, quò dira cupido,
Heu, sceleri promissæ animos mercedis avaros,
Fl. bilis & noxæ immites agit ipsa voluptas,
Captivumque avidis expectans curia votis.
Horrida funestæ passim ludibria nocti
Dant JESUM, infaustæque parant spectacu'a luci.
Sternere cui vestes nuper gaudebat amica
Turba suas, proprio exuitur Rex pauper amictu,
Pœnam in servilem, laniandus membra flagellis.
Fœdiùs & nudos alienis vestibus artus
Induitur; seu quâ Herodes candente lacernâ
Illudit, vani specioso syrmate Regis;
Seu plagis lacerum, & perfusum sanguine corpus,
Annoso petulans ubi miles tegmine cingit
Purpureæ chlamydis, detritoque implicat ostro.
Certatim virides ardebat cædere palmas
Vis populi exultans; Lethoque Ereboque subacto,
Ferre triumphales, Victori præmia, ramos;
Pacifico nitidas oleæ substernere frondes.
Undique Davidis prognato sanguine Regi
Acclamata Salus, demisso à Numine Regi.
Hæc nuper. quàm nunc tragico diversa theatro
Scena, cruenta, atrox, informi squallida luctu!
Mobilior pelago vulgus, per tanta receptum
Gaudia, concursuque alacri cantuque secutus,
En, probris onerat, dirisque sequacibus instat.
Ad pœnamque necemque truci jam jamque reposcit
Voce Salutiferum, & latè benefacta potenti
Spargere consuetum linguâque manuque Theandrum.
Nec Regem agnoscit populus, cui Cæsaris una
Regna placent. calamo sceptrum, spinisque coronam
Effingit; solâque furens odia arbore sistit,
Atrâ, infelici. tollendum huc effera Christum
Turba urget, precibusque fremit violenta superbis.
Jura minax terrore domat; scelerisque ministro

Judice, dum parcit manibus, ſæviſſima linguis
Moliturque Crucem, & palmam Judæa nocentum
Vindicat: auguſtique levat dum perdita gentes
Sanguinis invidiâ miſeras, ſeque ipſa ſuoſque
Obruit æternâ damnatos labe nepotes.
Criminis artifices Legis præiêre Magiſtri,
Quos ferus exagitat Livor; ſed ficta doloſo
Nomine Relligio, Moſæaque gloria obarmat.
Illa nefas meditata, & iniquis excita curis
Pectora in optatæ vigilabant gaudia prædæ.
Poſtquam Annæ ſocero ſceleris libata voluptas,
Pontificis ſævas raptatur Chriſtus ad ædes,
Impia collecto Procerum ad ſubſellia cœtu.
Ut ſtetit ante oculos crudelis & ora coronæ,
Qualis erat, vincla arcta gerens, ferroque gravatus;
Exiluere animis cuncti. nec ſe improba vultu
Compoſito premit ira; erumpens conſcia prodit
Lætitiæ ſenſus faſtuque tumentia corda.
Tandem oblata, diu per vim quæſita, per artem,
Arridet vindicta. gravi cenſore levari,
Et caput inviſum geſtit mactare Senatus
Tartareus, meritaſque ſibi per crimina pœnas
Sancto inferre reo, cœli terræque Magiſtro.
Nocte quid infandâ expertus; quàm triſtia paſſus
Opprobria, inſultus, colaphos, luſuſque jocoſque,
Sputaque, & obducto cæſos velamine vultus,
Comica larvati inſtruitur dum Vatis imago;
Felleo acerbatos riſu enumerare dolores
Quis valeat? falſi quantum auſa licentia Teſtis,
Lixarumque effræna licentia, dum rapit ultro
Turba procax noxam, ſtudioque accenſa placendi
Spectatorum odiis Procerum? quis talia rerum
Aut æquare potens luctu, aut comprendere verſu,
Centeno licet ore loquentia concrepet æra,
Atque ipſum fletu Oceanum devolvat amaro?
O tenebræ! ô furiæ! diris ô conſcia factis,

Iob. 3. Te, mala Nox, fœdi tenebroſus turbinis horror
Occupet, & cœco ſtellas involvat Olympo:
Ilicet omne tuâ lateat caligine lumen.
Moſis ad imperium, pro libertate ſuorum,
Haud talis piceâ nox quondam oppreſſerit umbrâ
Ægyptum, atque unâ ſontes nectente catenâ
Tot populos, duroque immanem corde Tyrannum.
Per chaos errantûm monſtrorum infeſta tremendo
Agmine nox; quo quæque loco deprenſa, per agros
Corpora perque domos; valido ceu carcere ſepta,
Prodigio ſtupefacta, metuque exanguia fixit.
Hîc utinam ſimili torperent brachia caſu,
Ora, pedes, queis miles atrox creberque ſatelles
Captivum, heu, monſtris Jesum majoribus audet
Indignis jactare modis, & mille nocendi
Artibus illudens tacitum vexare Tonantem.
Vinctus at ille tamen gelidæ inter frigora noctis
Dum perſtat, placidoque obtutu immobilis hæret;
Æterno interea flagrans Deus hoſtium amore,
Et tenero miſerans reſpexit in atria ſenſu,
Ignis ubi, graviuſque algens formidine Cephas,
Armato obrepſiſſe gregi temerarius, & ſe
Viſendi cupidum vernis junxiſſe protervis,
Qui malè præſidens animis, inque omne paratus
Diſcrimen, Dominum injuſſo defendere telo
Nec timuit ſolus, glomeratæ obſtare cohorti;
Dehinc terrore fugax, capto deſertor ab horto;
Suſpenſo demum greſſu, longeque ſecutus,
Ah miſer, & famulæ tremefactus voce Magiſtrum
Abnegat. illuſtrem latè Judæa per arva
Jam pudor eſt vel noſſe virum, jam criminis inſtar.
Tergeminumque nefas cumulat perjurus. at idem
Alitis admonitus cantu, aſpectuque Magiſtri,
Ad ſeſe redit, & tetrâ ſe proripit æde;
Triſtiaque, effuſus lacrymis, commiſſa piare;
Inſtituit, ſolo Domini abſtergenda cruore.

Unâ enim catenâ tenebrarum omnes erant colligati. Sap. 17.

Non ita Concilium infauſtum, nimiumque profana
Turba Sacerdotum, Phariſæaque corda moventur.
Ut ſummum viſura nefas, viſoque tenebras
Accitura dies, invito effulſit Olympo ;
Ultima ſacrilego fertur ſententia Myſtæ
Conſeſſu in magno, conjuratoque Senatu
Numinis in cædem. idem hoſtis Judexque cruentâ
Voce præit conſulta : ſimul cuncta ora nefandum
Infremuere, aperit cum ſe metuenda Parentis
Æterni Soboles, & nuntia & arbitra fati.
Scinde age, non ſacras, Caïpha, de pectore veſtes ;
Crimine ſed fetum, ac tantæ molimine cædis
Sanguineum abrumpe, & juſto cor protere luctu.
Quem damnas, reus iſte, Deo mox vindice Natus
Clareſcet, ſolioque ſedens ſuper aſtra paterno ,
Rurſus & adveniens Judex in nube curuli,
Fulmineum mundo attonito ſpectante tribunal.
Tum cidari excuſſâ, & ſancto nudatus amictu,
Ipſe reus planges, monteſque & ſaxa vocabis
Auxilio, latebram capiti incumbente ruinâ
Implorans. maculæ hic exors, mitiſſimus Agnus,
Tonderi, cædi patiens, mutoque querelas
Ore premens ; aderit Cœlo implacabilis ultor, Apoc. 5. & 6.
Horrificum jam vi referens irâque Leonem.
Tum pœnas repetet, quem letho addixeris unum
Pro cunctis luſtrale caput, ſollenne piaclum
Et devota cadens ſervandæ victima genti.
Nunc ventura dies, oculis quàm diſſita, longè
Securis eadem hæc animis (quos invida dudum
Excœcat rabies) penituſque obtecta recedit.
Quanquam excors, nec ſe ipſe ferens, Chriſtumque profeſſus
Proditor inſontem, & facti mercede cruenti
In templum abjectâ, pœnamque invadat atrocem,
Et laqueo elidat fauces : haud ſecius ille,
Funeſti metuens pretii contagia templo,

Impius empto instat sceleri, exitioque parato.
Nec peccasse uni satis est : culpâque coactâ
In caput augustum obtorquet fugientia corda,
Romanosque suo sceleri implicuisse laborat.
Scilicet abreptum Latia ad prætoria JESUM
Pontius, haud ignarus enim livoris iniqui,
Extimuitque reum Præses, stupuitque silentem
Crimina densa inter, vitæque objecta pericla.
Mittitur & cupidam Galilæi Regis ad aulam ;
Itque reditque novis Christus per compita probris,
Per fora versatus ; pariter demensque nocensque
Ad tormenta trahi Deus, ad ludibria jussus.
Turbarum trepido Solyme convolvitur æstu,
Assiduoque vias fluctu plateasque fatigat.
Tu tamen intactum culpæ testatus, eundem
Ad pœnam, Pilate, vocas. Clementia tanti
Stat tua ! circumstant rapidi, spoliantque verendum
Carnifices corpus, tortoque rudente columnæ
Adstringunt. rigidos solvunt in verbera fasces,
Brachiaque intendunt nervis ; manibusque reductis
Certatim hinc atque hinc densato, grandinis instar,
Præcipitant ictu ; & plagis concisa pererrat
Membra cohors tortorum, aufertque à corpore corpus.
Tincta cruore columna ; solum natat omne cruore,
Conspersusque rubet paries ; summumque resultat
Ad laquear cruor, & totis ægit artubus amnes.
Parcite Tartareæ, nunc demum parcite, pestes.
Jam quæ vel Solymum placet, satis ista superque
Pœna, odium : tygresque dolor cautesque moveret.
Quid juvat exhaustis jamdudum infringere membris
Vulneribusque flagella ? artus immanè dehiscunt,
Nec plagas cepere. quid iras perdere & ictus
Ultra adigit ? vix se, vix brachia fessa remittunt ;
Lumina tormentis necdum exsaturata, dolori
Insultant, sensusque avidos sua crimina pascunt.
Proh ludi genus ! en, sellâ statuêre cruentum

Regem humili. ſentes capiti, dextræque paluſtrem
Inſertant calamum, atque humeris circumdata pendet
Purpura. tum ſannis coràm venerantur amaris,
Suppliciter nixi genibus, ſputoque ſalutant;
Et dextræ exemptâ pulſatur arundine vultus.
Hæccine ſupremi divina Parentis imago,
Vivida, collucens, æterno auguſta nitore;
Quam defixæ inhiant acies ſtellantis Olympi,
Feliceſque tuendo ardent, humileſque tremiſcunt;
Eheu, ludibrium horrendum & miſerabile terris,
Oblita jam fœdè ſputis, maculoſa cruore,
Vulneribus ſquallens, ac pallida Mortis imago?
Nec plebem informis ſpecies, Proceresque malignos
Inflexit, tantoſque inter probra tanta dolores!
Quin potiùs vaſto oblatum exploſere tumultu,
Dejiciturque animis objecto Cæſare Præſes;
Infelix, qui nec, viſa ad nocturna paventis,
Conjugis audierit voces monituſque ſalubres.
Perfide, ſic Virtutem audes terrore ſubactus
Prodere? ſic uno damnas, abſolvis & ore?
Incaſſùm palmas, pollutâ mente, cruentas
Abluis. hanc nec tota palus Tibereïa labem,
Non, utroque ruens pelago, purgarit aquæ vis.
Crux adeo, Crux, heu, Regi fabricata Deoque;
Acribus illa quidem votis optata; ſacroſque
Nunc primùm exceptura artus, ſtirps illa ſalutis,
Mortalis vitæ ex aditu jam fixa animo Crux.
Sed patriâ quam lege, pioque amplexus amore
Suſcipit, humani decreto impoſta furoris;
Inque Deum ſontis transfertur pœna ſoluti.
Scilicet immani portento innoxius Agnus
Poſthabitus; Vitæque Opifex, Paciſque Repertor,
Seditionem inter civili cæde cruento.
Ergo inter ſontes famosâ lege referri,
Latronum & levius fuerat perſolvere pœnas?
Duxque latrocinii vulgo Princepſque per ora

Traductus, ſoliis ut prædo infeſtus & aris ;
Furciferos inter medius, varioque dolore
Inſignis longè ante alios, probriſque cruentis,
Ducitur, heu, Divûm atque hominum ceu publicus hoſtis.

Aude, anima, ingentis comes haud ignava Magiſtri;
Prælatæ ſuccede Cruci. ſignata cruore
Sectari per amica juvat veſtigia Chriſtum,
Aſpera Golgothei nitentem ad culmina montis.

VIR DOLORUM

IN MONTE GOLGOTHA.

Supplicii ſævam conſcenderat arduus arcem;
Latroneſque inter, medius, terram inter & æthram
Pendebat conſors hominiſque Deique Sequeſter,
Lugendum pariter ſpectaclum & amabile Chriſtus.
O ſacer, ô blandos inter ſuaviſſime colles,
Golgotha, devotoſque inter ſæviſſime montes ;
Gelboâ horridior, Libanitide amœnior ora,
Ancipiti famâ ante omnes clariſſima terras !
O myrrhæ turiſque ferax ! ô ſentibus hirta
Area purpurei Veris, fructuque ſalubri
Læta ſeges ; vinoque admiſtus fellis amaror !
O templum auguſtum ſimul, & ferale theatrum ;
Hoſtia ubi ſeſe ipſa volens & prodiga mactat
Verſus in humanæ pretium Deus ipſe ſalutis ;
Idem execratus Solymæ, veneratus Olympo,
Omnigenûm immanes ſcelerum fert corpore pœnas !
Tu Belli campus, tu Pacis, Golgotha, ſedes.
Hinc Furor, hinc Amor ardet, & aſpera prælia miſcent,
Amborum paribus Chriſtum premit impetus armis.
Juſtitia hîc ſolium, ſolium Clementia fixit ;
Ambæ concordes ſancito hîc fœdere regnant.
Filius ultrices Genitoris ſuſtinet iras.

Christo agit & patitur Deus; atque interprete tanto,
Paciferæque undante Crucis per robora, fontem
Jam sibi conciliat placatus sanguine mundum.
Quàm nova turbatis passim commercia rebus,
Dum titubat Natura pavens, dum Gratia vires
Explicat, ac Morte ex ipsa melioris origo
Assurgit Vitæ, & probris sata Gloria fulget!
Pastorum ad caulas, Christo exoriente, per umbram
Emicuit peregrina dies, Superûmque canoris
Laudibus insonuêre agri. nunc deficit unà
Cum Domino, & mediam abrumpens ferrugine lucem
Numinis occasum trepido Sol indicat orbi.
Nunc tremefacta gemit Tellus, nunc luget Olympus:
Cœligenûmque acies, pacem queis cura tueri,
Attonitæ horrescunt, & amaro lumina fletu
Proluerint, si quis felicia pectora mœror
Pertentare queat. soli hæc servata dolendi
Delicias inter superas miracula Christo.
Sic Deus aggestæ patuit per crimina pœnæ;
Sic pœnâ exceptâ patuit Deus. ô Deus ultro
Infra hominem dejectus, & alti major Olympi
Gente Vir aligerâ, totoque ingentior orbe!
Hîc majestatem posuit, desertus, inermis,
Ac vim compressit propriam, aut monstrare ferendo
Tantùm amat. in longam extrahitur vita ultima mortem.
Nam quid pœnarum superest? velamina membris
Semianimis adstricta, tenaci hærentia tabo,
Abstulit, & si quid pellis super, antè probrosâ
Quàm trabe suspendit lacerum; consciſſaque miles
Dividit inter se, ac sorti permittit iniquæ,
Ipsius ante oculos trunco pendentis ab alto.
Tunc & funereâ sublimis ab arbore Christus
Affusos lustrat populos, & acerba dolorum
Inter anhelus, hians, placido tamen ore tuetur

Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. 2. Cor. 5. Coloss. 1.

Isai. 33.

Psal. 21. *Hebr.* 1.

Hoſtiles facies, ſpirantiaque ora furorem.
Cernit & Aligerûm pendentes aëre turmas,
Qui, circùm multâ velati nube, cruentos
Seminecis Domini lacero de corpore rores
Suſcipiunt pateris, magno libamina Patri.
Inde Poteſtates Erebi, Mundique Tyrannos
Cœco exultantes media inter crimina motu
Reſpicit, inſtantes plebi, Procerumque ſuperba
Corda incendentes, inimico explenda cruore
Effudere odia ; & linguis, manibuſque ſuorum,
Iram exercentes, Supero de Rege triumphum
Conſilii ignaræ Mentes cœleſtis agebant.
Colluvie in tanta paucos obſervat amico
Pectore mœrentes. hîc Mater, & integer adſtat
Qui Sociis tenero Juvenis prælatus amore ;
Magdala, fœmineæque alii virtutis honores.
Omnes vulnifico percuſſæ corda dolore :
Sed longè ante omnes Mater, cui pignus ademptum,
Heu, deſiderium, & mœſti grave Numen amoris.
Tota Cruci vis fixa animæ ſe acerrima torquet :
Et Proli immoriens, ac tanto invicta dolori
Stat Virgo ! exundans ſeſe dolor ipſe reſorbet ;
Oceano ſimilis, vaſtâ qui mole tumeſcens
Æſtuat, & rapidos glomerans ad littora fluctus
Temperat excurſum, fractuſque in ſe ipſe reſidit.
Verùm hæc confixæ Nato forma ægra Parentis;
Quæcunque & triplices Chriſto tolerata per horas,
Debita ſeclorum noxis ; ſeptenaque Verba,
Æterni numeros omnes implentia fati ;
Mox alio atque alio reſonabunt carmine, cœptum
Quæ longo obruerint tractu ; fletuſque recentes,
Ordine quæque ſuo, plenoſque vocantia luctus.
Vipeream exacuit linguam Solymeïa plebes,
Scriba Magiſtratuſque execranduſque Sacerdos,
Pluſquam hoſtili odio ; & dictis configit amaris

Pendentem, gemitusque extrema in morte trahentem.
Proh rabies! crudo ceu pectus ab ære rigescat,
Agglomerata Sion, stat nullis excita monstris,
Astrorum squallorem inter, Cœlique laborem;
Et saxorum inter fremitus, terræque tremores,
Dura, immota, rigens, Furiisque agitata triumphat:
Nec sua adhuc scelera, infelix, sua vulnera sentit!
Tristiùs &, nigri quàm fellis & acris aceti
Pocula, tot Christi pœnis convitia miscet.
Haud telis graviùs, verbis quàm ferrea sævit.
Aspicis hæc, Pater omnipotens, audisque; nec iram
Sanguineæ in Natum meruit truculentia gentis?
At quam fatidico ille minax intendere ab ara
Ausus erat Vati, Regis * dextra arida quondam
Obriguit. Vatum hîc Regem, primamque vetustis
Materiem oraclis, viles impune lacessunt
Proturbantque rotantque manus, onerantque cruentis
Ictibus; & sectum flagris, clavisque refossum,
Golgotheæ superimpositum crudeliter aræ,
Conficiunt; solidæque vigent in crimina vires!
Saphatiden puerûm inclamans lascivia calvum,
Dentibus ursorum rapidis lacerata sub ipsam
Bethelem, magno luit, ignoscenda videri
Quæ poterant ævoque rudi, vocique petulcæ.
In Solymos non vis ruet irritata ferarum,
Sistet & immites lacrymosâ cæde cachinnos,
Post capiti infixos vepres, congestaque Christo
Opprobria, & factis Stygios dictisque furores?
Si valuit, collis tantùm descendere jussus
Vertice Thesbites, flammas accersere cœlo,
Bisgeminumque agmen præsenti absumere pœnâ
Fulmineus Vates: actum in fastigia JESUM
Sontibus addicti montis, perque horrida saxa
Sordida latronum tabo, atque infamia diræ
Regna necis; quâque aërias sublatus in auras

* Jeroboam. *l.* 3. *Reg. c.* 13.

Elisæum cavillo appetentes pueri, ab ursis discerpti. *Reg. l.* 4. *c.* 2.

Elias *ibid. c.* 1.

Occumbit, furcâ per ſannam exſcendere juſſum
Non trifidus cœli Dominum tutabitur ignis,
Carnificum involvens aciem, totamque Siona?
Connivet Nati exitio Genitorque Tonanſque,
Terribilis famulûm Vindex. hîc fulmina ceſſant!
At nec Pentapolis torrentes ſulfure nimbos
Sic meruit: nec, quæ corruptum immiſſa per orbem
Diluvies, tantum ulta nefas. unum omnia vicit
Et ſcelerum juxtà & pœnarum nomina crimen.
Quàm bene converſa in tenebras, funeſtior omni
Squallet nocte dies! graviorque offuſa nocentum
Caligo Judæûm animis, prorupta Erebo nox.
Perpetuum Solymæa chaos, cœcæque tenebræ
Tecta premant. Quin tu vaſto diſcedis hiatu,
Viſa, ſolo trepidante, Crucis ſub pondere Tellus
Horrere; ac tanto, ſed leniùs, excita monſtro?
Excute, merge nefas, Solymamque abſume profanam.
Sed quid ago demens? ultrices imprecor iras,
Nec me reſpicio, pœnis obnoxius ipſe,
Autor ego infelix, & cauſa ſegeſque malorum!
Chriſte, crucem clavoſque tuos, mea crimina, cerno,
Haſtamque ſpinaſque, & hiulcis vulnera membris.
Hæc noſtri monumenta operis, monumenta furoris.
Agnoſco, ſcelerum inventor, mea facta. crucemque
His ego defixi manibus; lignoque probroſo
Ferrum adigens immane ſacros in corporis artus,
Palmiſque infixi clavos plantiſque trabales;
Et capiti, ah, rigido feralem ſente coronam,
Et lateri, heu, diram contorſi ferreus haſtam.
Quis lacrymarum oculis æternos concitet imbres?
Quis cordi gemitus addat, ſuſpiriaque ori?
Sed quis & ætherios ſimul oſſibus inferat ignes?
Quis meritas linguæ, immenſo pro munere, grates
Suggerat; atque eadem pro te, mea vita, ferendi
Audaces animo ſenſus, nec inania vota?

O dolor,

O dolor, ô justâ conjurans turbidus irâ!
O Amor, ò tenero conſpirans fervidus æſtu!
Téne priùs, Dolor acer & implacate, requiram?
Téne, Amor alme, vocem? crudelis tu quoque Chriſto.
Crudelis Chriſto magis, an mihi blandus uterque?
Blandus uterque mihi, Chriſto crudelis uterque.
Ambo inter ſeſe nectuntur Amorque Dolorque;
Victus Amore tamen, viciſti Chriſte Dolorem.
Chriſtum vicit Amor; mortales vincat, & ipſam,
Victricem humani generis finemque Doloris,
Vi Mortem æquiparans. firmat Dolor æger Amorem; *Fortis eſt ut mors, dilectio.* Cantic. 8.
Vivum Amor exercens mollitque acuitque Dolorem.
O lacrymæ, ô valido lacrymæ clamore ſonantes,
Supplicibus Chriſti votis & queſtibus actæ,
Purpureo frontis confuſæ oriſque fluento;
Elicite, ô, noſtros, & non ſine ſanguine, fletus.
O flammæ, ô miſti bicolores ſanguinis undæ,
Unà ambæ lateris penetrali à fonte fluentes;
Urite me flammæ, luſtrales tingite lymphæ:
Sanguis alat flammas, ſacroque animam imbuat oſtr .

Preces ſupplicationeſque cum clamore valido & lacrymis offerẽs. ad Hebr. 5.

IN JUDÆOS.

Vos... Auctorem vitæ interfeciſtis. Act. 3.

PROH ſcelerum feralis apex! en ſtipite Numen
Suffixum, manibuſque hominum Rex ætheris hic eſt!
Iſacidæ duri, quæ mentem oppreſſit Erynnis?
Cernitis, ut vaſtum pavefacta elementa per Orbem,
Sedibus ut convulſa ſuis? clavoſque crucemque
Cuncta Dei ſenſere. Deo moriente laborat,
Et pullâ Autori Natura in veſte parentat.
Heu cœci! veſtro maculaſtis crimine ſolem.
En abrupta dies, turbataque fœdera mundi!
Terra tremit, cautes rumpit dolor, omnia mœrent;

Tartareum Solymes incuſant omnia crimen.
Ipſa amens furiis, dum gentibus ingruit horror,
Gaudia, væ ! cæſo peragit ſolennia Chriſto.
Necdum etiam inſtantes coiiſſe in fulmina nimbos
Suſpicit, aut fuſi clamorem ſanguinis audit :
Eventuſque ſibi diros gratata, triumphat
Victrix, illuſoque ferox inſultat Olympo.
Cara Deo quondam ante alias, inſignis honore,
Dives opum ; ſed nunc tantorum oblita bonorum,
Auſa immane nefas, cæſi rea Numinis, ô Gens
Infelix ; Babylone olim Phariâque cataſtâ
Cœleſtis meritæ Judex graviora reſervat.
Bella, famem, cunctas uno ſimul agmine peſtes,
Confuſaſque virûm cædes, urbiſque ruinas
Iratum tacito meditatur pectore Numen.
Quot pariet Crux una cruces ! circum undique vallo
Mœnia funereo, pœnis obſeſſa, tremiſcent.
Jam Solymææ arces, vetitumque reſurgere templum
Procubuere : Dei jam ferrea virga rebelles
Obterit ; & muris hoſtile impreſſit aratrum
Romanus ſceleriſque ultor pœnæque miniſter.
Ioan. 8. Degeneres nimium Abramidæ ! quin verior Anguis
Tartarei ſoboles, factiſque imitata parentem !
Æterno exilio populos disjecta per omnes ;
Principibus, fano & legis ſpoliata magiſtris,
Terrarum commune odium, juſtique furoris
Sanguis ejus ſuper nos. Mat. 27. Terrificum exemplum ; capita in ſcelerata vocati
Sanguinis horribiles extrema in ſecula diras
Experiêre. Dei calicem ferventibus iris,
Fæce tenus, ſpumantem hauri ; Chriſtoque paratâ,
Quos merita es, triſti decerpe ex arbore fructus.

IN PSEUDOCHRISTIANUM.

Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei.
Ad Hebr. 6.

TU quoque, tu, Chriſti cui non ignota poteſtas,
Gloriaque & Numen ſupremo æquale Parenti!
Ah miſer, ah! quò te Phlegetontius impulit ardor?
O ſcelus! immiti reſcindens vulnera dextrâ
Juſtificum calcas furiatâ mente cruorem.
Et Caïpham incuſas, & Pontî ferrea juſſa!
Ingeminaſque cruces, Solymoſque abſolvere certas,
Confeſſum exercens graviori crimine Numen.
Crudelis! rurſum ſpinis horrentia ſerta
Auguſto intrudis capiti; flagra aſpera rurſum
Incutis: atque omnem corrupto, perdite, ſenſu
Configis Domini ſenſum; nec lumina parcis
Aſpectu violare procax, nec vocibus aures.
Siderea infandis ſputorum ſordibus ora
Commaculas. Cæli manantem nectare linguam,
Bacchantum ſimilis, torques; ceu rurſus acetum
Admoveas labris, aut tetri procula fellis.
Divitiarum ardens & inexaturata cupido,
Ecce, inopes caſti nudavit corporis artus:
Probra tumens renovat faſtus, tormenta voluptas.
Quid bonus ille autem, niveoque ſimillimus agno
Terrigenûm Vindex in te peccavit, Averni
Execranda lues? quò clavos crimine, rerum
Artifices meruere manus? te te illa creatrix,
Quam modò ſanguineâ transfigis cuſpide dextram,
Maternæ quondam latebroſis ſedibus alvi
Concreto, membra informans, è ſanguine finxit.
Nunc quoque, ſervatrix operis ni dextra caduci
Suſpenſum hæc eadem teneat; ceu pulvis in auras,
In chaos inque tuum ſubitò revolutus inane

Vanescas, Stygiive ruas in aperta barathri.
Tigride barbarior, Solymâ crudelior ipsâ,
Quem petis, aut quid jam laniata in corpora sævis?
Deest plagæ locus, atque exhaustus pectore sanguis.
Si te nulla movent morientis vulnera Christi,
Nullus amor; moveat Nemesis, flagrantibus armis
Tergo instans, omnesque trahens in crimina diras.
Scilicet insontem, culpæ sub imagine, Natum
Talibus affecit Patris implacabilis ira
Suppliciis; & te scelerato marte rebellem
Terribilis servum Dominus patiatur inultum?
Si cedrum in viridem sævit, fetuque gravatam
Exscindit palmam; non siccum & inutile lignum
Agricolæ infesti valida ab radice securis,
Et steriles ramos cariosaque membra recidat,
Tartarei æternis busti damnata caminis?
Infelix! nec te miseret Christique tuique!
Siste, furens. letho perfunctum haud simplice Numen
Quò revocas toties, atque ultra funera tendis?
Num recidiva pio satis est quæ Victima ritu,
Quotquot eunt luces, perque omnes concidit aras,
Mystica Golgothei referens solemnia sacri?
Hac-effræna-tenus jactaris crimina: metas
Hîc tandem præfige; hîc & suspiria ab alto
Corde trahens, torrentem oculis devolvere lympham
Quid cessas, Christique pio miscere cruori?
Heu qui te Oceanus lustralibus abluat undis?
Quo tristes maculas inferna piamine flamma
Excoquat? ipso etiam, mundi qui crimina purgat,
Si miser ingratam fœdaris sanguine mentem.

PATRUM LIBERATOR.

Expolians Principatus & Poteſtates &c. Ad Coloſſ. 2.

SOL, qui funereæ ſquallens caligine noctis
Inviſam Solymen & conſcia pectora facti,
Ignaroſque mali longè, nova monſtra videntes
Turbaſti populos; nitido ſpectabile cœlo
Redde jubar, lætoque incedens aureus ore
Accelera, extinctæ reparans diſpendia lucis.
Tuque, ſolum Hebræis trepido molita tumultu
Subtrahere, indignata nefas, & plangere diram
Viſa necem, Tellus, nunc omnibus excita geſti
Lætitiis, palmaſque ſacro conſume triumpho.
Victor, iô, Chriſtus Lethumque Orcumque triumphat.
Maxime Adamigenûm Vindex, qui, dum arbore ſacrâ
Latrones inter geminos lacrymabile corpus
Dependet, Solymorum odiis immane trophæum;
Obſcuram irrumpens arcem vaſtator, avari
Ditis opes, captiva piorum examina ſolvis,
Mox Erebo raptas vertens ad ſidera prædas;
Sit mihi fas tua facta loqui, durâque cataſtâ
Aſſertos ſpectare Patres, tumuloque dicare
Fracta tuis manibus palmaris vincula turmæ.
Ipſe viæ ignarum Vatem rege, Chriſte, per umbras.
Victor, iô, Lethique potens Orcique triumpha.
Corporis emiſſus templo, purâque refulgens
Luce Animus, junctum æterno cui fœdere Numen,
Telluris ſub operta, Patrumque ergaſtula fertur.
Non ea ſulfureis amplexi fluctibus amnes;
Non Diræ ultrices, non primo in limine cuſtos
Tiſiphone, ſecura quies, atque invia pœnis

Habeo claves mortis & inferni. Apoc. I.

Sanctorum ſtatio (donec felicis Olympi
Regia aperta vocet) Chriſtique incenſa cupido.
Jam ſpes libertatis adeſt, jam copia lucis,
Illuſtres Animæ, cùm fato extinctus acerbo
Chriſtus, iô, Victor Lethumque Erebumque triumphat.
Nec veſtrâ mortem pro libertate paciſci
Extimuit, patriaſque inhoneſto funere pœnas
Golgotheâ explevit moriens ſacer Agnus in arâ.
Nunc terrâ depreſſà, ſitu loca ſenta profectus
Spiritus auxilium lucemque optantibus affert.
Vos, quibus Umbrarum imperium, Limbique ſilentis,
Pandite ferratos converſo cardine poſtes.
Ne qua mora obſequiis. Qui prælia numine torquet,
Bellipotens valido incuſſam crucis ariete Ductor
Portam effracturus, trepidantibus ingruit antris.
Chriſtus, iô, Morti inſultans Ereboque triumphat.
Ut juſſæ patuêre fores, informiaque antra;
Solis inaſſueti radiis mirantur, & omnes
Attonitis inhiant oculis; quæ clara repentè
Tempeſtas? præcurrit enim, longeque coruſcat
Dulce jubar. ſedenim glomeratæ in turbine lucis
Ut vidêre Dei vultuſque habituſque gerentem;
Jam mundi primâ deſponſum ab origine Chriſtum
Agnovere; animiſque ultro certantibus omnes
Concurrunt, hærentque avidi, meritâque ſalutant
Laude Salutiferum Numen, pæana canentes.
Victor, iô, Chriſtus Lethique Erebique triumphat.
Continuò generis caput ille & cauſa malorum
Fœdifragus, Mortique aditus qui præbuit ultro,
Proſilit adventu liber cœleſtis Adami;
Primus & infernæ tetigit qui limina ſedis,
Inviſus fratri; Superis gratiſſimus Abel;
Sethuſque, & cuſtos demerſi Navita mundi.
Melchiſedech. Juſtitiæ Paciſque potens, qui ſceptra Sacerdos

Gesserat; exultansque avido nova lumina visu
Abramus rapit, & series longissima Patrum;
Quotque pii Reges, atque icti Numine Vates.
Christus, iô, Domitor Lethique Orcique triumphat.

Abrahā exultavit, ut videret &c. Joan. 8.

Tot sanctos inter Proceres, collectaque seclis
Sidera terrarum, Christo præcurrere natus
Qui caput augustum puro Baptista fluento
Abluerat, diæ testis vocisque Columbæque,
Emicat; &, mundum, ecce, suo qui sanguine lavit
Agnus, ait. simul ingentem veneratus Alumnum
Josephus, felix nimiùm, qui Virginis olim
Christiparæ Comes, & Sponsi sub nomine Custos:
Innumerique alii, Superos auctura propago,
Victorem alterno gratantur carmine Christum.
Victor, iô, Mortisque potens Orcique triumphat.

Salve certa Dei Soboles, æquæva Parenti,
Nec meritis nec honore minor; salve Optime Vindex
Terrigenûm, Lethi atque Erebi fortissime Victor!
Expectate diu tenebrosâ Morte sepultis,
Spesque salusque hominum, pleno jam temporis orbe
Venisti memor, & cælo descendere ab alto
Infernos etiam dignaris adusque recessus!
O quanti miserâ exhausti pro gente labores,
Quantaque Golgotheæ viderunt prælia cautes!
Sed moriens vitamque paris, proprioque cruore
Purpureus Victor Mortemque Orcumque triumphas.

Talia cantantes, nequicquam ululantibus Umbris
Inferiore antro, magnum per inane beatæ
Accelerant, dio perfusæ lumine, Mentes.
Æternæ horribilis noctis clarescit imago:
Uruntur sancto scelerati lumine Manes.
Felices Animæ, niveis in vestibus omnes,
Agmina junxêre Aligeris: hic carmine ovantem
Cœlituum chorus, ille Patrum, celebrare Theandrum
Certatim, pompamque unà duxêre triumphi.

Concava terrarum, & cœli convexa reſultant.
Victor, iô, Chriſtus Lethumque Erebumque triumphat.

ANASTASIS.

Apoc. 1.

PRIMOGENITUS MORTUORUM.

HACTENUS infernæ disjecta repagula ſedis
Adventum ſenſere Dei; pariterque benignam
Victoris, validamque manum cecinere ſoluti
Carcere ab umbroſo Manes: nunc artubus ingens
Reddit ſe vacuis & notum ſpiritus implet
Hoſpitium, triſti redivivum è marmore corpus.
Tu mihi, tu victo ſurgentum à funere Princeps,
Dux operis, nova jam feſſas in carmina vires
Suſcita; & infixum terris rape ad æthera vatem,
Chriſte, Parens vitæ, Mortiſque in morte Peremptor.
Ibat lecta cohors Procerum, Limboque relicto
Exultabat ovans, radiiſque accincta coruſcis,
Et molem objectam penetrans tendebat in altum,
Quà Chriſtus pandebat iter per devia terræ.
Ibat & Infantum legio, quos ubere præceps
Abſtulit Herodis furor; & formidine cœcâ
Dum petit inſolito monſtratum ſidere Regem,
Ceu teneros ſtravit crudeli turbine flores,
Impius, & lacteo perfudit ſanguine cunas.
Felix barbaries pueris! compendia longæ
Fecit ad aſtra viæ; palmæque inſigne decorum
Obtulit ignaris pugnæ; Chriſtumque tueri
Morte dedit. Puero pueri data victima, & Agno
Primitiæ cecidere: Agnum, quacunque ſequaces,
Et maculæ expertes niveo comitantur amictu.
Inde aliæ ſocias, immenſis millibus, addunt
Seſe Animæ, ſanctumque & non ignobile vulgus.
Nec non & fornax manes quos juſta piabat,

Munere inaſſueto gaudent : pretioque recenti
Largior indulget redimitque piacula Chriſtus:
Et culparum abolet calidus veſtigia ſanguis
Concretam expurgans labem, proque ignibus atris
Sideream accendit ſacratâ aſpergine flammam.
Poſtquam funereæ ventum in ſacraria rupis,
Corpus ubi viduatum animo, ſed Numine plenum
Decubuit : noſtri monimenta , en, Chriſtus, amoris,
En, ait, aſpicite, & veſtræ pretia ampla ſalutis.
(Ac ſimul immanes oſtendit corpore plagas)
Nimirum tantæ collapſam attollere gentem
Molis erat, communem Orbis ſarcire ruinam.
Nec queror impenſos vobis, mea cura, labores:
Ipſa juvant tormenta : & acerbi læta doloris
Præmia jam cepi, cùm vos è nocte profundâ
Aſſerui, & generis primæva in jura reduxi.
Ut fœdum vidêre nefas, ſedemque jacentem
Numinis, indigno mactatum funere corpus ;
Squallentem crinem ac rigido compuncta vepreto
Tempora, liventeſque genas alapiſque tumentes ;
Extinctos oculorum ignes, atque ora pudendas
Sputorum ſordes & amarum experta liquorem,
Confixaſque manus, terebratas cuſpide plantas,
Plantas & vaſto patefactum vulnere pectus :
Obſtupuêre animis Patres. At criminis Autor,
Conſcius admiſſæ labis, Princepſque nocentum :
Hanc ego te, æterni, video, Genitoris imago ?
Et tanti mortale genus ! quò te, Optime, noſtri
Egit amor ! talin' decuit ſuccumbere letho
Auguſtum, cœleſte caput ; Dominumque Deumque
Pro ſervo luere, & diras expendere pœnas
Terrigenæ ? ô nimiùm fatalis toxica pomi !
Corpore in hoc, ſceleris funeſta apparet imago.
Tum Symeo : ah , dulces venerandi corporis artus,
Quos gremio exceptos ſenioque trementibus ulnis,
Sidereum Infantem proprias dum ſiſtit ad aras

Intemerata Parens, avido mirabar amore!
Huccine divinus recidit decor? huccine ſancti
Oris honos, totiſque adſpirans gratia membris?
Sic te probrorum metam, immeritamque Parentis
Transfixurum animam præacutæ cuſpidis enſem
Prævidi, cùm te amplexu, mea vita, foverem.
Dehinc Jobus, recti ille tenax, Orcoque furenti
Inconcuſſus, & omnigenûm per acerba dolorum
Spectatus, Chriſti inſtar habens. mox corniger Heros
Sacra ferens tabulaſque; aliique ex ordine Vates
Dedecora, inter ſe, prædictaque vulnera monſtrant,
Sulcatoſque immanè flagris ſervilibus artus,
Perfoſſoſque pedes ferro, plantaſque patentes,
Atque ipſum cœcâ violatum cuſpide pectus.
Hi diræ inſtaurant cædis lamenta, dolentum
Aſſimiles; queſtu ſcelus execrantur acerbo.
Pars tacito ſtupet ore, avidiſque obtutibus hæret.
At medios inter ſeſe jam plenior effert
Numine Jeſſides; præit aureo carmina plectro.
Hoc erat, hoc præſagâ aliàs quod mente locuti.
En perfecta fides, magni & promiſſa Parentis
(Unà omnis cecinit Vatum chorus). ergo agè Victor
Surge Deus, caroque iterum te corpore miſce
Spiritus omnipotens. Laceros ſubit ilicet artus
Spiritus, ac membris rediit vigor. ille renaſci
Sordibus abſterſis viſus; ceu flava niteſcit
Lamina jam excocti purgatis fæcibus auri.
Ales odorato qualis renovata ſepulchro,
Aut pennis Aquila exutis, poſitâque ſenectâ:
Talis erat, tumulo ſpolium cùm funebre linquens,
Sindona collectam fragrantiaque unguine vela,
Emicuit Chriſtus, non morti obnoxius ultrà,
Terrenâ nec mole gravis, ſed luce decorus,
Et cui per ſolidum detur via marmor eunti.
Turbato injectus pelago, cetique ſepultus
Viſceribus Jonas, poſtquam tres ordine noctes

Egerat, incolumis monſtroſâ emerſit ab alvo.
Sic gremio egreditur terræ, jejunaque Mortis
Viſcera fruſtratur, fauceſque eludit hiantes.
Ac veluti diſcuſſâ umbrâ, penituſque ſubactis
Nubibus inſultans, aliuſque idemque reſurgit,
Et croceò arridens cultu formoſus Eous
Cryſtallum illæſam vibranti trajicit ictu:
Sic Dominus, vitæ remeat felicis ad auras;
Poſt tenebras faciles, ſic deinde ſopore ſolutus
Procedit ſponſus thalamo; ſimiliſque Giganti Pſal. 18.
Exilit, ac ſtrato victor procurrit Averno.
Ipſa etiam, æterni quæ pignora ſervat amoris,
Vulnera ſuavè rubent, vivos jaculantur & ignes.
Purpurei toto radii ſe vertice fundunt,
Quot priùs infixæ ſteterant ad tempora ſentes.
O decora! ô rerum miracula! quantus in auras
Poſt longos MARIÆ gemitus, lacrymaſque clientum
Surgit; & immotâ ſignati rupe ſepulcri,
Integræ clauſo ceu quondam ventre Parentis,
Exoritur, victâ ipſe ſibi jam morte ſuperſtes!
Protinus aligeri Juvenes ruere æthere ab alto.
Stant nivibus pallæ; vultu micuere coruſco
Fulgura. ſemianimis viſuque exterrita paſſim
Diriguit Latius, cuſtodia vana, ſatelles.
Tela manu delapſa ſolum ſtravere: viro vir,
Arma armis permiſta jacent. Vix mente receptâ
Diffugiunt Solymam, fulmenque inſtare paveſcunt.
Concuſſa intremuit tellus, revolutaque moles
Saxea ſpeluncam tumuli nudavit inanem.
At Chriſtus, Lethi imperio qui ſolus iniquo Pſal. 87.
Liber, & umbroſum latè populatus Avernum,
Nequicquam obſtructo extulerat ſe carcere victor,
Evolat ad Matrem. Tacito ſecreta receſſu
Illa ſedens, animoque inter diviſa ſepultas

Nati relliquias mentemque ſub ima profectam ;
Et confoſſa pio , non & dejecta,dolore,
Lugebat ſpe damna levans, votiſque ciebat
Maturos reditus ; qualis gemebunda columba,
Aut ſola amiſſos ſuſpirans turtur amores.
Nunc ſolito adſpectu lætos accendit honores
Antè laborantis triſti caligine Lunæ,
Pallenteſque novo reficit Sol lumine vultus.
Scilicet & Mortis ſpolia, & de Rege barathri
Primitias Genitrici offert ; Chriſtumque ſecuti
Indigetes circùm denſi glomerantur euntem,
Ac Dominam ſtudiis petiere ingentibus acti.
Reginæ parvas etiam venere ſub ædes,
Quos tumulis Chriſtus cineres eduxit apertis ;
Conſumptoſque novans artus, propriiſque beatos
Dotibus illuſtrans, nec pondere tarda caduco
Membra dedit, ſecura necis, ſecura doloris.
Qualia inauratis effingit nubibus ardens
Signiferæ Dux ille viæ, radiataque Titan
Sæpè ſui ſimulacra, alios parit aëre ſoles.
Succeſſere humili lectiſſima corpora tecto
Chriſtiparæ, Superûmque alacres plauſere manipli.
Nec cuiquam interea viſi auditive profano ,
Terriſque evecti delapſique æthere Chriſtum
Ingeminant, cælo ac terris venerabile Numen ;
Et Matris feſto pia carmine pectora mulcent.
O Mortis Domitor, Debellatorque Draconis ,
Agnus, monſtriferique Leo prædator Averni !
Tu mare, tu terras molitus & æthera, Verbum
Omnipotens. tibi mille acies, quæcumque coruſcis
Aligerûm caſtris legio eſt. tibi nomina mille ;
Regnaque nec metis rerum, nec tempore clauſa :
Sed gentes hominum pretiis immanibus emptas,
Captivoſque Erebi manes, arcemque beatam
Cæleſtûm æterno imperio complexa poteſtas.

Gaude, Chriſte, tuo; Nati gaude, Alma, triumpho;
Mox proprio: victæ debetur laurea Mortis
Altera, virgineoque exurget palma ſepulcro.
Jam felix, ſummos jam præcipe Mater honores,
Et quæ digna manent regnando præmia cælo.

CHRISTUS
COELO INVECTUS.

Triumphi divini ſpectator & præco David canit hîc Poëma variis è Pſalmorum locis teſſellatum; aſperſis etiam nonnullis aliunde ſententiis, quarum autor idem qui Regium vatem agebat Spiritus.

AUREA ſublimi Chriſtus convexa triumpho
Invehitur, plenis cæli cui ſe obvia portis
Agmina fudere Aligerûm, Patrumque manipli
Terrâ exultantes reducem ſuper aſtra ſequuntur.
I, David, Vateſque Deum Proavuſque Nepotem
Aëriâ ſectare viâ. me pulvere inerti
Reptantem, & fruſtra conantem aſſurgere, corpus,
Pigra tenet moles, cæleſteſque invidet auras.
Ardua tu mentis celeri multò antè volatu
Permenſus ſpatia, & ſuperi vetus advena mundi.
Hauſerat ætherios regali pectore flatus;
Tranſmiſſoque animo ventura in ſecula Chriſtum,
Magnaque Oliviferi collis ſpectacula longè
Ceperat admirans: manibus tum nablia Vates
Increpuit; ſacris tum cantibus ora reſolvit.
Lætiſonum clangorem inter Deus, ecce, tubarum
Aſcendit! Captivæ Animæ ducuntur in altum,
Libertæ Domini, & donis potiuntur opimis.
O ego felicis poſſim pars eſſe catervæ,
Victoremque ſequi, & citharâ tua dicere facta,
O mea Progenies! non me fulgentis Olympi

Sidereâ chorus ille lyrâ, non carmine vincet.
Dicam Orci domitas acies, portasque revulsas
Carceris inferni: Mortis feralia regna
Disturbata canam, & Stygio data vincla Draconi;
Quem teneri illudant pueri intactæque puellæ,
Te duce gaudentes, dirùm, sed inanè frementem.
Conscensâ tu nube equitas: tibi millia dena
Aligerûm, currus pennis per mutua nexis
Intexent; oculisque rotæ stellantibus ibunt
Fulguris in morem. Vitreæ super aëra lymphæ
Nectareos, veniente Deo, liquantur in imbres:
Et volvi assidui miris concentibus orbes
Suaviùs astra rotent Domino modulata recepto.
Tuque prior, tu laude Deum celebrare memento,
O dilecta Deo & genitum visura Tonantem
Abrami Soboles; cælique ad jura vocandæ
Isacidas inter nullo discrimine Gentes;
Scandenti Domino cæli super ardua, quà se
Purpureo exoriens tollit novus æquore Titan,
Plaudite, adorato gratantes plaudite Regi.
At vos, queis superi custodia credita Regni,
Aligeri Proceres, valvis bipatentibus altè
Regem, sidereo tollit quem Gloria curru,
Accipite ingentem & spoliis hostilibus auctum.
Quis novus hic superis adventat sedibus hospes!
Quis tantâ se mole ferens, & luce coruscus
Regiâ, honoratum summis caput admovet astris!
Armipotens Dominus, partâ certamine duro
Illustris palmâ Dominus, victricia cælo
Signa inferre parat. Portas diducite latè
O Proceres, portas æterno adamante rigentes:
Et, sua quem volucri sublimem Gloria curru
Extulit, ætherii Rex ingredietur Olympi.
Axe triumphali nam quis petit æthera Victor,
Quæritis, eximio Regis spectatus honore?

Bellipotens Dominus, Mortis qui Victor & Orci,
Humanæ aſſertor gentis, ſacroque Sequeſter
Sanguine, diſcordes cælo componere terras
Inſtituit; pacemque novam, nova fœdera ſanxit:
Hic ille imperio patrii ſuccedet Olympi.
Ocyùs indomito poſtes adamante ſuperbos,
Terrigenæ obſtructos fatali crimine poſtes,
Alati reſerant Proceres, æthramque recludunt.
Ille ſubit cantuſque inter plauſuſque clientum.
At Pater omnipotens, rerum inviolabile Numen,
Mobile depreſſi ſupra laquearia mundi
Impellit ſolium, Natoque occurrit ovanti.
Sancta coruſcantem ducunt Animalia ſellam;
Stellifer auratis Bos cornibus, igne jubatus
Colla Leo, præpeſque avium Regina volanti
Juncta Viro, cervice jugum concorde ferentes.
Subſedêre poli; lateque ſub axe ſonoro
Æterni incurvata tremunt faſtigia montis.
O Patris, ô Nati non enarranda voluptas,
Oſculaque, amplexuſque, & mutuus ardor Amoris!
Splendida inacceſſi caligo luminis obſtat,
Mortaleſque hebetat viſus: jam buccina ceſſet,
Jam citharæ; & cæli penitùs templa alta ſileſcant,
Dum Patrem alloquitur divino Filius ore.
Ecce redux, Genitor, perfecto munere JESU
Nunc adſum. Tibi non taurus mactatus ad aras,
Non hirci fuſus placuit cruor. at mihi corpus,
Servilem aptaſti formam, mortalia membra.
Tunc, proprio, dixi, venio ſcelera omnia lotum
Sanguine, nec Patris Natus mandata recuſo.
Virgineæ incluſus jacui penetralibus alvi:
Hibernæ mediâ exortum caligine noctis,
Purpureo non aula ſinu, non ara recepit
Ture ſacro votiſque calens: Regemque Deumque
Sordida vix ſtabuli hoſpitio præſepia natum

Admiſere : infans vagitu concava Verbum
Saxa repercuſſi, & lacrymis tenera ora rigavi.
Exin probroſo ſignatum ſtigmate copus ;
Exilia, & latebræ, & rerum gravis omnium egeſtas,
Et mundi artifices opera ad fabrilia palmæ :
Longa fames, denſuſque labor, griguſque calorque;
Ingratique odium vecorſque calumnia vulgi,
Nota tibi, Genitor, ſerieſque immenſa dolorum.
Dedecorum exhauſti calices, quos ipſe bibendos
Porrexti, felle undantes. Crux, ultima vitæ
Meta mihi. mox & tumuli feralia clauſtra
Ingreſſus, Stygiique adiens ſpelæa latronis,
Hæc ſpolia, hos refero Limborum è compede Manes.
Vixi, & quod dederas munus, Pater alme, peregi :
Diſcipulis nomenque tuum legeſque retexi.
In terris noſtro tibi gloria parta cruore :
Et nunc, orbe prior curſuque volubilis ævi
Gloria, quam fontis fecundâ è luce paterni
Uſque trahens, ter jam undenis peregrinus ab annis
Diſſimulo, reducem colluſtret Gloria Natum.
Filius hæc ; Pater æterno ſic rettulit ore.


Ego te clarificavi...& nunc clarifica me tu Pater &c. Joan. 17.

Aligerûm obſequiis, Reges ducentibus aſtris,
Terque per attonitas demiſſis vocibus auras
Hactenus, & crebris inſignem reddidit orbi
Prodigiis Natum Genitor : nunc ætheris alti
Imperium ſine fine dabit, regnique coronam
Tergeminam : tantorum hæc præmia certa laborum.
(Sic Dominum affatur Dominus) Par Nate Parenti,
Heic dexter mihi, Chriſte, ſede, capita æmula donec
Subjiciam invictis pedibus ; medioſque per hoſtes
Sceptra geras, quos terra parit, quos Tartara ſervant.
Nempe ego te ſancta æternum per lumina lumen,
Auroræ ex utero ceu purum denique rorem,
Progenui. Aligeris tantò caput altius effer,
Aligerûm quantò præſtantior ordine, Natus

Et clarificavi, & iterum clarificabo.

Auguſto

Augusto exuperas famularem nomine turbam.
Quæ-vis-cunq; Patrē (neque enim patiere repulsam)
Posce; dabo: latè Dominum, mundique supremum
Constituam Heredem. Tibi ferrea virga rebelles
Prosubiget: testarum instar, sublimia Regum
Confringes capita; & flammis septum ante tribunal
Discinctosque Duces dejectoque ore Tyrannos
Nudatos latera, & palmas post terga revinctos
Cum populis coges plangentibus. omnia Judex
Arduus ore tonans seclorum crimina coram
Expendes, penitusque accensa in Tartara merges.
Idem justa piæ decernes præmia genti,
Et tua consortes gaudens in regna vocabis.
Intereà humanam tibi fas componere sortem,
Ac placido infestos moderari numine casus.
Cùm mea terrigenûm in noxas exarserit ira,
Ultricemque reo pestem meditabitur orbi;
Tu latus effossum, plantarumque objice plagas
Et manuum. pictis appensus nubibus Arcus,
Fœderis antiqui testis fidissimus, arcet
Diluviem, ut nimbis obductus inhorruit aër.
Haud secùs accensum in terras oblata furorem
Vulnera placabunt: dextrâ extorquere trisulcum
Plagarum auxilio poterit Clementia fulmen.
Audiat hæc Cœlum, Tellusque & cœrula Ponti,
Inferni, Superique ac terris didita turba,
Omnes audito subsidant nomine JESU
Suppliciter proni; nec majestate minorem
Progeniem augusti dextræ assedisse Parentis
Confessæ, JESU celebrent præconia linguæ.
Sacra Sionæi supra fastigia Montis
Luce coronatus, regnandum insedit Olympum.
Numine sic David fruitur, Magnique Nepotis
Præcipit æternum decus, & pars ipse triumphi
Præsago Vates agitat sua gaudia cantu.



THEANDRICON

LIBER III.

CRUCIS ORACULUM.

IN CHRISTI

SUPREMA SEPTEM EFFATA

PROLOGUS.



Deste, viri Chriſtiani,
Quò Concionem advocat
Deus Orator.
Venerabundo ſilentio, Chriſti
Auditores,
Excipite ab ore morientis
Oracula vitæ immortalis.
Theorhetorem admiramini,
Divinorum Actorem

Inhumana Patientem;
Memorem etiam Inimicorum,
Sui pænè immemorem.
Ornatum ſi quis deſideret;
Tantò Elegantior tibi ſit,
Quantò pro te Deformior.
Stigmata Corporis,
Amoris Schemata videantur.
Novo diſpoſitionis ordine
Veniam Carnifici, Latroni Regnum,
Matri Diſcipulum,
Patri Spiritum tribuit.
Quid non Ars poſſit Divina?
Invenit, quo vel Deicidium excuſaret.
Quæ porrò dicendi vis & contentio!
Latus abrupit, Sanguinem profudit,
Animam efflavit.
Advola ad purpuratum Crucis Suggeſtum,
Quiſquis diſcere Artes cupis
Orandi, Agendi, Patiendi.
Delectationem ne quæſieris:
Dolorem Golgothea Rhetorice poſcit.
Utinam, quàm certò Docet,
Tam vehementer moveat,
Non minùs certè Corda, quàm Saxa!

VATES EVANGELICUS

PATIENTIS CHRISTI SPECULATOR,

EJUSDEMQUE PRIMO DE CRUCE EFFATO

Pro Transgressoribus rogantis.

AUDITOR ET PRÆCENTOR:

SIVE

CAPUT ISAIÆ LIII.

CARMINE PARAPHRASTICO REDDITUM.

Non Prophetiã mihi videtur texere, sed Evangelium. Hieron.

1. QUO rapis, attonitum sacra ad spectacula, Vatem
Omnipotens? seclis medium venientibus infers,
Intima lux, & mens animi, tacitoque repostos
Alloquio insinuas casus! Audita quid urges
Prodere, & Isacidis arcana evolvere fata?
Scilicet ingrati duras spargentur in aures
Hæc populi; nec tanta fidem miracula quondam
Invenient. Cui rerum Opifex, Vis maxima Patris
Illuxit, nostroque latens in corpore Numen?
2. Ceu tener, inculto deserta per arida campo,
Fallente attollet se surculus incremento;
Jesseæ radicis honos, cælestis & auræ
Afflatu crescens & lumine solis amico;
Verùm hebetes oculos fugiens, obtusaque corda.

[1] Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? (*Ioan.* 12. & *Rom.* 10. Domine, quis credidit, *ex versione* LXX. *Interpretum*)

[2] Et ascendet sicut virgultum (lactens, *Hebr.*) coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor. & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum.

Virgineâ exurgens florefcet Parvulus alvo,
Certa Dei Soboles : at Fabri fanguine cenfus,
Terræ ignotus, egens, Cæli Puer. undique fordet
In tenuis morem vulgi : natufque fub umbrâ
Obfcuram extremas vitam devolvet in umbras.
Nullus honos, formæ veftigia nulla prioris.
Ut vidi, ut ftupui, ut me facer obruit horror ! Cap. 52.
Et vidiffe tamen, vel fic, juvat. ô mihi clara
Opprobria, & pulchræ divino in corpore fordes !
3. Omnia vefanæ expertus ludibria turbæ,
Omnibus abfumptus pœnis, velut ima virûm fæx,
Calcatufque folo & furcâ fublatus atroci,
Confcius humanæ didicit miferefcere fortis.
Defpectum, irrifum, indecorem, dejecta pudore
Ora putes tegere, atque fuis fe involvere probris.
Divulfas rapido ungue genas, fputifque alapifque Cap. 50.
Squallentes cerno & preffos velamine vultus,
Serviat ut fcenæ ficti fub imagine Vatis ;
Jam fummo ad calcem perductum à vertice vulnus.
4. Ah, verè, nimiùm & noftros miferate dolores ;
Unus pro cunctis infando occumbere letho
Dignate, & tantorum oneri fubiiffe laborum !
Væ, cœci Abramidæ ! nimirum indigna propago
Cæli odiis noxifque urgeri, ac verbere diro
Percuffum, fœdâ laceris elephantide membris,
Credidit. 5. Ille autem perituræ crimina gentis
Suftulit ; & nobis quæ debita fontibus, infons

[3] Defpectum, & noviffimum virorum, virum dolorum, & fcientem infirmitatem. & quafi abfconditus vultus ejus, & defpectus ; unde nec reputavimus eum.

[4] Verè languores noftros ipfe tulit, & dolores noftros ipfe portavit. & nos putavimus eum quafi leprofum, & percuffum à Deo, & humiliatum.

[5] Ipfe autem vulneratus eft propter iniquitates noftras, attritus eft propter fcelera noftra. difciplina pacis noftræ fuper eum, & livore ejus fanati fumus.

Vulnera & ultrices Patris obvius excipit iras.
Icta cruore ſacro divinæ fœdera pacis:
Terrigenaſque hauſtu calicis medicatus amari eſt,
Ipſe malo languens alieno, & lividus artus,
Quos atri maculat penitùs vis acta veneni.
[6.] Nos, trepidas ut oves (campo cùm infeſtus aperto
In medias ruit, & vaſto lupus æquore turbat,
Sanguineam exercens rabiem) ſic flebilis egit
Tranſverſos, cælique à tramite diſpulit error.
Criminibus via ſecta; & non remeabile Averni
Quiſque ingreſſus iter. Vindictæ ingentis honorem
Pro merito, & læsâ pro majeſtate repoſcit,
Sacrato imponens capiti ſcelera omnia, rerum
Arbiter, & tantâ conſumpſit cæde furorem.
[7.] At non invitus (Chriſto mora libera mortis,
Et genus, & vitæ pariter mortiſque poteſtas)
Non conjuratis armiſve doliſve ſubactus
Feralem ad pœnam rapitur. ſeſe ipſe ſuumque
Devovit caput, & Solymæo tradidit hoſti.
Qualè bidens, manibus nil obluctata poparum,
Ducitur; & nivei tonſores velleris, agnus
Fert placidus, nulliſque reſolvens queſtibus ora.
Haud ſecùs immiti tacitus ſeſe applicat aræ;
Probraque ceu ſurdus, plagas ceu ſaxeus omnes
Suſtinet, & crudos vorat alto corde dolores.
[8.] Agmina condenſæ incurrunt petulantia plebis
Sponte ſuâ, & Procerum ſtimulis furialibus ardent.

[6] Omnes nos quaſi oves erravimus; unuſquiſque in viam ſuam declinavit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.

[7]. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.

[8] De anguſtia & de judicio ſublatus eſt. generationem ejus quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viventium. propter ſcelus populi mei percuſſi eum.

Vi Leges & jura fero turbata tumultu
Conticuere; minaxque perorat clamor iniquo
Judice, & infamem extorquet gens barbara pœnam,
Pendeat ut clavis altè suffixus acutis,
Sidereo dignus solio & cœlestibus aris.
Nam quæ vel Superûm rutilâ lingua aurea flammâ,
Lucis inaccessæ & patriæ penetralia mentis
Pandat, bisgenitique augustos Numinis ortus?
Æterno tamen hic Soboles æquæva Parenti,
Matre prior, velut infelix & inutilis arbos
Stravit humum, excisus ferro ab radicibus imis.
Illum ego (testatur sceleratæ gentis acerbo
Idem odio Vindex immensoque actus amore)
Mactavi, Natum Genitor.[9] Nec publica mundi
Victima sollennes templi procumbet ad aras.
Opprobriô pars ne qua vacet, mortalibus ausis
Permisi, addictumque neci, rituque profano
Cædendum, quà Mors ferali regnat in orâ,
Famosas inter cautes, loca feta nocentum
Suppliciis. pœnam cumulat pœnæ horrida sedes.
At deforme jugum & pœnarum immane theatrum
Relligionis honos excelsique ara Sepulcri
Clarabit; monimentum ingens ubi rupe sub altâ
Dives opum, dives virtutum exciderat* Heros.
Impietas simul atque eodem Mors obruta saxo;
Quæque caput scelerum, plagis confecta supremis
Sternetur, vastum, Solyme, fœdumque cadaver.
Namque & veridico semper dolus abstitit ore,
Et procul intactam fugerunt crimina mentem.
[10] Atque ipsum graviore manu, duroque flagello

Et erit sepulcrum ejus gloriosum. c. 11.
* Joseph ab Arimathæa.

9 Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua: eò quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

10 Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.

Immeritum obtrivit Dominus. Sic area pulsu
Continuo sonat; & spicis extusa, feraci
Rursus humo subeunt redivivæ semina frugis.
Hæc adeo spondet Genitor; Natumque benigno
Magnificè invitat, spes fallere nescius, ore.
Christus Adamææ si justa piacula noxæ,
Lustralemque animam servando impenderit Orbi;
Progeniem longo innumeram gratabitur ævo,
Sidera quæ cæli, pelagi quæ vincat arenas.
Illius arbitriis fingentur publica fata,
Et nutus jam læta virûm fortuna sequetur;
Dum placidas leges, sancti mandata Parentis
Implebit, largâ diffundens munera dextrâ.
[11] Durum exantlavit vepreta per aspra laborem
Agricola insudans operi, fletumque cruoremque
Addidit irriguum, & vitam pro fruge pacisci
Sustinuit. pingues optatâ messe maniplos
Exultans referet, cælique sub horrea condet.
Jamque ubi parta quies, fructus spectare juvabit
Curarum assiduos, mirantibus undique terris,
Atque avida humanæ corda exaturare salutis.
Alma Fides crassâ obductas caligine mentes
Sparget luce novâ, Superûmque arcana recludet.
Et Fidei comes ibit Amor; simul, auspice Christo,
Justitia effulgens melioris origine secli.
Diffugient tenebræ, scelerumque annosa tyrannis
Concidet; horribiles quorum feret hostia pœnas
Labe carens, urbis tamen extra mœnia abactus
Hirci execrati ritu, castissimus Agnus.
[12] Ergo illi, meritis pro talibus, agmina subdam

[11] Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur. in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.

[12] Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est. & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.

Lecta virûm, ætheriæ mox transcribenda Sioni.
Morte superveniens obitâ jam victor, ubi atro
Carcere securâque sedens in pace Tyrannus,
Terrarum spolia & convectas undique prædas
Servabat, manesque truci ditione premebat,
Tartareas major vires vis franget ; & illum
Prædonem solido Armipotens adamante revinctum
Exuet, infernâque pios caligine solvet.
Quin & opima suis exhausti præmia belli
Dividet, exuviisque aras ditabit ovantes.
Dedecorum augustos precio mercatus honores,
Furcam humeris Princeps velut alti insignia regni *Cap. 9.*
Extulit ; ac sævo distentus robore membra,
Triste pependit onus, cæli terræque Sequester
Latrones inter medius, qui numine Patrem
Æquiparat ; non ille alieni jura decusque
Imperii rapiens furto ambitiosus inani ;
Sed quæ alii rapuere, luens : Natusque Parenti
Servorum delicta, cutisque innoxia solvit.
Improba quem Solyma & gentes fudere profanæ,
Hoc Solymam totasque piavit sanguine gentes.
Ille etiam, cùm exusta siti tabentiaque ora
Deficerent, ora ille tamen moribunda recludens
Haud vindictam inhiat, trifidos haud evocat ignes ;
Dum linguâque manuque asper circumfremit hostis,
Sævitiamque jocosque admixtaque probra dolori
Certatim ingeminans, suspenso illudere lætus :
At veniam implorat patriam, occurritque furori,
Æthere qui rapido infaustæ superintonat urbi.
Quà licitum, incensis avertit fulmina votis :
Sanguinis ardentes restinxit fontibus iras.

CHRISTI MORIENTIS

EFFATUM I.

Pater, dimitte illis. Non enim ſciunt quid faciunt.
Luc. 23.

PONE, Sionææ vindex quæ fulmina genti
Arduus intentas dextrâ, Pater ! ah, quibus urbem
Implicitam tenebris, rerumque erroribus actam
Tartareus ſtimulat prædo, fallitque venenis !
1. Cor. 2. Si mea Judæis manifeſtâ in luce pateret
Gloria, quæque ex te venit immortalis origo ;
Nunquam hodie Cæli Dominum feralibus auſis
Suffixêntque cruci, meque hæc in probra vocaſſent.
Triſte miniſterium ſervando impendere mundo,
Decretique tui numeros implere laborant
Ignari, & cœco pietatem in crimine quærunt.
At tu prima, Crucem queis imbuo, ſuſcipe vota,
O Genitor ! ſummus tibi victima cæſa Sacerdos
Has mediâ jam in morte preces cum ſanguine fundo.
Ipſe ratas Pater eſſe jube, ſi quà tibi noſter
Dulcis amor, ſi quid luſtralia ſacra merentur.
Talia Golgotheo ſuggeſtu exordia fecit
Purpureus Cæli Orator. quot vulnera membris,
Tot reſonant patula ora ; fluuntque in verba cruores.
Stat rigidis frons hirta rubis; laniataque membra,
Et palmæ & ferri tranſactæ cuſpide plantæ
Horrent : nec ſannis oculos vexare potervis
Infrænæ ceſſant furiæ ; multoque cachinno
Cæduntur placidæ & dictis mordacibns aures.
Ipſe autem (proh digna Deo clementia !) tantos
Senſibus accipiens æquis animiſque furores ;
Immemor ipſe ſui, necdum ſolatia Matri
Debita perfunctus, Genitorem affatur amico

Suppliciter gemitu,& miseris placare laborat.
O pietas ! sic ille feros ulciscitur hostes !
Infandum molli prætexit nomine crimen.
Quid faceres, verè nescisti perdita, necdum
Ultricem agnoscis gens immiserabilis iram ;
Non labem antiquam generis, fontemque malorum.
Ac tibi, quæ Moses radiatæ mystica fronti *2. Cor. 3.*
Prætendit quondam velamina , nunc quoque densam
Objiciunt nubem ; & vibrantia tela retundunt
Luminis, incassum toto quæ plurima cælo
Emicuere, gravesque oculos animosque lacessunt.
Nil jam expleta suis tangunt oracula rebus !
At vesana premens Solymos inscitia, latè
Fœda per omnigenos sparsit contagia fontes.
Naturam ingenio quamvis complexus, & arte
Lumina Cecropii vincat Geniosque Lycei ;
Ignarum arguerim, recto quem tramite culpa
Incautum & veræ deflectat lucis egentem.
Heu demens ! nec quæ virtutum præmia, novit,
Nec quantæ incumbant violato à Numine clades :
Errantesque oculos Stygiæ offudere tenebræ.
In primis, quicumque odio flammatus & irâ
Exigit ultrices inimico à sanguine pœnas ;
Gloria seu mendax, furiisve accensa libido
Barbaricum infami Martem exercere duello
Suasit, ubi ardenti rapidam ænea fistula glandem
Pulvere agit, gladiisque parum sævire putatum est:
Quò ruat infelix, animæ contemptor & Orci,
Nescit, & immanes tantùm sub pectore curas
Turbidus in fratres versat superumque Parentem ;
Gaudet & infandos Christo instaurare dolores.
Parce tamen, parce ô sceleri placabile Numen,
Nunc quoque , nunc miserans ! ah , ne irrita dicta ferantur,
Quæ Magnus, delubrum adolens fatale, Sacerdos

Ignea cum fletu supplex & sanguine fudit !
Teque adeò, quem non, Eoam lampada cælo
Matt. 5. Attollens generique pio turbæque nocenti
Communem, ac lætos pariter discrimine nullo
Desuper infundens agris hostilibus imbres,
Fulminis & parcus Genitor veniæque profusus,
Molliit ; hæ Christi doceant mitescere voces,
Factaque & attonitum celebrata exempla per Orbem.

EFFATUM II.

Amen dico tibi : hodie mecum eris in Paradiso.
Luc. 23.

INFELIX arbos, genus execrabile lethi,
Ut primâ imbuitur divini aspergine roris,
Continuò lætos generoso è semine fetus
Pinguibus effundit cælo gratissima ramis.
Hos adeò fructus, hæc vitæ, morte sub ipsâ,
Munera sublegit scelerisque piamina Latro
Numinis affixus lateri, pœnâque beatus.
Ultro insultantem dictis ac sæva jocantem
Tormento in medio & supremo criminis actu,
Prædonem egregiâ censor sic voce refellit.
Heu miserum ! sic nulla Dei reverentia tangit !
Tune etiam, tu sacrilegis incessere dictis
Hunc, furiose, audes pœnâ damnatus eâdem ?
Et nos digna quidem, jamdudum & debita factis
Supplicia excipiunt : Hic verò criminis expers
Vim cunctam atque sales perfert populique patrumque
Immotus, sensuve carens similisve carenti.
Haud hominem vox illa sonat, quæ impenditur hosti,
Delictum exonerans, veniamque à Patre precatur.
His ubi furciferum increpuit ; dehinc lumina supplex
(Lumina ; nam palmas clavi tenuere trabales)

Ad Chriſtum tulit, &, regno cùm adveneris, orat,
Confixi meminiſſe bonus dignare Latronis.
Hoc tantum. Facili Chriſtus ſic rettulit ore.
Immemorem me nulla dies, falſumve probarit.
Promiſſis mea certa fides. haud irrita cedent
Vota tibi. Collega Crucis, collega doloris
Succedes cælo, regnique in parte ſedebis.
Mecum hodie felix divini luminis auram
Accipies, vitamque feres à morte perennem.
Fortunate Latro! quis tantum ambire precando
Edocuit? quis ſic Regem captare propinquum?
Quæ te autem Regis ſpecies objecta movebat?
Auguſtæ nam quæ gemmata inſignia frontis
Aſpectas, trabeæve oſtrum, nitidumve ſuperbæ
Sedis ebur? Spinæ rigidam infixere coronam;
Crux, ſolium eſt; totoque erumpens corpore ſanguis,
Purpura. Non iſthæc animum ludibria fallunt.
Nempe ſuum patrio credis ſuper æthere regnum,
Æternum, immenſum tormenta per ultima adiri.
Necdum etiam tenebris obtendi ſidera, necdum
Terrarum juga cœpta frementibus undique ſaxis
Convelli, aut triſtes reſerare ſepulcra cavernas.
Mira ſed exuperans tranquillo pectore virtus
Horribiles inter plagas, immania probra,
Dum pacem, ah! rabidis moriens pacem hoſtibus orat;
Scilicet & plenis exundans Gratia rivis
Magnificum oſtendit Regem, Numenque probavit.
Felix, umbroſas cui mox datur ire per oras
Affuſis radiis & Chriſti luce coruſco!
Felix, cui vaſtis ardentia Tartara pœnis
Lucifugamque manum & fractos calcare dracones
Victoris licuit veſtigia magna ſequenti!
Tum quos mitis habet ſanctos cuſtodia Manes
Abrami in gremio & terræ penetralibus altis,

Aſſertos Erebo ſupera ad convexa ferentem
Aſpicies, pars ipſe ſacri non parva triumphi.
O mihi tam placidas audire in funere voces
Contingat, dextrumque latus ſervare Tonantis;
Crux ubi fatalis cæloque inſcripta rubeſcet
Sanguineo fulgore minax! ſimul arduus igneâ
Nube ſedens Judex, terrarum opera omnia certis
Lancibus imponet, pœnaſque & præmia ſummo
Dividet arbitrio, & jus irrevocabile dicet.
Ceu blandis ovibus petulantes ſegregat hircos
Tityrus; inſontes dextrâ, lævâque nocentum
Submotam immenſo ſtatuet diſcrimine turbam.
Hi, ſidente ſolo, Stygios volventur ad ignes:
Ætherios illi colles & amœna beati
Arripient nemora, & ſtellis florentia regna.
Ne verò, ne rari animos exempla favoris
Decipiant; neu ſpe miſeram ſe lactet inani
Gens vitiis infixa, & amans inoleſcere ſordi.
Quin, ô, ſupremæ ſi provida cura Salutis,
Furciferi alterius memores, fatum inter utrunque
Speque metuque, viri, miſtam ſuſpendite mentem,
Conſulere & dubiis maturè diſcite rebus.
Quàm temere cadat æternæ jacta alea ſortis!

EFFATUM III.

Mulier, ecce Filius tuus.
Ecce Mater tua. Joan. 19.

STABAT ferali ſub ſtipite regia Virgo,
Ah, dulcem medio ſpectans in funere Natum,
Ipſa animo confixa, immani ſaucia luctu,
Jam ſine Prole Parens, jam Matris nomen & umbra.
Aliger ætherio quondam legatus Olympo
Felicem ante alias cecinit coluitque Puellam,

Gratia cui totos infudit prodiga fontes;
Quam Deus, illabens uteroque animoque, ſacravit,
Ac ſua præſenti cumulavit Numine dona.
At nunc, heu! longè felicis gaudia mentis,
Longè illi decora & plauſus gratantis Olympi.
Nunc Domino erepto viduamque orbamque dolores
Exercent, animamque immenſo vortice torquent.
Digreſſo Genitrix olim ſuper anxia Nato,
Dum trepido amiſſum quærit per compita greſſu,
Multa rogat Solymaſque nurus Solymaſque puellas,
Dilectum ſi quà vidiſſent fortè Puellum.
Materno hæ deſiderio, gemituque viciſſim
Quærere perculſæ. Qualis tuus, Optima, qualis
Ille tuus! tecum amiſſos quæremus amores.
Ah, delapſe Puer cælo, mea ſola voluptas!
Quâ tua, quâ caros exſcribat imagine vultus
Purpureos niveoſque Parens? ubi lilia vivâ
Miſta roſâ velut areolas pinxere genarum.
Aureus effulget vertex; nitet æmula palmæ
Cæſaries foliis, nigroque ſimillima corvo.
Lacteolæ mites oculi de more columbæ,
Illecebriſque micant, vivâque à luce renident:
Coralio rubuere madentia nectare labra.
Collucent teretes palmæ, ceu plurimus auro
Stellantes digitos hyacinthiſque annulus ornet.
Major & humanâ ſpecies, blandiſſima toto
Corpore Majeſtas Virtuſque auguſta coruſcat.
Quis deſideriis, amiſſo pignore tanto,
Sit modus, aut quæ digna meis ſolatia damnis?
Talia divino Salomonis carmine Mater
Viſa queri; donec longo jam exhauſta labore
Spectatum templo in medio Patrumque coronâ
Reppetit admirans Puerum, gaudenſque reduxit.
Nunc vulgi inſanos fremitus æſtuſque ſecuta,
Raptatum ad pœnas totâ mæſtiſſima Chriſtum

Qualis eſt Dilectus tuus...? Dilectus meus candidus &c. Cant. 5.

Quæſivit Solymâ ; quæritque gemitque repertum.
Quàm diſpar tuus ille ſibi ! quàm decolor ille
Aureus, ô Virgo ! triſti quàm lividus ore !
Verticis, en, ſacro florens intonſus honore
Nazaræus hic eſt ! manibus direpta potervis
Cæſaries ; quæ pars ſuperat, concretaque tabo
Et capiti immiſſis ſilveſcit ſquallida dumis.
Ut ſputa indecores onerant graveolentia malas
(Ludibrii genus !) atque atro confuſa cruori
Sideream inceſtant faciem, cæleſtiaque ora,
Lurida jam plagis colaphiſque immitibus ora!
Vix adeo, vix ipſa ſuum dignoſcere, vultuſque
Informes potuit, totos & inhorruit artus.
Nec verò pudet opprobrii : confeſſaque Matrem,
Officiis, ſi quà liceat, membra ægra trahenti
Subveniat durum per iter : ſparſumque cruorem
Sublegat, heu, pedibus calcari queſta profanis.
Divinæ indignum nil majeſtate Parentis,
Nil humile aut fractum patitur. Non illa dolore
Diriguit ; linquente animo non illa ſuorum
Collabi inter viſa manus. invicta theatro
Golgotheo ſtetit, & tragici ſpectacla furoris
Suſtinuit, propriâque oculos in cæde morata eſt.
Sub pedibus titubante ſolo, jam jamque ruinam
Cum trahat & ſcopulis diſſultet Golgotha ruptis,
Ipſa immota loco & diræ vicina Cruci ſtat.
Gratia, ut indomito ſurgentem robore palmam,
Mentemque & fragiles ſuſtentat corporis artus.
Haud minùs illa tamen cœco depaſcitur intus
Supplicio. collectus amor Matriſque Patriſque
Corde in virgineo, Naturæque addita Virtus,
Unigenæ merita, & truculentæ crimina gentis,
Immenſum teneræ incumbunt ſimul omnia pondus.
Mille agedum compone cruces, uncoſque rotaſque,
Mille neces. levia hæc ; & quidquid barbara quondam
Invenit

Invenit feritas, quidquid veſana Tyrannis
Chriſticolas mox in pugiles exprompſit acerbi,
Famoſo ingenio & Stygias graſſata per artes.
Ante aras durâ Symeonis voce recluſus
Jampridem, triſti oraclo, fert myſticus enſis
Palmam ſævitiæ, pœnarumque unus acervos
Omnigenûm exuperans, & ferro & dirior igni,
Per fibraſque acer perque ipſam rumpere mentem.
Sed tacito vaſtos ſub pectore continet æſtus,
Anxiferamque obnixa premens vim atrociùs urget;
Ac forti tantùm gemitu fletuque decoro
Teſtatur vivo molliſſima viſcera Mater
Diſcindi ſenſu, & Nati cruciatibus uri.
Concentù miſero Chriſti Mariæque dolores
Reſpondêre ſibi, & duplicis commercia lethi.
In luctus animoſa tuos, miſeranda vel hoſti,
Ah! Genitrix, ah! parce oculis Natique tuiſque.
Ut ſtare orbatam JESUS cruce vidit ab altâ,
Fatiferoque ictam præcordia ad intima telo;
O Mulier Fortis, nec mole oppreſſa malorum,
Ecce tuus (ſimul hæc multâ vi pectore ab imo
Eluctans, caro advertit languentia Alumno
Lumina, & obtutu placido nova munera ſignat)
Hic noſtri inſtar erit; viduam hoc ſolare ſenectam.
Ore dehinc Juvenem appellans oculiſque remulcet
Adſtantem, & Nato pariter Matrique dolentem;
Dilectum Juvenem ante alios, & flore pudoris
Virgineo inſignem. Pietas interrita caſu
Fecerat extremo comitem, truncoque propinquum,
Unde ſuus pendebat amor. nam cetera fœdo
Turba metu Sociûm diffugerat: ilicet horto
Sparſit Olivifero terror, latebriſque recondit.
Carnifices inter ſolus turbamque furentem
Conſtitit hic, Dominum fata ad ſuprema ſecutus;
Et Mariæ in caſus Juvenis Zebedeïus omnes

Aſſecla, nec ſpem tantam agitans, fidiſſimus hæſit.
Cui Chriſtus moriens. Nati tu concipe curam :
Exemplis accede meis, ſuccede perenni
Obſequio, Matrem ac Dominam veneratus eandem.
Felix ſorte piâ, fortunatuſque dolorum
Ille Comes, ſua quem vocat ultro in jura Theander !
Nimirum hoc aliquid majus, quàm nocte ſupremâ
Per cœnam, divinæ inter præludia mortis,
Cervicem auguſti gremio requieſſe Magiſtri.
Tempore quanquam illo Socios ſtupor altus habebat:
Dumque metu ſuſpenſi hærent, dumque omine diro
Turbati inter ſe muſſant, atque ipſe latronis
Infandum trepidat Cephas exquirere nomen;
Pectoris hoſpitio & noto confiſus amori,
Prodere prodentem Chriſto parcente, Joannes
Elicit indicium. porrecto dextera libô
Præſcia, vipereo cœcum ſub corde venenum
Tartareumque nefas furialiaque auſa retexit.
At partes nunc ipſe ſuas, ſua munia tradit
Rex Superûm ; & Matrem, toto quæ carior orbe,
Aſſignat famulo , ſupremi pignus amoris.
Heredem ipſe novis tabulis & ſanguine ſacro
Scripſit. vos, ſcopuli, teſtes, & Golgotha Chriſto.
Ac ſenſum Natique Deus Matriſque viciſſim,
Mirâ voce potens, communem afflavit amorem,
Cordaque cæleſti junxit caſtiſſima vinclo.
Qualis ubi invidiâ præceps furiiſque Caïnus
Inſontem, & niveis ſimilem, quos paſtor agebat
Pinguia ſacra litans, agnis mactavit Abelem,
Fraternoque rudem violavit ſanguine terram
(Prima, nec expertæ documenta immania Mortis !)
Horruit infelix, & jam non vana minatum
Eva parens didicit præſenti funere Numen.
Prolis at ereptæ miſerans ſolatia fecit
Prole aliâ, Sethumque Deus ſubjecit Abeli.

Sic populi rabido Isacii livore peremptam
Progeniem lugens, semenque caputque piorum,
Alterum ab alterius suscepit funere Natum
Diva parens. genus inde novum, nova pignora surgent.

Primigenæ partu ante alias felicior omnes
Virgineo, & solitos Matrum haud experta labores;
Nixibus hîc quantis abrupto corde minorem
Parturiit sobolem! tunc inter carmina læta
Aligerûm; nunc sacrilegæ convitia turbæ,
Scommata Avernalis stridore accensa colubri;
Speluncâ in mediâ tunc clarescentibus umbris;
At nunc deficiente die, pallentibus astris.

Nos quoque, nos, primæ extinctos jam crimine Matris,
Una omnes dio recreatos semine adoptat
Virtutumque virûmque Parens: nos posthuma proles
Christiparæ orbatæ subito succrevimus ortu.
Humanæ illa vicem gentis Zebedeïa gessit
Progenies. Fratrem, nec servi nomine dignum,
Me sibi Christus amat, Genitrici adjungere Natum.

Sic ô! sic Matrem præsta; Natum ipse vicissim
Rite geram! finge, Alma, tuum, geminumque Joanni,
Nec Christo absimilem, atque indignum sanguine tanto.

EFFATUM IV.

Priorem hanc primi versus partē ita Christus pronuntiavit ex Hebræo: quæ sic habet è Græca versione LXX.

Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?
Matt. 27.

PSALMI XXI. PARAPHRASIS.

1. Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?

1. O Deus! ô scelerum non exorabilis ultor!
(Non ego te Patrem solito jam nomine dicam;
Dulce Patris rigido mutasti Judice nomen)
Huc illos adverte oculos, quorum imbuis æthram
Luce sacrâ, noctisque horrentes discutis umbras.
Respice me, Christi indecores nunc respice vultus.
O Deus! heu, quianam morientem tu quoque Natum
Hostiles inter furias, sævosque dolores
Insontem, & longè meritum potiora relinquis?

Longè à salute meâ verba delictorū meorum.

Nempe Adamææ delicta immania prolis,
Supposui queis me ipse reum, pœnisque volentem
Addixi, optatam procùl avertêre salutem.
Ferrea vox scelerum, cæli ad convexa remugit,
Nec patitur nostros audiri ex æthere questus.
2. Luctisono incassum lucem clamore replebo;
Ut frustra, sub nocte, tuas clamoribus aures
Montis Oliviferi funesto abjectus in horto
Appetii, statio nostrorum ubi prima dolorum.
Nec verò insani quisquam mihi nomen iniquus
Impingat, vanasque preces derideat ultro
Insultans inopi rerum, auxiliumque roganti.
3. Tu sanctam ætheriæ Solymes, fulgentia templa,
Sedem habitas, Deus, Isaciæ laus unica gentis:

2. Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies; & nocte & non ad insipientiam mihi.

3. Tu autem in sancto habitas, Laus Israël.

Mosæum hospitio nec dedignatus amico
Legiferæ delubrum Arcæ; nubisque per umbram
Aurea majestate implens penetralia, sacris
Ipse tuis aderas. 4. In te velut anchora jacta est
Nunquam expectato Patrum spes cassa favore.
Incolumes tua dextra dedit, mediisque malorum
Fluctibus exemptos placido considere portu
Annuit. 5. Orantûm quoties clamoribus æther
Insonuit, non tarda salus pia vota sequuta est:
Irrita nec dubios inter fiducia casus
Erubuit, fœdamque tulit delusa repulsam.
6. Tenuis ego, ac dudum subrepens pulvere vermis,
Nunc rigido attritus pendens è caudice; nec jam
Forma super. vix umbra mihi, confusaque imago
Semihominis, monstrum invisum, seu publica labes,
Terrarum opprobrium, plebisque & ludus & horror.
7. Qui me cunque oculis, expostum ad spicula signum,
Signum infelici præfixum stipite lustrant;
Protinus ostentum exagitant lacrymabile, acutis
Sannarum aggressi telis; risuque feroces,
Projectisque labris & adunco illudere naso,
Succussant capita & linguis convitia jactant.
8. Scilicet ex genitore olli suspensa Deo spes.
Illum adeo eripiat, salvumque à morte reducat,
Si probat ipse suum, atque ingentibus asserat actis.

4. In te speraverunt Patres nostri; speraverunt, & liberasti eos.

5. Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt; in te speraverunt, & non sunt confusi.

6. Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis.

7. Omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labiis, & moverunt caput.

8. Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.

9. At tu me clausâ extractum complexus ab alvo,
Spes mea, virgineoque ex ubere Matris, alumnum
Fovisti exceptum gremio. 10. Jamtum mihi Numen,
Primitiasque tibi vitæ, cursumque sacravi,
Antè sub aërii quàm luminis editus auras.
Et concreta mihi Pietas, adolescere mecum
Relligio visa est : nec pars ævi ulla vacavit
Jurato immunis cultu. ne me, Optime, solum
Destituas ; sanctique memor quæ vincula nexûs
Adstringant, præsens sociali numine firma.
11. Horrida quippe instat duri tritura doloris :
Nec quisquam auxilio subit, atque inimica refellit
Agmina. sed longe absistunt, fugiuntque propinqui
Sanguine ; & infidos pudet, agnovisse, sodales,
Tristia ceu metuant diræ contagia noxæ.
Ac si quos, molli tactos præcordia sensu,
Haud pudor avertit mistâ formidine ; & hostes
Per medios stat mœsta Parens, & rara Parenti
Juncta manus comitum ; suspensum haud ulla juvandi
Copia. 12. Concurrunt acres in me undique tauri,
Pingues, indomiti, & validâ cervice lacessunt,
Inclusumque feris obnixi assultibus urgent.
13. Rictu inhiant hostes avido, dentesque cruentos
Exacuunt : quo more leo rugitibus ardens,
Quem longa impasti stimulant jejunia ventris,
Mite pecus rapit & vasto vorat improbus ore.

9. Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre : spes mea ab uberibus matris meæ,in te projectus sum ex utero.

10. De ventre matris meæ Deus meus es tu ; ne discesseris à me.

11. Quoniam tribulatio proxima est ; quoniam non est qui adjuvet.

12. Circumdederunt me vituli multi ; tauri pingues obsederunt me.

13. Aperuerunt super me os suum ; sicut leo rapiens & rugiens.

14. Sanguinea eluvio, venis undantia ruptis
Flumina præcipitant : compagibus oſſa ſoluta ;
Diſperſi fruſtatim artus, corpuſque receſſit.
15. Pectore ſub medio liquuntur cerea corda,
Quæ teneri duram in gentem vis urit amoris ;
16. Coctilium ritu teſtarum arentque rigentque
Cetera dum ſucco defecta & robore membra :
Linguaque adhæreſcens ſiccas coquit aſpera fauces.
Jam vitâ exhauſtâ, gelidæ me in pulvere mortis
Straviſti, tumulique incumbo cernuus umbris.
17. Eheu, quàm circùm denſi latratibus inſtant
Et rodunt rabido ore canes ! obſedit inermem
Concilium infauſtum Solymæ, proceresque maligni,
Ac nimiùm ſtudiis Procerum ſervire paratum
Vulgus, & innumeris collecti à gentibus hoſtes.
18. Humanam aſſiduas, grave opus, verſare ſalutem
Transfodêre manus & acutâ cuſpide plantas,
Quæ cæli ſua per veſtigia ſternere calles
Anguſtoſque aditus exemplo aperire laborant.
Plagis oſſa retecta, rubentibus oblita rivis,
Luxaque, diſtentoſque extant numeranda per artus.
19. Spectant læti odio & ſucceſſu criminis hoſtes :
Detractaſque mihi veſtes, ut opima tulêre
Partiti inter ſe ſpolia ; & non ſutile textum

14. Sicut aqua effuſus ſum : diſperſa ſunt omnia oſſa mea.

15. Factum eſt cor meum, tanquam cera liqueſcens, in medio ventris mei.

16. Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis : & in pulverem mortis deduxiſti me.

17. Quoniam circumdederunt me canes multi : conſilium malignantium obſedit me.

18. Foderunt manus meas & pedes meos : dinumeraverunt omnia oſſa mea.

19. Ipſi verò conſideraverunt & inſpexerunt me : diviſerunt ſibi veſtimenta mea ; & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Talaris tunicæ, damnoſo exercita ludo
Carnificum ſorti ſubicit manus : ac mea rident
Vulnera, quoſque ipſi ludos fecere dolores.
20. Ne verò, ne me auxiliis hoc cardine rerum,
O Domine, ô trepidos nunquam fruſtrate clientes,
Orbatum patiare : ſed huc adverte benignos
Obtutus, Natumque manu defende potenti.
21. Intactam ſceleri hanc animam, caput hoc tibi ſacrum
Subtrahe præſenti exitio ; frameamque minacem
Et noſtro intentam lateri procùl excute ſævi
Militis arma manu : vindex frange hoſtica tela ;
Vimque canum rabidam & morſus compeſce furentes.
22. Comprime ſanguineos rictus iraſque leonum ;
Terribiles cornu frontes averte ferarum ;
Afflictoſque artus, humilem diſcerpere prædam,
Ah, prohibe miſerans Opifer ! totne hoſtibus unum,
Tot jaculis Deus objectum necibuſque relinquas ?
23. Fratribus inde tuum narrabo in ſecula nomen
Rite memor ; cœtu in medio tibi carmina dicam.
24. Vos, ô, quos ſummi reverentia Numinis afflat,
Splendida cæleſti Domino præconia laudum
Fundite : tuque, Deo ante alios qui carior omnes,
Iſacidæ cane feſta libens encomia ſanguis.

20. Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice.

21. Erue a framea Deus animam meam ; & de manu canis unicam meam.

22. Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam.

23. Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Eccleſiæ laudabo te.

24. Qui timetis Dominum, laudate eum : univerſum ſemen Jacob glorificate eum.

25. Illum Abramigenæ justo venerentur ovantes
Obsequio, quoniam non aspernatus egenum est:
26. Nec faciem aversus, pronas clamoribus aures
Indulsit, precibusque ratis sua præmia sanxit.
27. Tu mihi materies laudis: solennia dona
Concilio in magno voti reus, inque clientis
Conspectu populi nostras operatus ad aras
Persolvam: 28. Atque inopi convivia pinguia turbæ
Instituam templis. Cælesti accumbere mensæ
Fas erit, & læta ad satiem mysteria pasci.
Tunc saturi augusto luxu dapibusque beatis
Convivæ grates Domino laudesque rependent
Soliciti illius divinam exquirere legem,
Imperiumque sequi, placidosque capessere nutus.
Nec qui immortales epulas gustaverit olim
Ore pio, mortis vim duram & ferrea jura
Permetuat. sacrâ decerptus ab arbore fructus
Sontibus indictam pestem fataliaque arma
Longè arcet, vitamque æterna in secla propagat.
29. Tunc nulla obrepent animis oblivia cæli:
Terrarumque oræ, quas nunc letalibus umbris
Fœda superstitio superique ignara Parentis
Oppressit, mundique Potens sua sub juga traxit;
Omnes ætherii conversæ ad luminis ortus
Agnoscent rerum Dominum. 30. curvoque tremendos

25. Timeat eum omne semen Israel; quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

26. Nec avertit faciem suam à me; & cum clamarem ad eum, exaudivit me.

27. Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.

28. Edent pauperes & saturabuntur; & laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in seculum seculi.

29. Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ.

30. Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.

Poplite adorabunt populorum examina vultus.
31. Namque Dei imperium est. latè Rex ille per omnes
Explicuit sceptrum gentes: solia ardua Regum,
Cervicesque premit, vectigalesque coronas.
32. Atque ubi sacratum vesco sub tegmine corpus
Excepere Orbis Proceres, Cælique saginâ
Felices hilarant animas; tunc supplice verrunt
Pectore humum, dignos meditati Numine cultus.
Ipsius ante oculos, ævi quotcunque peracto
Curriculo, effossæ revoluti in viscera terræ,
Unde genus duxere, abeunt; priùs ore caduco
Sternentur Domini ante pedes, pacemque rogabunt.
33. Primus ego actutum superas rediturus in aures,
Nil ultrà morti debens, pœnisque solutus;
Discussâ ceu Stella nitens caligine, ab umbris
Exurgam infernis, matutinâque coruscus
Luce dies agitare novos, longisque sequentum
Ordinibus signare vias. jam munere pleno
Omnipotens animam & consortia membra beabit.
Utque ego, sic nostrâ venturi à stirpe nepotes
Impendent alacres vitam, obsequiumque fidele
Navabit gradiens per avita exempla propago.
34. Et Domini benefacta patres in postera secla
Transmittent famâ memori: cælestiaque ora
Justitiam illius celebri sermone loquentur;
Justitiam, cujus clarum & spectabile signum
Crux erit hæc, cui me affixum Deus immolat ultor.
Auribus hanc olim atque animis ingentibus haustam

Inscriptus est Psalmus ex Hebr. *Pro Stella Matutinâ.* Quo se titulo Christus ipse afficit. *Apoc. 22.* eoque Resurrectionis indicatur gloria.

31. Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur gentium.

32. Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ: in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

33. Et anima mea illi vivet; & semen meum serviet ipsi.

34. Annuntiabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt cæli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Usque colet populus surgens melioribus annis;
Quem Pater ipse meo prognatum sanguine terris
Educet, rutilamque super dabit ire Siona.

EFFATUM V.

Sitio. Joan. 19.

AUDIERAM sanctos liquida inter gaudia fontes,
Soteris fontes, æternum fundere nectar,
Communes Orbi latices: nunc illa perennis
In Cælum salientis aquæ defecit origo.
Mellitas rigido qui cautis ab ubere lymphas
Extudit, inflicto Mosææ verbere virgæ;
Samsoni defesso & vastâ cæde calenti
Egelidos pecudis projecto è dente liquores
Elicuit; jam ardente siti confectus anhelat.
Ænea Thesbitæ qui claustra resolvit Olympi,
Fecundum aëriis demittit tractibus imbrem,
Fluminaque Oceanumque immenso evolvit ab ore;
Venarum exhausto tabescit sanguine Christus.
Nec tu, mœsta Parens, gelidæ solatia Nato
Ferre potes, dum labra siti dolor arida torret.
At non & Phariæ cæli indulgentia servæ
Defuit, errantem vasto per devia saltu
Consumptus simul utre latex defecit inani.
Semianimam patulâ substernens arbore prolem,
Cesserat, ah, lento puerum ne occumbere fato
Cerneret infelix, tantisque doloribus impar.
Interea lacrymis (qui jam super unicus humor
Ora sinumque rigans, lamentis sidera pulsat:
Nec queritur surdis. Agaremque exaudit Olympus
Et pueri gemitus: oculis quæ lympha cucurrit,
Aligeri indicio puteales evocat undas.

Quamvis illa animis Dominam aſpernata ſuperbis ;
Iſmaël: Fratribus hic diſcors olim, ferus, aſper in omnes,
Nec patrem Abramum referens, ſilveſtris alumnus
Creſceret in rixas & prælia, publicus hoſtis :
Præſentes ambo Superos diſcrimine tali
Senſere, oblato nec-opini munere fontis.
Tu, Virgo, tu, rore madens quam Vellus adumbrat ;
Imbre gravis ſancto Nubes, penituſque chelydro
Signat inacceſſus caſtâ Fons myſticus undâ ;
Marmoreo aut Rivus trepidans argenteus alveo,
Spargens florea prata, toriſque nitentia pictis :
Tu, cui larga ſinu torrenſque in corda Voluptas
Voluitur, ambroſiis reſtagnat Gratia labris ;
Nunc inopi ſuccurrere inops, ſudore cruento
Exhauſtos pœniſque immanibus aſpicis artus.
Aſpicis, heu ! triſtiſque pias vox vulnerat aures,
Quam Chriſtus teſtem incenſæ per viſcera flammæ
Pectore ſingultanti & gutture rumpit anhelo.
Vertice decurrens, lacrymis confuſus amaris,
Ora excocta cruor preſſit. nec labra gementis
Tingere aquâ potis es, Mater ; nec te, Alma, dolori
Subtrahis ipſa tuo, contabeſciſque videndo.
Ah, Solyme, Solyme, quam ſanguinis urit hiantem
Necdum expleta ſitis per vulnera mille profuſi !
Sic tibi nulla ſuper ſinceri gutta liquoris ?
Infauſtam uſque adeo Siloën Cocytia labes
Corrupit, miſtiſque Acheron Phlegetonque venenis !
Spongia, ſuppliciis non tales addita in uſus,
Vulneribuſque appreſſa (cruento ubi concita fluctu
Vita fugit) ſævoſque extendere ſueta dolores ;
Spongia contactu (indignum !) cæleſtia labra
Funeſto violat, fæces immitis aceti
Imbuta, & ſanie taboque infecta latronum ;
Oraque viroſo potu ſitientia torquet.
Deuter. 32. Vinea peſtiferæ talem vicina Gomorrhæ

Dat laticem, infamis regio : nec triſtius offert
Exitium, ultores Superos teſtatus,& iras
Fulmineas buſto redolens lacus, atra vorago, *Lacus Aſphaltites, ſeu mare mortuum.*
Ætheriâ flammâ & Stygiâ confuſa palude ;
Squallida cui Mortis facies & inhoſpita Vitæ
Stagna jacent latè, tumulus Jordanis amœni.
Golgotheæ rupes, mollitaque ſaxa cruore,
Nunc faciles aperite ſinus, ſcatebriſque micate :
In pluvias totis ſolvatur nubibus aër.
Vos, oculi, vos, ô, potiùs decurrite in amnes,
Unde bibat JESUS; hic illi ſuavis amaror.
Hoſpita Magdalios inter convivia fletus
Accepitque libens, & amicâ laude rependit.
Quippe alia, exercens mentem, ſitis acrior ardet ;
Ardet Amor veſtram, genus ô mortale, ſalutem.
Quin ſanctam reſtinxê ſitim properatis amico
Obſequio, & votis Chriſtum haud ingrata viciſſim
Corda piis ſitiunt & inexſaturabilis ardor ?
Scilicet Ægypti nigro deformia limo *Ierem. 2.*
Flumina, væ, miſeri petitis ; putreſve lacunas,
Unde maligna ſitim atque inſano expreſſa labore
Stilla avidam irritet ; cryſtallo purior unda
Dum vocat, & vivi ſacro micat ubere Fontis.
Huc agè, cervorum ritu (poſtquam halitus angues
Extraxitque cavis, odioque incenſa peremit
Pugna ferum genus & ſtridentes plurima fruſtra)
Huc juges ad aquas, ad myſtica flumina læti
Currite, mortales, ſuperæ queis ipſa Sionis
Compita perfundi gaudent, feliciaque arva
Purpurei aſſiduo veris nitidiſſima cultu.
Hîc poſuiſſe ſitim & plenis merſiſſe fluentis
Fas ; hinc ſolicitæ duxiſſe oblivia vitæ.
Quanquam acuêre ſitim latices caſtæque bibendo *Eccli. 24.*
Deliciæ, accenſique æternùm pectoris æſtus.
Uritur infelix, &, jam non fabula, creber

Captat ubique inhians fallaces Tantalus undas.
It, redit alludens ori, alternansque lacessit
Credula labra, fugaxque repente elabitur amnis.
Ille autem siccas media inter flumina fauces
Indignans stupet & vacuo frustratus hiatu.
Sic, auri quem dira sitis, quem turbida versat
Ambitio, fluxoque Voluptas improba luxu;
Faucibus elusis sequitur fugientia secli
Commoda nequicquam. aut, si quà Fortuna renidet,
Muneribusque sinus congestis inflat avaros;
Corda implere negat: pariterque increscit habendi,
Re crescente, furor; perque intima viscera regnat
Terrenæ sitis incumbens turpissima fæci.
Quali morbus iners & aquosus gliscere languor
More solet; potuque indulgens, acriùs hydrops
Æstuat; aut Libycâ quos torrida dipsas in orâ
Percussit, salsosve trahant qui gutture fluctus.
Sed magis atque magis, divinas quisquis amando
Illecebras expertus & usu docta beato
Corda gerens, instat Superis, gestitque potitus.
Cuncta sibi negat ipse libens solatia Christus,
Et tenui fraudat marcentem aspergine linguam.
Bacchantum commissa luit, quos ignea vasto
Sub Phlegetonte manet sitis, æternúmque flagrantes
Pœnæ exercebunt; miseris ni debita fata
Avertat, piceoque undantes gurgite flammas.
Nempe sitimque siti & potûs mordaci aceto
Tartateos redimit potus, spumasque draconum
Sulfure cum liquido, tetroque bituminis haustu.
Purgandis animis porgit medicata salubri
Pocula amaritie bonus; invitansque sodales
Prægustat calicem ingratum, tactuque remulcet.
Nec summæ cyathi illecebras tantùm allinit oræ,
Blando extundere amans ægris fastidia fuco,
Quà labra appressit. penitùs cratera severum

Fel draconum, vinum eorum &c. Deuter. 32.

Condiit, & felli aſpergens cæleſtia mella
Temperat horribileſque jubet miteſcere ſuccos.
Nectare inexhauſto ſenſuſque animoſque clientum
Exſatiare parat : lateris jam effundit aperti
Largus opes ; gemina ex uno dat fonte fluenta,
Cordis agens roſeo commiſtam ſanguine lympham.

EFFATUM VI.

Conſummatum eſt. Joan. 19.

JAM labra hiulca ſiti, linguamque immerſit aceto
Arentem & rauco torpentem gutture Chriſtus.
Scilicet hoc pœnis deerat fatalibus unum.
Omnia jam perfecta : fides ſancita Deique
Pollicitis, Vatumque minis : & myſtica rerum
Subluſtres quondam ſimulacra excuſa per umbras,
Sacrorum arcanæ penitùs patuere figuræ.
 Fraternâ invidiâ atque odiis mactatus acerbis
Heic placidi ille gregis cuſtos, innoxius Abel,
Paſtorum Princeps, nec poſt ſua funera mutus
Occubat, & cælum vocali ſanguine pulſat. *Defunctus adhuc loquitur.* Hebr. 11.
 Naufraga Lamechides felici ſecula ligno
Eripit, humanæ ſervator gentis, & alter
Purgati melior recidivique Orbis Adamus.
Cui portum aërii montes, templumque dedêre ;
Numen ubi, gratis adolens altaria flammis,
Placavit; certumque & non violabile pacis
Pignus, inermem altis curvari nubibus Arcum
Vidit, purpureoque auras deſcribere tractu.
Calcatâ inde rubens uvâ , muſtoque Noëmus
Ebrius indormit ; nuduſque procacia verba
Degeneris patitur, nec inulta opprobria, Chami.
 Ah, Genitor, feſſæ ſpes & ſolatia vitæ,
Unigenam Iſacum duro ſub robore Abramus

Ducit anhelantem, ferro ipſe armatus & igni.
Quo Deus ante omnes defixit lumina terras,
Vertice ſiſtit agens, magniſque accingitur auſis.
Faſcem humeris, aram ille ſuam cervice ſubivit,
Extructâque ſuper faciles componitur artus.
Fulgurat Aſtrææ gladius : fortiſſimus ignem
Subdit Amor, pulcrumque furit ſine more furorem :
Naturæ illecebras teneroſque elidit amores,
Pectore concordi regnans Natique Patriſque.
Obſequio explorata Fides, tantoque periclo
Tentata Heroïs ſeſe approbat inclyta Virtus.
Nota Deo tamen, & cædi jam inſtructa voluntas
Una ſatis. cœpto ſua laus, ſua præmia conſtant
Nec minùs ampla operi, vetitâ procedere dextrâ
Longiùs, & Nati jugulo demergere ferrum.
Iſacumque aries præſenti à morte redemit
Cornua vepreto implicitus : vilique litatum eſt
Tunc animâ, & brutos mitis bibit ara cruores.
At non libratos heic ſuſtinet Aliger ictus,
Arrectamque manum Patris, gladioque coruſcam :
Hoſtia Golgotheis nec ſuccidanea ſacris
Apparet. medium in ſentes caput induit ultro,
Iſaci pariter monſtratus & arietis umbrâ,
Fata aliena ferens Chriſtus ; ſoluſque litare
Unigena æterno valuit par Victima Patri.
Cetera quid longo rerum præludia verſu
Perſequar admirans, ævi documenta prioris ?
Jacobi caſus varios ? livore maligno
Vexatum, ingratos nec ſeciùs avia fratres
Per loca quærentem, & patria ad mandata volantem
Joſephum ? pretio ut fœdè diſtractus iniquo,
Mox ficto luerit crudeles crimine pœnas ?
Quid Jobi informes artus, vivumque cadaver ?
Quid Moſem, ut vaſtâ Colubrum præſagus Eremo
Extulerit? (Stygii medicina hæc morſibus Anguis)
Quid,

Quid, quæ Jeſſides paſſus, quæque ipſe ferenda
Præcinuit, Vatumque alii; ſimul icta Deo mens,
Et ſpeculi objecta effulſit vibrantis imago?
Æterni Genitoris opus, ſollennia ſacra,
Seclorum faſtos, perfectum exegit ad unguem;
Non apicis Chriſtus, tenuis non immemor umbræ;
Fanda, infanda tulit; præſcriptæque ordine vitæ
Ac toto moriens obſignat ſanguine Legem.
Hæc finis fatorum, heic meta noviſſima rebus.
Dixerat: & paribus ſervos incumbere curis,
Ne quid inexpletum linquant; mortalis ad ævi
Curriculum extremum divina faceſſere juſſa
Inſtituit, juſtoque alacres certamine palmam
Quærere, Olympiacas ceu qui petiere coronas.
Heu quantos illic levia & ludicra labores
Præmia amant! ut delicias & inertia pellunt
Otia, nec luxu patiuntur mollia frangi
Corpora Piſæi ritus, victuque ſevero
Robur alunt! membra aſſiduâ durata palæſtrâ.
At non ventoſo ſpectandum in pulvere fingit
Relligio pugilem; plauſuſve oſtentat inanes,
Aut in honore brevem foliis marcentibus umbram.
Victori ætheriam, ſpatio quæ fixa ſupremo,
Porrigit, æternâque micantem luce coronam.

EFFATUM VII.

Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.
Luc. 23.

SPLENDIDUS æterni fetus Genitoris ab ore,
Fecundæ reſonans Mentiſque & Vocis Imago,
Humanam ſeſe in faciem terrenaque membra
Induit, ac duræ petiit commercia gentis.
Et jam terrificus linguâ vultuque Tonantem
Geſtabat, ſcelera exagitans: jam blandus, & omnes

Oblato invitans divinæ fœdere pacis,
Ibat, agriſque humilem vulgum civeſque ſuperbos
Urbibus inſtituens; & quam ſermone præibat,
Exemplo munire viam dignatus ad aſtra.
Illum etiam Morbi, illum etiam ſenſere Tyranni
Tartarei, & membris dejecti & mentibus hoſtes.
Idem & nimboſo turbantes aëre ventos
Increpuitque minax, tumidoque ſilentia ponto
Arduus indixit; putribuſque excita ſepulcris
Corpora vitales juſſit remeare ſub auras.
Ilicet attoniti compreſſo murmure fluctus,
Inſanique Noti & rapidæ ſiluere procellæ:
Mors trepido ipſa gradu longè ſpoliata refugit.
Quid loquar, ut ſurdaſque aures & muta recluſit
Ora, deditque ſuas audire & promere laudes?
Dulcibus imperiis animi ceſſere volentes;
Seu lucro inſtantes, & vectigalia avaro
Corde avidâque manu captantes evocat ultro;
Seu gremio è patrio natos, rigidique laboris
In partem legit, atque inopis conſortia vitæ.
Protinus accurrunt alacres; monitique relinquunt
Et jam parta domi, & quæ mox ſperanda manebant:
Naturæque modum ſuperant, & acerba capeſſunt,
Quà Verbum trahit omnipotens, & amica Dei vis.
At non Judæi Proceres, faſtuque nefando
Pectora & invidiæ ſtimulis agitata, loquentem
Accepere Deum, Genii quem audire beati
Gaudebant, dominiſque arrectus vocibus Orbis;
Arcanas evoluere opes, oracula tanta,
Aſſiduum; & Superis leges, terriſque ferentem.
Aſpidis in morem, dictis cœleſtibus aures
Obſtruxit Solymæ furor; auguſtumque Magiſtri
In caput exacuit ſtridentis ſpicula linguæ,
Spicula felle atro & Stygiis armata venenis.
Non voci ille tamen moriens precibuſque pepercit.

Hoſtibus oravit veniam : conſortia regni
Promiſit pœnæ ſocio cœlumque Latroni :
Subſidium orbatæ curavit amabile Matri,
Virgineos ſocians animos : tum ſupplice queſtu ;
Deſertus, magnum inclamans veneranſque Parentem
Congemuit : ſævamque ſitim, & jam rite peracta
Omnia teſtatus, ſummâ nunc voce perorat.
Hanc manibus, Pater alme, tuis animam ecce repono.
Suſcipe commiſſam gremio ; vincliſque ſolutam
Corporis, & longâ perfunctam denique pœnâ,
Amplexu refove patrio : ſuſpenſaque dudum
Gaudia, & opprobriis pactæ decora extima lucis
Redde bonus. mihi me, Genitor, teque ipſe redona.
Hæc ſimul, auditus toto ſuper æthere, fatur ;
Demittitque caput, animamque in voce reponit.
Auſonius diro pendentum è ſtipite Cuſtos
Clamorem ſtupet inſuetum morientis ; & actâ
Sic animâ inſontem Ductor, vitæque potentem
Exclamat, Natumque Deo. ſtupefactus & omnis
Prodigio miles : clypeique haſtæque ſupinis
Exciderant manibus. turbam pius occupat horror ;
Diſcedenſque ferit mœrentia pectora vulgus.
Ac ſacro iſte volens, Jesu, ſe corpore ſolvit
Spiritus, & patrii emicuit ſecurus amoris.
Nequicquam inſidias molitus & impia bella *Luc. 4.*
Venerat Umbrarum Princeps, Mundique Tyrannus: *Ioan. 14.*
Nullam adeo labem tenebroſi Rector Averni
Deprendit, ſcelerique aditus tentavit inanes.
Manibus in mediis liber, latéque tremendus
Clara triumphato Victor ſpolia abſtulit hoſti,
Carcere quem flammeo ac vinclis infrænat ahenis.
Nos rerum ignari, gemina inter fata paventes,
Extremo quos urget atrox diſcrimine pugna ;
Fraudibus & circùm Stygiis, armiſque petitos,

Quos ſuper & pondus noxarum immane fatigat;
Luctantes animas, & opis cœleſtis egenas
Ægrè exhalamus; miſeri, ni corde paterno
Obvius & placidis animas Deus excipit ulnis.
Temperat hic manibus noſtras & numine ſortes.
O, cuicunque fugax labris jam ſpiritus errat;
Patri agedum, Chriſti vocem exemplumque ſecutus,
Nec minùs & Nato trepidæ certamina Mortis
Commenda, & tanto faciles ſub Vindice caſus.
Tædia, mœrorem, tremefacti pectoris æſtus
Senſit, & immenſas letho non ſimplice pœnas:
Audiet orantes, & non rudis ipſe malorum
Proteget auxilio. mortis ſolatia acerbæ
Suggerit, & dulci terrorem abſtergit amore.
Chriſtigenæ, auguſtoque Dei ſata ſanguine proles,
Golgotheo æternam trahimus de funere vitam.
Ioan. 10. Ne metue; effoſſis ingenti vulnere palmis
Condita rite anima, & nulli rapienda ſedebit:
Apoc. 1. Purpureamque novo ſeſe mirabitur aſtro
Tartarei aſſultus ſupra furiaſque Draconis.

EPILOGUS.

HAc-ſuprema-tenus Divini oracula Verbi:
Nunc extincta riget lethali frigore lingua.
Ille quidem obticuit; ſed & ipſa ſilentia clamant,
Omniaque abſumpto pœnis in corpore membra.
O ſurdi, queis tanta ſilent monimenta dolorum!
Diſcite, quid ſit amor Chriſti, quid criminis horror.
Tuque adeo, quem nec Mortis fatalia jura,
Ferrea nec domiti tenuerunt vincla ſepulcri;
Perge, precor, cœlo ſanctas expromere voces:
Horrendi ante oculos Ultoris & ora, Patronus
Cauſam age Terrigenûm; & membris quæ multa rubeſcit,
Fulmineum inflectat Genitorem oblata cicatrix.

Altiùs Abeli proclamet ſanguine ſanguis;
Atque ipſis veniam, quorum per crimina fuſus,
Oret adhuc. ſolio Victor ſceptroque potitus,
Vive memor noſtri & regna: ſobolemque Mariæ
Adde novam, & Magnæ blandus Genitricis amorem
Concilia. ne tu abjectos, ne funditus unquam
Deſere: ſed vivi ſitientia prolue corda
Munere inexhauſto fontis. da claudere vitam
Obſequio, atque omnes virtutum abſolvere formas.
Denique complexu hanc animam dignare paterno.
Queis factum manibus, queis tantâ mole refectum,
Hoc opus, hunc proprii fructum cape, Chriſte, laboris
Exiguum: Superiſque Choris adjunge Clientem,
Qui ſacra Verba ſequi, & *ſeptem diſcrimina Vocum*
Auſus mortali Vates reſonare Camœnâ.

PARTHENICA.

CVM latissime pateat Deiparæ Virginis cultus; & communis in eam singularisque studii sensum, ab ipsa Religione insitum, acuant rationes artesque peculiaris venerationis innumeræ: tum hoc vere, sancteque affirmare possum, instituti genus esse nullum ad illius saluberrimi cultus propagationem Parthenico Sodalitio felicius. Quod quidem Sodalitium, ex Academica primùm juventute apud Societatem JESU *conflatum, subinde maturiorem ætatem conditionesque vitæ varias complexum; idem Pontificum & collaudatum oraculis & largitionibus locupletatum sacris, ac rebus eximia cum virtute gestis inclytum, per orbem utrunque* MARIÆ *signa fixit, pietatis castra quædam collocavit. Extant Parthenici annales omni genere laudum insignes, exemplorum immortalium documenta in summis etiam Principibus atque in viris plane cœlestibus consecrata. Sodalibus tamen haud ita Musæ nostræ canunt, ceteris ut* MARIÆ *clientibus conticescant. Nam & Mysteria præconiaque Virginis, & Beneficia in omnem Christianæ reipublicæ partem diffusa colligunt; honoresque Magnæ Matri vicissim exhibitos, grati animi publica privataque monimenta. His unum omnium, quæ viderim, ornatissimum Parthenium depingitur. inde multa rerum splendidaque varietas. Tractatio partim contexta, partim interjuncta; prout vel dignitatis ratio, vel opportunitatis ferre visa est. Ab argumento certe nec majestas deest, neque suavitas: & utraque apud te, Candide Lector, ad commendationem valeat operis, quod elaborare pro merito ac voluntate autori non vacavit.*



PARTHENICON
LIBER I.

ICONES, SIVE ORNATUS PARTHENII.

Magnificentia Deiparæ, ipsiusque Clientium pietas illustribus expressa monumentis.



VIRGINIS imperium Matris, cœlestia jura,
Factaque mira canam; quos illi Natus honores,
Quàm largas cumularit opes; sublimia corda
Queis trahat illecebris Mariani gratia cultûs.
Hæc alacrem intendens rerum ad fastigia cursum;
Alternis Dominamque inter gratosque Clientes
Splendida muneribus commercia, dein sacra ritu
Fœdera sollenni, atque illustres ordine fastos
Exequar, Aoniisque intexam lilia lauris.
Fervere jam vario fulgentes agmine pompas,

Pontifices dare tura focis, procumbere Reges
Ac votis Dominam ſceptriſque ambire dicatis
Aſpicio, totaſque aris ſe advolvere gentes.
Ergo ad te, mea lux, mea cura & gloria, VIRGO,
Nunc avidus redeo, & ſupplex altaria prenſo
Poſt varios bellique obitos paciſque labores,
Humana effuſo toties in ludicra cantu.
Nec tu, Diva, tamen numeris excluſa profanis:
Belli eadem Paciſque potens, in carmina ſemper
Veniſti; MARIÆ palmaſque oleaſque ſacravi:
Talibus inſtantem nec tu averſata Camœnam.
Si quis honos Muſæ; ſi quo dignata favore,
Caſtrenſeſque inter ſonitus audita tubarum,
Doctorumque aulas Procerum, Regumque triumphos;
Muneris omne tui eſt. agnoſco indebita cœptis
Præmia, rite memor, necdum perfecta viciſſim
Accelero æterni monumenta & pignora cultûs.
Hîc propiùs vati adſpirans, nova ſuggere dona,
Quæ referat; votique reus, ſibi numen amicum
Altiùs, ac toto ingeminet reſonabilis axe.
Tum vos, ætherii Proceres, quos gloria tangit
Chriſtiparæ; tuque ante alios, Joſephe, benigno
Virginis æternæ conſors huc reſpice vultu;
Cumque Anna Joachime parens, Natique beatas
In partes moriente Deo ſublecte Joannes:
Tuque adeo, tu, Cœligenûm fortiſſime Princeps,
Nazariam Orator paciſque interpres ad arcem.
Unà omnes, Divæ quos aut ſpectabilis alto
Sanguine Natura, aut propior quos Gratia junxit;
Præcones pariter, vigileſque ad juſſa Miniſtri
Communis Dominæ, placitam huc advertite curam.
Virgineæ autorem laudis, cultuſque magiſtrum
Vos mihi, vos, Sponſumque Deum Natumque Patremque
Auguſtæ, atque ipſam precibus placate ſequeſtris.

Ac dum Partheniæ ingredior penetralia ſedis;
O Superi, ô, vivis quorum ſpirantia cerno
Ora notis, picti Indigetes, clariſſima noſtri
Argumenta operis, Magnæ decora addita Matri;
Et vos, Parthenici, lectiſſima corda, Sodales,
Accipite hoſpitio ſubeuntem, & ſacra ferentem
Veſtra novo geminos cantu celebranda per orbes.
Quam Deus eximiâ delectam ſorte Parentem
Conſilii magni partes implere ſecundas
Conſtituit, nova fata parans; & crimine lapſi
Terrigenæ in melius diras convertere clades:
Hanc titulis longè ante omnes illuſtribus auctam,
Extulit aſpectandam orbi, rerumque potentem.
Commiſſas diffundere opes dedit æthere aperto
In populos; & quam ſemel alvo protulit, uſu
Curarum aſſiduo miſeris adhibere ſalutem.
Dilecto neque enim tantùm conceſſa Joanni
Alma Parens; ubi Golgotheo ſtans vertice Chriſtus,
Sanguineo affixus trunco, ſupremaque dona
Pignoraque illa ſui moriens tranſcripſit amoris.
Unigena, & fratrum ſervos dignatus honore,
Communem jubet eſſe ſuis, dulcique fovendos
Chriſtigenas penitus complexu ambire, beatiſque
Appreſſæ uberibus Matrem ſe oſtendere genti.
Ipſe etiam, ſuperas acies qui numine verſat,
Sponte ſuâ Matri florentes ſubditus annos
Egit; & obſcuris adolevit ſedibus, ultro
Obſequium impendens, fabrili exercitus arte.
Matris & ad voces, intactâ conditus alvo,
Zachariden incluſum utero commorat anili,
Læto exultantem ſenſu; properataque mentis
Lumina, concretæque admota piacula noxæ
Carpentem, & Sancto inſtinctum jam Flamine Vatem.
Sic medicas animis vires quæ prima Theandri
Gratia luſtrandis, radioſque exprompſit amicos;

Nec minùs & Matri primùm famulata poteſtas;
Extima quæ verſis edit miracula rebus;
Dum Canæa inopis miſerans convivia menſæ,
Nec fontis memor unda, mero rubefacta cucurrit.
His adeo exemplis, tacitiſque afflatibus urget
Rite pios; ſacrorum acuens per templa ſonantes
Præconum hortatus, & non ſine pondere verba;
Autorumque ciens chartas monimenta diſertas
Chriſtus; & auguſtos Genitrici ſancit honores.
Ergo Virgineæ quis non faſtigia laudis
Miratus, poſcenſque avidis vincla aurea votis
Geſtiat, & Dominæ leges cœleſtis adoret?
Omnis Majeſtas, omnis cui purpura ſervit;
Servitioque omnes Mariæ ceſſere coronæ.
Et meruit virtutis apex, atque inclyta factis
Gloria, & indulgens humili clementia turbæ,
Sublimeſque tegens aulas, & regia caſtra.
Tanta ſacros paſſim Dominæ præſtantia cultus
Incitat & caſti vis plurima fervet amoris.
Quantæ hinc deliciæ, maternique uberis hauſtu
Quàm liquida, & dulces paſcentia gaudia flammas!
Ac ſua mortales inſignibus obvia donis
Commoda prolectant. pietatem incendit honeſto
Utile conjurans pariter, ſuavique decorum.
Sive, Machaonias fruſtra quæſita per artes,
Corporibus captanda ſalus, aut mentibus ægris;
Seu commiſſæ acies campo, ſeu mœnibus hoſtis
Ingruit, aut Stygio portenta immania bello
Supremam intentant cladem; quæcunque pericli
Objicitur facies, quiſquis præſentia caſus
Subſidia expoſcit; ſtat publica gentibus ara,
Soſpita terrarum Virgo undique & undique Virgo.
Optima Cœleſtum, nec ſurda aut ſera precanti
Diva Parens, Nati quem tota potentia miros,
Quò res cunque vocant, operum ſuccinxit in uſus.

Non ego Franciadûm crebris fulgentia templis
Munificæ documenta ſequar votiva Patronæ,
Signaque, & infractis morbis armiſque trophæa:
Qualia Pariſiis delubro aggeſta ſuperbo
Sequana, Salmuriaſve Liger ſuſpexit ad aras;
Qualia, *Lætitiæ* aut *Virtutum* nomine claris
Apparent adytis, aut quà telluris operto
Carnutum ſedit Druidum domus; aut ubi ſecto
Marmore *Betharamam* Pyrene aſſurgit in ædem.
Dona tamen ſiluiſſe nefas ſollennia Regum;
Ut Lodoïcæi rea voti Gallia Divam
Æternùm colat, & ſuperos imitata triumphos
Annua Virgineas inſtaurent gaudia pompas.
Auguſtamne Domum, Galilæa ex urbe profectam
Aërium per iter; brevibuſque per arva micare
Dalmatica hoſpitiis priùs, & Picena per arva,
Gentibus attonitis viſam; nunc ſupplice mundi
Concurſu celebrem, ſtabilique in ſede repoſtam,
Laurifero in clivo, Cœleſtis conſcia Nuncî
Alloquio taceam & genito ſacraria Chriſto?
Serratíne admota polo faſtigia montis?
Quámque Superſtitio Romanam inſtruxerat arcem,
Divinæ ſubmiſſum alto Genitricis honori
Pantheon; ac medio nivibus deſcripta ſub æſtu
Exquilii juga collis; & Indi conſita ponti
Littora Luſiadûm palmis, latéque ſubacta
Victricis Dominæ auſpicio Gangetica regna?
Cuncta ſed anguſtæ numeris comprendere chartæ
Haud licitum: & celeri ſat erit ſtrinxiſſe Camœnâ
Sparſa per immenſos operum veſtigia tractus.
Tot decorum capita, & variæ ſpectacula formæ,
Parthenii ornatus, Magnæ dona ampla Parentis,
Præmiaque egregii cultûs privata revolvam,
Et ſolidas urbes populoſque amplexa, vel ipſum,
Quà patuit, terrarum orbem; quàm commoda cœptis

Grandibus auxilia, & ſancto quàm blanda labori
Maternis affuſa legam ſolatia curis,
Mutuaque in Dominam gratorum facta clientum.
Splendida jam rerum picto ſimulacra ſacello
Diſcite Parthenici, decora immortalia, Cœtus,
Certiùs & veſtras Divæ concredite ſortes.

VIRGO SOSPITA. Romam peſte liberat, imaginem à S. Luca pictam circumferente Gregorio M.

Æthere, proh, qualis telorum incenſus ab alto
Nimbus, agens peſtem ruit, & miſerabile Romæ
Exitium importat! quis erit modus, Aliger, iræ?
Aut quàm-ſtrage-diu tantâ populaberis ultor
Funeſtatam urbem, deſolatoſque Quirites?
Ille quidem ſummas inſederat arduus arces,
Necdum etiam juſſas explerat ſanguine pœnas.
Illum inſiſtentem pinnis, & cæde rubentem
Viderat Auſonii Paſtor gregis. ut pius olim
Iſaïdes, Jeboſæi Ornæ quà lata jacebat
Area, ſublimem & Solymæ ſtricto enſe minantem
Ætherium vidit juvenem; qui Numine lævo
Ipſius ob culpam Regis, Judæa per arva
Cenſentis populum & numeroſâ gente tumentis,
Confuſæ ingentes cumularat cladis acervos.

Haud ſecùs irato pennatus ab æthere miles,
Jam populum immiſſâ graſſatus peſte per omnem,
Gregorii Magni ante oculos ſpectabilis altè
Conſtitit, aſper adhuc, & adhuc ſævire paratus.
Nam ſollennem inter pompam, templiſque ſub ipſis,
Perque vias ſubito ceciderunt corpora fato
Plurima. nec finis porrò, ni ſoſpita Mater,
Mater, Romuleæ gentis ſpes ultima (cujus
Producta ex adytis urbem luſtrabat imago,
Divini Pictoris opus, priſcoque Quirini
Palladio potior) triſtes miſerata ruinas
Afforet; & nunquam caſsâ prece paſſa vocari,
Ipſa manu medicâ diri contagia morbi
Opprimeret, pœnarum avidos extingueret ignes;

Et gladium largos ſitientem ſanguinis hauſtus
Frænaret, Moles Adriana ubi ſurgit in auras.
Fama memor facti ſerum tranſmiſſa ſub ævum eſt;
Mutavitque loco nomen, qui deſuper hæſit
Angelus, & Caſtrum titulo meliore notavit.
Nec ſemel auxilium Mariæ ſenſere Quirites,
Cùm funeſta lues miſeram depaſceret urbem.
Nuper & experti, penitùs dum labe carentes
Conceptus Divæ celebrant; & ſupplice cultu
Ipſe præit, plebem arcta piis jejunia votis
Jungere Alexander facto docet. Inde levari
Cœpta lues; cultuque Italas creſcente per oras,
Parthenope ſimul & Ligurum Regina ſalutem
Hauſerunt, templiſque novis nova munera ſignant.
Sic morbos peſteſque fugat placidiſſima Virgo;
Juſtitiæ ultricis mucronem, ardentis & iræ
Sic telum vaginâ hebetans lethale recondit.
Nec minùs & ſævos debellat Regibus hoſtes,
Tartareaſque acies frangit cœleſtibus armis.
Stat Conſtantinus, quo principe vera per orbem
Viſa oculos aperire graveſque attollere vultus
Relligio; cœlumque obtutu figit acuto.
Bellipotens Virgo fatale è nubibus effert
Purpureis Labaron. hoc ſtat Victoria ſigno.
Talibus auxiliis Superûm, & duce Virgine fretus
Maxentî domitor, debellatorque Licinnî,
Mille acies ſtravit campis, & pace reductâ
Aurea Chriſticolæ fundavit ſecula genti.
Disjectas video moles abruptaque ſaxis
Saxa, & fanorum vaſtis oppreſſa ruinis
Numina vana Deûm. templorum rudera ſanctæ
Subſtruxere trophæa Cruci, quam luce ſerenâ
Deſcriptam cœlo, & radiis (mirabile viſu !)
Florentem latè, victriciaque arma ſecundo
Omine ſpondentem Cæſar ſuſpexerat ipſe.

Virgo Victrix et Pacifica. Conſtantinus M. templa urbemque ipſam Conſtantinopolin Virgini conſecravit.

Per te Crux pretioſa celebratur & adoratur &c. Cyrill. Alexandr.

Atque illam, certi pretium pignuſque triumphi;
Dum res ambiguæ Romæque Tyrannus in armis;
Obſcura intextam Labaro per ſymbola primùm
Tectus adorabat, non ampliùs ille biformem
Devenerans Aquilam caſtrorum more vetuſto.
Deinde potens rerum, & Chriſto jam largiùs hauſto,
Luce palam invidiæ coluit ſecurus; & altè
Vexillo inſcriptam, & Capitolî in vertice fixam,
Inſuper auguſtâ dignatus fronte, coronæ
Inſignem addiderat, gemmiſque ornarat & auro.
Dextera non brutum jaculatur fervida fulmen.
Fulmine quo percuſſa ruunt immania templa,
Inſanæ ſcelerum moles, aræque profanæ,
Omnigenûmque Deûm monſtra, infelicis Averni
Natale in gremium, & piceos revoluta ſub amnes.
Ut jugulum impoſito preſſus pede deficit æger
Flamen, & amiſſos capitis deplorat honores;
Ereptumque ſibi, & Chriſti ſub jura redactum
Affectat nequicquam oculis errantibus Orbem!
Viciſti, Galilæe! & victum occumbere campo
Vidêre Auſonii, Perſæ audivere fatentem.
Juliades vocem hanc rabidus cum ſanguine fudit.
Viciſti, Judæe Leo! tibi concidit ingens
Ille Draco, Latiis antehac conſpectus in armis.
Rite triumphalem cantent Pæana cohortes,
Chriſte, tuæ; ſeu caſtra tenent ardentia ſignis,
Quà micat Orion aûroque armatus & igni:
Sive intra teli jactum verſantia terris
Agminà militiam ſub te Ductore fatigant;
Debita utrinque tuæ properent diademata fronti.
Tu quoque Chriſtiadûm fortes in prælia turmas,
Virgo, armare potens; gravidam fulgentibus armis
Davidicam referens Turrim; vel qualis in hoſtem
Seſe inſtructa acies caſtris erumpit apertis.
D. Baſilius. Scimus, ut invictus Fidei certamine Præſul,

Gloria Cappadocum, rerum diſcrimine ſummo
Juliaden contra ſupplex tua numina poſcens,
Chriſticolûm exitium poſt Perſica bella minantem;
Scimus, ut (appictum tua quem geſtabat imago)
Mercurium haſtatum ex oculis vaneſcere primùm;
Mox eundem bello reducem jam cæde peractâ
Viderit admirans ultorem, haſtâque cruentum.
Pugnam in Achæmeniam, MARIA mittente, profectus,
Deſertorem illum, patrui virtutibus altis
Degenerem Conſtantiadæ, Chriſtoque rebellem
Fœdifragum, Imperii peſtem, Divûmque ſuperbum
Mancipium occulto mactavit vulnere Martyr.
Mercurium caduciferum, citharæque potentem
Dum colit, armorumque Deâ Tritonide fidit:
Longè alia huic Virgo, Nati quæ fulmina torquet;
Mercuriuſque alter fuerat metuendus in armis.
Heſperiæ infeſtam quid cùm inſatiatus opimæ
Strage Cypri, raperet claſſem Byzantius hoſtis?
Tu Naupactæo præſens Victoria ponto
Velivola in Turcas vertiſti flamina; quoſque
Horrificæ piceo fumantes turbine nimbos
Bombardæ ediderant, & tela inimica retorquens;
Afflaſti ſancto ſociatas fœdere naves;
Cœruleos Getico mutaſti ſanguine fluctus.
Depreſſæ Ottomanûm pelago, captæve triremes;
Præda ingens; ſcalmo ter millia quina ſoluti
Chriſtiadæ: veteres renovavit Roma triumphos;
Et Capitolinæ ſacrata Columna MARIÆ
Roſtrato argento Cœleſtem inſigniit Aram.
Nec poſt Actiacam vicino è gurgite laurum
Interno par ulla Mari victoria venit.
Ante aciem, & tanti medio in certaminis æſtu,
Militibus Ducibuſque, & quos fera claſſis habebat,
Remigibus, MARIÆ oratum reſpondit ab alto
Auxilium. votis damnati ingentibus omnes;

Ædes Virgini ſacra in Capitolio, *Ara cœli* dicta.

Rupta alii, Dominæ, jam libertate receptâ,
Vincla dicant; ſpolia ampla Duces & præmia belli:
Lauretanæ opibus creſcunt donaria Cellæ.
Maximus ipſe Pater, pietate inſignis, ovantum
Chriſtigenûm Auxilium pulchro cognomine dixit:
Addidit & meritum tituli palmaris honorem,
Pendeat ut MARIÆ domino Victoria nutu.
Juſſit & Octobres Nonas accedere faſtis,
Egregiæ teſtes pugnæ; queis annua ſacra
Guſmanidæ * ritu geminum vulgata ſub axem,
Dum fera commiſſas agitarent prælia claſſes,
Divam implorabant; roſeæque exinde quotannis
Texuntur feſtâ florentes luce coronæ.

B. Pius V. ob Naupactæam victoriam ope relatâ D. Virginis, eam ritè Christianorum Auxilium nuncupavit, Nonaſq; Oct. in quas præliũ inciderat, Victrici Dominæ inſcripſit &c.

* S. Dominici.

Quare age, barbaricam vim quiſquis & impia contra
Tela paras animis acrique inſurgere bello;
Vexillum Nati & Matris commune ſecutus,
Auſpice victricem Chriſto Mariâque ſecundâ,
I, palmam præſume. favet queis conſcius æther,
Bella cie, Magnique exemplo Cæſaris inſta.
Regifico poſtquam hic ſumptu ſpectabile templum
Chriſtiparæ inſcripſit vaſtiſque operoſa columnis
Marmora; tum, ſacro Byzantia mœnia cultu
Quámque novam proprio ſignavit nomine Romam,
Eoï caput imperii, tantâque ſuperbam
Mole operum, mundi ſpoliis cenſûque refertam,
Æternâ monimentum ingens pietate dicavit.
Ex illo quanti ſeries accita favoris,
Auguſtos ipſamque fovens protexerit urbem,
Obſidiis toties Arabum varioque ſolutam
Barbariæ aſſultu; quantis decora aucta trophæis,
Quis neſcit, vel quis juſto pæane renarret?
Felix ô nimiùm, ſi nunquam ingrata Patronæ,
Antiquo ſteterit ſenſu, patriumque ſecuta
Flaviadæ exemplum, nec Relligionis honores
Diſſidio effræni fœdiſque erroribus auſa

Protercre,

Proterere, haud unquam Scythico frangenda tyranno!
At veterum partæ laudes memor addere laudi,
Usque patrocinio gaude cultuque MARIÆ,
Barbariæ fulmen, columenque immobile Sedis
Francia Romanæ! nec tantùm Regia servit
Ætheriæ assurgens Dominæ Lutetia templo.
Imperium Assumptæ Francum Lodoïcus honori
Virginis addixit; nec Justi degener Heres,
Nomine magnificum referens animoque Parentem.
Cœruleâ insignis pallâ, quam lilia pingunt
Aurea, bisgeminæque ferens insignia torquis,
Nudus uterque caput, sceptroque ornatus uterque,
Reginæ duplicem gaudet stravisse coronam.
Omnis quos populus, lætæque ingentibus urbes
Sectatæ studiis; aliàs nec promptior unquam
Regia jussa sequi primosque capessere nutus
Gallia, quàm MARIÆ cultus augere jubentum.
Ergo rite sui Dominæ celebrantur honores,
Terraque sollennes pompas imitatur Olympi,
Annua cùm Assumptæ redierunt sacra Parentis.
Ipse diem exercet Rex festum, & supplice pompâ
Fert manibus liquido florentem lumine ceram;
Cordis & accensi pietas toto emicat ore.
Haud magis impermista lacu rapuisse Lemano
Flumina victor amat Rhodanus torrentibus undis,
Quàm scelerum intactus fugit consortia Princeps;
Illecebrasque inter medius, mollissimaque aulæ
Gaudia inoffenso Justus candore cucurrit.
Inde animi vigor, ac palmaris robora dextræ,
Quam sensit Rupella furens, domitique Rebelles,
Et conjuratas impellens Anglia classes;
Oceanusque jugo, frustra indignantibus undis,
Subditus, aëriisque evictæ gressibus Alpes.
Haud sterilis cecidit pietas, & inania vota,
Juste, tibi. scit Belga ferox, Germanaque tellus;

VIRGO PATRONA GALLIARUM; quas ipsi Ludovicus Justus inter Assumptionis solennia dicavit; ac subinde Ludov. Magnus &c.

Mincius, Eridanusque, & cornua fractus Iberus.
Sed proprium hoc doni pretium, majusque triumphis,
Et regno dignum solido venale rependi,
Exoptata diu proles, certumque MARIÆ
Pignus, avos superans, primoque augustus ab ævo.
Quippe, triumphali non inferiora Parente
Jamtum, Borbonide, tenero meditatus ab ungui;
Natus victrices, victrices inter adultus
Florescis palmas, Europâ major, & orbis
Aut amor aut terror, Divâ sub præside regnas;
Regum idem, laudumque tenes fastigia, Princeps.
Quis memoret fusas acies, deletaque campis
Agmina? quis captas urbes; cum præpes, & uno
Corriperet solidas gentes victoria cursu?
Præsertim Assumptæ sub tempora Virginis ingens
Successus vulgò, felicis adorea belli.
Hinc messes tibi laurorum crevere superbæ,
Quas Dominæ in magnæ gremio temploque reponas,
Muneris auctorem agnoscens; ereptaque victis
Hostibus appendas totam vexilla per ædem,
Non magis illa tui certa argumenta triumphi,
Quàm grati monimenta animi, monimenta favoris
Virginei; quo nec belli magis illa trophæa,
Dulcia quàm blandæ subierunt gaudia pacis.
Hinc Regni sperata salus, Concordia venit.
Condidit illa manu gladios, aut vertit in hostem.
Namque illi Francos ante omnes cura tueri.
Deditione auctus, verùm haud novus iste MARIÆ
Venit amor, nostris ex quo decessit ab oris
Cœca superstitio; mitis cùm colla Sicamber
Demisit, suavique jugo successit; & undâ
Lustrali imbutus, Druidum simulacra cremavit
Culta priùs; coluitque pias, quas antè cremarat
Effigies; Christi jurare in sacra ferocem
Compellens populum, & fidei cum lacte recenti

Sugere Divinæ ſtudium cultumque Parentis.
Nec minùs & Regem Virgo populumque viciſſim
Pacta ſibi. Rubra expunxit diademata ſignis
Franciadûm; innocuique notâ meliore coloris
Lilia ſuffecit, Gallorum inſignia morum.
Non ea Junonis candent ſata lacte caduco;
Garrula quas olim cantavit Græcia nugas.
Lacte ab virgineo niveum traxere colorem,
Cœruleo è campo, quà ſe Via Lactea duxit,
Virgineâ delecta manu, præque omnibus uni
Gallorum tranſcripta ſolo. radice tenaci
Hærent, vel ferro abſcindi, frangique procellis
Neſcia; quanquam hiemes ventis immanibus actæ
Sæpius horruerint contrà; infenſique Leones,
Et mare tranantes Pardi, tum Cæſaris ales,
Haud ſemel obnixi pedibus convellere aduncis.
Illa invicta manent, biſſenaque ſecla virorum
Durando ſuperant; adeo conſiſtere multum eſt
Virginis auxilio! & ſi quando vertice feſſo
Jam propè humum tetigere; ſuo mox illa decori
Reddita, & ad patrium tollunt capita inclyta cœlum
Altiùs, & pictis latè dominantur in hortis.
Quid, quòd & altricis non unquam oblita MARIÆ
Fatales inimicitias æternaque bella
Cum Stygio ſerpente, anguiſque propagine nacta,
Hæreticam exagitant labem? Nec lilia diſcunt
Fœmineas tractare colos, & inertia penſa.
Maſculus huic flori vigor eſt, & gratia formæ
Ætherii linguâ quondam laudata Magiſtri.
Non ſic magnificus Regum, quem gloria circùm
Veſtiit, auguſto non ſic effulſit amictu
Purpureus Salomon, argento totus & auro
Contextus, tantâ quamvis ſe mole ferebat.
Procero ſic caule virent; ſic candida in auras
Attollunt capita, & nativo ſidere lucent!

Inter odoratas ſegetes, Regaliaque inter
Lilia dilectus paſci gaudetque, colitque
Candorem; purâque cubans requieſcit in umbrâ
Agnus in ætheriis MARIÆ nitidiſſimus arvis.

VIRGO SAPIENTIÆ SCIENTIARUMQUE PARENS.
D. Gregorium Thaumaturgũ coram edocet adminiſtro Joanne Apoſt.

Hactenus impenſum bello pacique favorem;
Nunc doctam, pulsâ ingeniis caligine, lucem
Virgineo infuſam dono eloquar. aſpice, quanti
Muta magiſterii ſpeciem ſubjecit imago.
Hic Antiſtes, hic eſt, cujus miracula nomen
Grande ſonat: ſiccare lacus, propellere verbo
Ardua terrarum, fluvioque imponere leges
Ille potens; rapidis agros vaſtantibus undis
Quem ripam ad fragilem certo pro limite fixit,
Arboream in faciem baculo ſe attollere viſo
Protinus, & patulis umbram diffundere ramis;
Aggeris & vires & ineluctabile vallum
Objectare Lyco, ac ſolitos arcere furores.
Imperiis idem Phœbum ſimulacra tenentem
Fatidica ejecit, Stygiæque oracula fraudis.
Inſidiis obſeſſus & indeprenſus Avernis
(Agmine dum varius denſo circumſtrepit error)
Æternum Triados ſincero dogmate Numen
Perdidicit MARIÆ ſtudio curâque magiſtrâ.
Ecce viro, dubias agitans ubi pectore curas
Nocturnus, ſtratiſque jacens haud mollibus, altum
Inſomnes animos attollit in æthera Præſul;
Ecce gravis, niveoque ſenex placidiſſimus ore
Adſtitit, inſolitoque nitens venerandus amictu.
Majeſtate ſimul ſublimior adſtitit, aureo
Lumine circumfuſa micans, & Numinis inſtar,
Numinis alma Parens, auguſtoque ore Joannem
Imperat arcani ſeriem depromere veri.
O fortunatum, Dominæ quem cura clientem
Erudiit! ſtudii quàm ſuaves carpere fructus

Gregorio, pretia ampla, datum eſt! Nec nulla ſequentur
Præmia diſcentem, Sophiæ quicunque Parenti
Dulcem operam dederit, ſolidoque incumbet honeſto.
Sic doctus, ſtellæ in morem fulgebit Olympo.
Maturè diſce, ô, MARIAM, quem ſplendidus urit
Doctrinæ cœleſtis amor. Summo illa Tonanti
Æquævum, omnipotens & inenarrabile Verbum
Vindicat, æterno diffuſum à lumine lumen.
Illa ſuum, quo nunc interprete viſa docere eſt,
Suffectum Chriſto media inter funera Natum,
Et tonitru aſſimilem pariter, melleâque fluentem
Voce piis; Lucamque, & quos grege Chriſtus eodem
Præcones cœli, & legis dedit eſſe magiſtros,
Inſtituit priùs; ac Sponſo ſua præbuit ora,
Infantis puerique Dei myſteria pandens.
Nunc quoque divinas aperit mortalibus Artes:
Sæpe etiam humani deſcendit adusque minores
Ingenii curas, inventaque monſtrat avorum;
Ac rerum latebras, Naturæ arcana recludit,
Per varios & cœca regit veſtigia flexus.
Quanquam crebra ſui diſpenſat luminis uſum,
Paulatimque acuit, tacitoque obtuſa favore
Pectora. fraude piâ capti, invitâque Minervâ
Provecti ſtudiis, quæ maxima turba, nec ipſi
Senſere, aut dextram ſatis agnovere juvantem.
Nonnunquam & ſubito colluſtrat fulgure mentem
Indocilem, ac penitùs diſcuſsâ nube ſerenat.
Ecce repentinis ſocios progreſſibus anteit,
Miraturque novas luces, & non ſua ſenſa.
Quid latè fuſum contracto in corpore narrem
Ingenium Hermanni, aut Ruperti plumbea corda
Auro verſa loquar? Mariano munere Magnum
Quid referam Albertum? & Genii cœleſtis ab ore
Exceptas Dominæ laudes, ſcriptamque ſalutem

Hermannus cognomento *Contractus.*

Mandere nutrici viſus quod prodit Aquinas;
Illa ſacrum mugire Bovem *, terraſque per omnes
Felici Thomam docuit reſonare boatu;
Ætheriæ qualem exercet pars læva quadrigæ,
Mira Bovis facies, penniſque accincta jugalem
Æquiparans aquilam, & candenti concolor æri.
Suareſiumne canam, primo quem tarda Lyceo
Mens habuit? gravibuſque ultro deſiſtere cœptis
Suadebat; ni Virgineam ſpe juſſus amicâ
Poſcere opem juvenis, votiſque optata paciſci,
Continuò inſuetæ radios emittere lucis,
Tiroque attonitos jamtum exuperare magiſtros;
Et ſeclis dignos operum ſignare labores
Haud tenui ductu curâve aggreſſus inani.
Sublimemque altâ ſocians virtute micantis
Doctrinæ gazam; cœleſti utranque Magiſtræ,
Rite memor, libriſque animi documenta ſacravit.
I, ſilvas Academi, & Suadæ exquire medullas,
Pimpleoſque hauri latices, veterumque virorum
Cuncta vora monumenta; & quidquid Græcia, quidquid
Auſonia effudit, vaſto complectere ſenſu.
Funditus ignaros nihilo tu ſeciùs inter
Ablegêre mihi, neſcis ſi fortè Mariam.
Hanc illam ut ſcirent, quid non fecere verenda
Majorum capita & ſtudio canentia longo?
Illam diſce rudis cœli, imprudenſque ſalutis,
Verbiparamque audi breviter ſcita ampla docentem.
Connubialem inter menſam, defectaque egenis
Vina cadis, Virgo quæcunque faceſſere Nati
Dicta monet celeres haud fruſtra ad juſſa miniſtros.
Præſcriptum hoc, Mariane Cliens, tibi quiſque putato,
Ac legem obſequiis maternam ingentibus imple.
Sponte præit, clariſque facem virtutibus effert
Altera lux mundi, nec deficientis imago

* Sic olim per cavillum appellatus, ſed in laudem à M. Alberto converſum. In divino curru *facies bovis à ſiniſtris* &c. Ezech. 1.

Sideris, ipſa ſuo ſeu Luna ſimillima Soli,
Seu matutinis ſplendoribus imbuit almum
Stella diem, noctiſve umbras Aurora fugavit.
Hanc ſibi delegit propriam Sapientia, & altè
Sapphiris fundatam ædem, nixamque columnis
Rite dicans habitat, Moſæâ ſanctius Arcâ
Oraclum, Heſperiis auditum Indiſque repoſtis.
Huc animos, huc verte acies, quà plurimus horror
Objicitur, ſtratoque ſuper Virgo imminet hoſti.
Quæ monſtri facies! aut quis liventia Præſul
Colla terit plantâ inſultans? deforme bidental,
Neſtorium (an fallor?) noſco. tune ille MARIÆ
Hoſtis ades? tu, Cerbereo qui gutture magnum
Allatrare auſus nomen, Matremque negare
Numinis? & quæ tanta animum furiavit Erynnis?
Quod tantum ſcelus! è MARIÆ tu fronte coronam
Deripere, ô Stygii rabiem tranſgreſſe Draconis!
Ille quidem caudâ implicitas detraxit Olympo
Præcipitans ſtellarum acies: tu vertice in ipſo,
Majus adorte nefas, Divinæ in vertice Matris,
Heu, linguâ inceſtâ crinalia ſidera tentas!
Sed tantùm impuro fluxum vomere ore venenum
Reginam contra potis es, linguâque biſulcâ
Sibila vibrare, & morſus agitare caducos.
Terrigenis atri caput exitiale ceraſtæ,
Et jam olim talo inſidias tendentis inanes,
Contrivit fortis Mulier, primæ inſcia noxæ.
Divinoque potens & victrix ſemine Virgo;
Dux Fidei cuſtoſque, & opem ſubmittere præſens
Chriſtiadis, verique potens, ac lucis origo;
Portentum infelix, fictâque nocentius hydrâ
Elidit; terrarum oras utcunque pererrat
Bellua Tartareo in populos emiſſa barathro
Silveſcens capitum turbâ, & fecunda malorum.
Virginis in partes veniunt, cauſamque tuentur

VIRGO ΘΕΟΤΟΚΟΣ, Hæreſeon Debellatrix.

Concilio augusto Patres, lectissimus ordo,
Doctrinâ, pietate graves; princepsque verendos
Cyrillus proceres inter, sacra expedit arma.
Nec jam Ephesus *magnam*, insano clamore, *Dianam*;
Sed Magnam, hospitio cujus dignata, MARIAM,
Et Diæ titulum assertum nomenque Parentis,
Mitrati celebrat scitum immortale Senatûs.
Jamque adeo in noctem extracto redeuntia cœtu
Cana virûm capita, & sanctis exercita pugnis,
Lampade cum densâ incensis gratantur acerris
Matronæ, ac festo plausu deducere gaudent.
Tota renidentis faciem referebat Olympi
Stellatis Ephesus vicis. flagrantia passim
Civibus ora, Dei certam sonuere Parentem,
Cœlestes imitata choros. dirisque profanum
Nestorium probrisque onerant: fremitu omnia fervent.
Ipse autem quali vesanus imagine frendet!
Lethiferâ exangues horret ferrugine vultus.
Mitra excussa procùl capiti: introrsusque revolvens
Lymphatos oculorum orbes, passisque lacertis
Respicit infestam, flammâque instare tremiscit,
Et Divam extremâ sentit jam clade Parentem.
Nec tamen ipsa manu dignatur mittere fulmen:
Legato Patris Ausonii sedenim ore tonanti
Intorquere dedit, meritis locus utque vacaret
D. Pulcheria, Junioris Theodosii germana.
Cæsareis; causamque ageret Pulcheria virgo
Virginis, abstinuit; donec proscriberet ultor
Funestos primùm libros Augustus, & ipsum
Nomen in æternæ damnatum oblivia noctis
Sollicitus, penitusque infandum mittere dogma:
In loca sola procùl, mundo execrabile monstrum,
Pelleret ærumnas quovis furiasque trahentem.
Tum lentis hostem consumpsit denique pœnis,
Prægustare Orci vivace piacula letho
Virgo jubens. Quâ parte nocens, tormenta recepit.

Namque in ſacrilego putrefactam ulciſcitur ore
Vermis edax linguam, ſcelerataque guttura rodit.
Atque alius, graviorque, & non moriturus inhæret
Infelici animæ, ſcelerum vis conſcia, vermis,
Tetrior & colubris, atque omnis tabe veneni.
At Virgo, quæ lævam igni metuenda triſulco
Armavit, dextrâ conſertas flore coronas
Theudoſio caſtæque offert, ſua dona, Sorori.
Imperium ſævos circumvallavit in hoſtes,
Principis ingenio placidi curâque puellæ
Subnixum & pietate, regens. Sic præmia pœnis
Permiſcet, ne quis nomen violare MARIÆ
Audeat, & merito cuncti venerentur honore
Numinis æterni Matrem. Quàm blanda clienti,
Tam gravis eſt hoſti. mores finxere MARIAM
Cuique ſui: geminæ ſortis diſcrimina proſtant.
Tu quoque, tu, Dominæ impenſi quæ præmia cultûs,
Ildephonſe, doces, cujus memorabile libris
Ingenium auguſtæ pro Virginitate Parentis
Militat, obſcœnoſque fodit ſtylus aureus hoſtes.
Socraticæ nil tale domûs laudata ſupellex
Suggerit. æternâ lita pagina luce coruſcat,
Inceditque animos divini copia veri.
Materiâ ignotâ pallam tibi Regia Virgo,
Ipſa ſuis factam manibus, mirabile donum
Detulit, atque novo Myſtam inſignivit amictu,
Poſthuma quo caſtos exornat Gloria manes.
Regalis trabeæ in morem qui lumine amictus,
Graminibus campos, ſquammis pecora humida ponti,
Et volucres plumis, radiis & ſidera veſtit;
Virgineo voluit contextum ſanguine corpus
Induere, ac ſeſe peregrino obtexit amictu.
Maternam quoque pro nobis gerit optima curam,
Ceu quondam bene amica ſuo Rebecca Jacobo:

VIRGO SUORUM EXORNATRIX; Ildephonſum perpetuæ ſuæ virginitatis egregium defenſorem ſacrâ candidaque veſte donat.

Germanique aptat vestes majoris odoras,
Quò patria heredes optatò gratia dicat.
Ex Proverb. Apoc. &c.
Frigora nulla domi, tempestatemque nivosam
Permetuit: duplici indutum nam tegmine curat
Omne ministerium. Byssusque, & purpura Fortem
Matronam, variæque decor virtutis honestat.
Arte novâ parat ipsa suis, quotcunque sequaces
Ildephonsus habet, nitido cœlestis in Agni
Sanguine quas jubeat mersas albescere vestes;
Sordis ut immunes, connubia ad alta vocatos
Pura toga, & mensis candens cœlestibus aptet.
O quam terreni moribundos corporis artus
Induxisse Deo; proprio cum se exuit ore,
Certa fides; tu me Christo indue, Diva, vicissim
Squallore absterso vitiorum, & splendida inire
Da, precor, Aligerûm cultu convivia festo.
Cæsareo non huc adspiret syrmate fastus;
Nec quæ fœmineo fulgent bombycina luxu,
Barbaricisque opibus pulchrisque onerata lapillis;
Palmatæve Ducum tunicæ, velamina picta,
Mortali celebres partis ex hoste triumphis.
Hos aliæ pugnæ, hos melior victoria poscit
Ornatus. Mariæ quisquis pro laude nefandos
Aggreditur, mentis connixus viribus, hostes;
Promeruit niveos pompæ victricis honores.

Virgo in Societatem Jesu Beneficentissima. Ignatium Filii sui militiæ autorat &c.

Exere te, Loiola pater, non Virginis inter
Eximios postreme Duces, qui Tartara contra
Direxere acies. tibi pugnæ tessera Jesus.
Auspiciis agedum Christi, summæque Parentis,
Jam sacra bella para, Dominique ad prælia dignos
Finge animos. tua signa petit lectissima Turma,
Sacramentum ingens ultro dictura, neque ullum
Pro Christo exhausti finem factura laboris,
Per maria, & terras, & cuncta pericula rerum.
Fracta Superstitio, atque accinctus fraudibus Error

Sternetur, Pietaſque exul remeabit Olympo.
Te duce, qui ſævis Titanum exterritus auſis
Fugerat ad Superos, Virtutum exercitus ardens
Caſtra inimica premet vitiorum, & opima ſubacto
Dite feret ſpolia, & regno potietur avito,
Virgo aderit, miraſque ſuis dabit inclyta vires
Militibus. namque illa ſuos, quos nomine Nati
Scripſeris, agnoſcet, non te aſpernata precantem,
Cum decumbenti parvum cognoſcere Numen,
Conſpectuque frui dedit, Idalioſque calores
Protinus extinxit; cœloque accepit aperto
Senſibus abductam mentem, dum ſabbata veſper
Octavus placidâ ſopito morte referret.
Militiæ ipſa tibi Leges, Aſceticaque arma
Tradit Manreſæ, multâque in luce refulget.
Antè etiam, ne quid Mariæ non debeat Heros,
Hæc tirocinium Serrati in vertice Montis
Imbuerat; ſævo abſcedens cùm transfuga Marti,
Virginis ante aram, belli melioris amore,
Sollenni excubuit ritu. Nec defuit omen;
Æthere demiſſæ quando lux feſta Salutis
Inſomnem excepit Loiolæ conſcia noctem.
Armorum nova cui facies, de fune retorto
Cingula; loricæ aurato pro tegmine, ſacci
Munimen talaris erat. gladium ille profanæ
Militiæ, pulchro victum confeſſus amore,
Affixitque tholo Dominæque in ſecla dicavit.
Ipſa autem gladium flammâque auroque micantem
Pro ferro, menteſque habilem penetrare, rependit.
Nec talem quondam Machabæo porgere viſus Ductori Vates, demiſſum à Numine munus. *Accipe ſanctum gladium munus à Deo.* 2. Machab 15.
Myſticus en, Loiola, tibi datur, accipe, mucro,
Tartara quo victor ſcelerumque immania monſtra *Gladium Spiritus.* Epheſ. 6.
Concidas, dum vota probans Regina ſecundat.
Nempe ſuburbanum quâ parte Lutetia montem

Martyrii insignem titulo sacravit, Olympo
Juratas animas ædes Mariana recepit;
Quo rediviva die, circùm plaudentibus alis
Cœlicolûm, rutilas Virgo conscenderat arces.
Hospitibus tum rite favens Patrona, sequestris
Pertulit ad Natum manibus rata vota; Deoque
Acceptam, ipsa suo Turmam succinxit honori.
Munere quo devincti animi, succensaque corda,
Nec Matrem abjungi Nato patiuntur; & unà
JESUM Ignatiadæ MARIAMQUE inscribere signis,
Atque omnes gaudent terrarum solvere linguas
Christiparæ in laudem; per agros resonare, per urbes
Dulce decus. tercentum effusa volumina prælis;
Structa Sodalitia, & suggestis ardua templa,
Ac templis similes MARIAM coluere palæstræ.
Conceptus maculâ imprimis defensus; & altè
Cœlituum cunctas superedita gloria sortes.
Nec studia Europe, nec jam capit unicus orbis.
More gigantæo exultans, aut fulguris instar,
Limite ab Hesperio Phœbi surgentis ad oras
Pervolat incensus geminos Xaverius axes.
Non illum, Pellæ erumpens qui sedibus arctis,
Ambitione avidus trans ultima Bactra cucurrit;
Non, qui laurigero invectus Capitolia curru,
Europamque Asiamque tribus Libyamque triumphis
Devinxit, rapidâ æquiparet vi Numinis actum.
Squallentes cumulo campos ardentis arenæ,
Horrentes glacie saltus, noctemque diemque
Acer, anhelus, hians, animarum in lucra fatigat.
Jam sacrâ undantes populos affusaque regna
Collustrat lymphâ Mystes. pius ecce lacertos
Lassavit labor, & defectas robore palmas.
Sed tanta hæc, & quæ vario mox plurima versu
In Lyr. & Silvis. Perstringam, MARIÆ assiduo perfecta favore.
Quippe immensum aggressus iter; sublimia cœpta,

Heroumque animos & vim poſcentia Divûm,
Inſtituit noto, Laureti operatus ad aram,
Credere præſidio; cujus felicibus aſtri
Nauticus auſpiciis ignotos curſus ad Indos
Commiſſus, terraſque novas, nova ſidera pandit.
Virginis auxilio fructus mandare laborum
Suppliciter ſolitus; rudibus quæcunque catervis
Traderet, indictâ MARIÆ obſignare ſalute.
Hinc ſacras obrepere amans nocturnus in ædes,
Haud ullis atri larvis & motibus Orci
Territus aut plagis, Dominæ perſtabat ad aras.
Et Roſeæ tutos dono haud fallente Coronæ
Præſtitit, Oceani media inter funera, nautas.
Quin etiam extremos Japonum recludere tractus
Aſſumptæ per amica datum eſt ſollennia Matris.
Quid, quæ Virgineo Malacæ vel ſacra litabat
Templo inſtans, aut quæ mittebat fervida vota?
Seu ſcapha ludibrium furiali abrepta procellâ,
Spes ubi nulla ſuper, viduæ revocanda carinæ;
Sive Acenûm vaſto turritæ robore claſſes,
Luſiadûm tenuique manu breviburſque phaſelis
Vincendæ: certas MARIA ſpes vindice fixit.
Ac moriens animâ Dominam fugiente vocavit.

Indicæ navigationis ab Henrico Luſitaniæ Principe auſpex inſtituta MARIA.

Ignatî quæ prima manus; tot fortia corda,
Tot MARIÆ ſacrata novem capita alta virorum.
Læneſium, Alphonſumne loquar, ſpectata Tridenti
Lumina concilio? téne, ô Faber alme, Saleſi
Laudibus æquatum cœlo? te, Borgia *, Divis
Adſcriptum? vel te faſces, Gonzaga, ſuperbos
Calcantem, Procerum exuto ſplendore beatum?
An queis alta rubet crudeli laurea fato;
Quos ſua, primitias Japonum, crux intulit aſtris,
Tergeminos Socios, Spinolamve igne rubentem?
Maſtrillum, ſecli decus & mirabile noſtri
Oſtentum; & quas una tulit centum inſula palmas?

* V. lib. 5. Heroic.

Gemmiferâ, Berzæe, Sinus te Persicus undâ
Obstupuit, pulsoque Crucis Mahomete trophæum
Figentem, & MARIÆ delubra evicta sacrantem.
Silveriæ ornato MARIAM stupuere sacello,
Cœlesti specie florentem, barbara Cafrum
Pectora. Asevedio perfusus sanguine pontus,
Virgineam effigiem non ipsâ in morte remissam,
Complexu stupuit fluitantem hærere tenaci.
Lessiaden, Berckmannum, & quo te carmine dicam,
Canisi; aut Triplicem * nectens, Poiræe, Coronam?
Edmundi rutilant gemini, virtute potentes,
Eloquio illustres; hic Francis, ille Britannis.
Nobile Toleti nec tantùm purpura nomen,
Quantùm ornat pietatis honos, cultusque MARIÆ.
Vocibus & scripta, & scriptis facta æmula testor.
Exquiliæ vivo testes, testesque sepulto.
Alvarusne duplex, geminusque Aquaviva Camœnæ
Exciderint? tuque ô nostras, Anchieta, per artes
Qui Brasilos inter saltus, celebrate novorum
Prodigiis operum, Dominæ exaudita canebas:
Tuque Italis, Realine, modis; tuque inclyte plectro
Sarbievisкiade Latio; & tu, docte Petavi,
Claromontanas toties audite sub aras,
Parthenios acuens sollenni carmine cœtus.
Sed neque Carrafam Picolomineumque, Patronæ
Legibus ardentes factisque extendere cultum,
Prætercam; vel te, Francæ venerabilis Aulæ;
Eloquio sacras regnans, Cotone, per ædes.
Virginei præco nec suavior alter honoris.
Nunc & viva tui spiransque affulget imago,
Regia quâ gaudet, spectent quam postera secla.
Ac, vel mille sonent ærato gutture voces,
Cuncta quis evolvat Mariano splendida cultu
Nomina, Loiolæ patrios reddentia mores?
Quot Divæ nova regna parant! ut Mexica rura,

* Librum in signem de B. V. sic inscriptum.

Ut Mariæ paſſim titulis Canada arva notarunt!
Et quacunque piis Americe inſcripta trophæis.
Scilicet & cunctam Ignatî blandiſſima gentem
Gutterio velare & circumfundere Virgo
Conſpecta ingenti regalis tegmine pallæ,
Materno imprimis animo gremioque tuendam.
Illa venenatos telorum infringere nimbos,
Hoſtileſque iras impacatoſque furores
Una ſolet, Natoque aptam præſtare Cohortem,
Aut jaculis illæſam, aut ipſis creſcere natam
Vulneribus, lætaſque adverſis ducere vires.
Hîc te, materni ſuavem cui nominis uſum
Annuerat Virgo, hîc proprio te, Kostka, favore B. Staniſl. Koſtka.
Fovit amans, finxitque ſibi. puerilis & ævi
Candorem, ingenui roſeo cum flore decoris
Ornabat, nec paſſa rudes prudentia ſenſus.
Virgineum ætheriæ Mentes, penituſque nitorem
Aſſimilem ſtupuere ſuo; puriſſima amore
Corda pio liquefacta, modis flagrantia miris.
Gratia totum adeo ſibi vindicat; imbuit artus,
Inſeditque animam: facilique per omnia verſans
Arbitrio, turbâ ſecrevit; & aſpera lætum
Multa pati, jamtum cœleſti nectare pavit.
Nec ſemel Aligeris dignus conviva miniſtris,
Fercula ſuſcepit venientis ab æthere Chriſti.
Ac lethi mediis rapiendum è faucibus, ægrum
Viſere & affari Genitrix dignata, genuſque
Sectandæ admonuit vitæ; amplexuque Puelli
Æterni puerum, divinâ ſorte, beavit.
Pars & felicis curæ, properata receptûs
Emerito quòd ſigna dedit; ſecumque triumpho
Tironem abduxit, feſtæ inter gaudia lucis,
Ætherio invectam ſolio referentia Matrem.
Sic raptim emicuit terris, maturus Olympo,
Secula tranſgreſſus perfectæ munere vitæ.

Letho crevit honos; floret vis posthuma mundo.
Assiduis Kostkæ omnipotens clarescere signis
Dat Genitor, sanctique parat fastigia ritûs.
Res Polonicæ Heroic. l. 1. Quid recinam duplicem, Chocimi prælia, laurum,
Seu Ladislaus, seu quam Sobieskius offert?
Plaudit, utramque suo gratata Polonia Kostkæ.
Prodita nec dubiis Patroni gratia signis:
Testibus & fidis cœlestia visa, per omnem
Sarmatiam depicta aris, celebrataque pompis.
Luce triumphalem ducit per nubila currus
Et lactis candore viam. premit ardua sellam
Fulgentem Regina, caput stellata coronâ.
Pro sceptro Puer est, nutu qui prælia torquet.
At, coràm supplex, Divinæ Kostka Parentis
Visus opem extremo patriæ submittere fato,
Et Ladislao Thracas domitare feroces.
Auspiciisque pares iisdem Dux Magnus honores
Chocimo retulit; victricis præmia dextræ
Nunc bene parta gerens, ferro defensa Lechæi
Imperii sceptra, ac medios firmata per hostes.
Quanquam Sarmatici porrecta insignia regni
Distulit; obsessam donec ferventibus armis
Barbariæ, ac belli crebro revolubilis æstu
Infestam' penitùs patriam servaverit ultor.
Et jam primitias ingentes regia dextra,
Ac dudum armorum imperiis notissima virtus
Edidit. ipse minax retro pavitantia flexit
Agmina Sultanus: progressoque obvia Regi
Cesserunt, aut vi perruptis oppida muris,
Aut quæ ultro subjecit amor, terrorve subegit.
Tartarus & regni depulsus limite prædo;
Concisi passim Osmanidæ: pacemque Rutheni
Antiquam, & leges optant revocare Polonas.
Hæc monimenta tui stant, optime Kostka, favoris;
Cui Princeps, dum bella petit, regalia cœpta
Credidit,

Credidit, innumeroque cruentos hoste labores.
Tantum posse dedit Genitrix, cui Numine prono
Omnia posse datum est. Kostkamque illustrat, & omnem
Ignatî sobolem donis cumulavit amicis:
Quæ memori instabant documenta exemplaque Vati.
Nec mihi, Bernarde, oblitus, cœlestis alumne
Virginis. ô felix, iterumque iterumque beatus;
Cui niveo expromens fecundam nectare mammam,
Quo pasci lactens voluit Deus ipse, liquorem
Immulsit, riguoque almam probat ubere Matrem!
Ex quo facundæ manavit gratia linguæ,
Lacteâ perfusus labrorum aspergine sermo.
O quas tunc cecinit laudes illo ebrius haustu!
Quos Mariæ ad cultum stimulos currentibus ultro
Subdidit, & quantos injecit cordibus ignes!
Seu Stellam spectare jubet surgentibus undis;
Seu Scalâ eniti, superasque evadere ad arces;
Seu prece pulsare, aut Portam jam intrare patentem;
Perque manus, quæcunque offers, transmittere gratæ
Virginis; & certo liquidissima gaudia Ductu
Derivare polo, Charitumque uberrima dona.
Omnia quæ Divæ altricis præconia, Claræ
Bernardi eloquio didicere silentia Vallis.
Partem aliquam, libri, nostras retulistis ad aures.
Si mihi, limoso veteris pro fonte Camœnæ;
Ceu quondam, Bernarde, tibi; si candidus imber
Defluat ætherii materno ex ubere lactis
Arentem in linguam, & tantâ dulcedine pectus
Imbuat! ô quali devolvam flumine laudes
Virgineas! non me Pindi juga summa tenentes
Aut Latii vincant aut Graii carmine Vates.
Protinus & cedant longè, quicunque profanos
Aut olim cecinere, aut nunc meditentur amores.
Jam pictis anima, & mutis vox addita rebus.

Virgo, Mater suavissima, Bernardo lac instillat, sensumque tenerrimum pietatis in scripta redundantem.

Ipſa adeo nobis velut ingens adſtat imago
Virginitas; vitæque exemplum ac publica forma,
Quâ nil ſplendidius, ſupremæ vita Parentis,
Ambroſii * depicta coloribus; ac mihi poſthac
Subtexenda, pii ſeges ampla & meta laboris.
Necdum hîc exhauſta, & Marianos ſcena Clientes
Aggerit; en, tacitum viſa exprobrare Damaſci
Rectorem quondam, & patriæ cognomine clarum;
Cæſam, virgineo quæ reddita munere, dextram
Virginis armantem in laudes, ſcriptiſque micantem;
Vique doloque furens, ſacris cùm bella tyrannus
Movit imaginibus, nec ferro ignive pepercit.
Martinum, Anſelmum, Caſimirum, ac vivida membris
Stigmata portantem aſpicio; totamque MARIÆ
Progeniem addictam Franciſci, acremque tuendo
Conceptûs decori. priſcorum hinc ardua Vatum
Objicit umbroſo Carmelus tecta receſſu:
Hinc alias Dominæ titulis diſtincta catervas
Relligio adducit; Mariæque Agnique ſequaces
Inde puellarum turmas rapit, inde virorum.
Pannonici Stephanus regnique inventor, & almæ
Per domitas Fidei ſator & dux maximus urbes,
Mancipii nexu MARIÆ ſeque ipſe ſacravit;
Et quodcunque illud ſceptri, quodcunque coronæ,
Acceptum retulit Dominæ, famulumque profeſſus
Commiſſamque regens Legati nomine gentem.
Plura quid ornando involitans affingere tendam
Parthenio? victus numeroque & laude reſiſto.
Alphonſos, Carolos, & quos aut Franca Philippos
Reginæ addixit Superûm, vel Iberica tellus;
Fulbertoſque & Remigios, totque ordine Reges,
Eximios virtute Patres, ſpectandaque mitto
Sidera terrarum, flammis accenſa MARIÆ.
Omnis ab hoc ſemper Dominæ pius arſit amore.

*Lib. 2. de Virginibus.

S. Joan. Damaſcenum. l. 5. Heroic.

Tot pariter meritiſque graves, animoque virili
Matronas, multaque inſignes dote puellas;
Birgittam, Radegundim, & Regum à ſtirpe Joannam;
Cæciliam, Catharin; teque, Heroina *, Britannæ
Victricem gentis, Francæ columenque decuſque,
Arquia, virgineo auſpicio: Mariæque clientum
Suſpirans ſeriem immenſam veneranſque relinquo.
Suſcepto ſtat meta operi, tempuſque malignum
Arcet, & infixam premit alto pectore turbam.
Crebra tamen vario ſparſim præconia cantu
Edita: tum curſu in reliquo, libroſque per omnes
Obvia ſubnectam Marianæ inſignia pompæ.

O VIRGO, ætheriæ ſtellantia templa Sionis
Æternâ ditione tenens, cœloque ſecunda
Parthenia, Heroum picto ſplendentia cultu;
Reſpicis hæc mutæ ſimulacra canora poëſis?
Si mihi Apelleæ, & ſummis quæ Vatibus artes;
Biſgeminum pictura tuis decus afferat aris;
Quam nimirum avidis inhians oculiſque animiſque
Omne genus legeret MARIÆ, arderetque legendo.
Sed tamen hæc quæcunque rudis monumenta Camœnæ,
Partheniis appenſa tholis, cum corde clientis,
Quæ non ulla manus, non ulla refixerit hora,
Rite dico; magnum ſi fors dignaris amorem,
Auguſta imparibus venerantem altaria donis.

* Aurelian. Puella. l. 2. Heroic.



PARTHENICON
LIBER II.

INSTITUTA PARTHENII,

Sive Marianorum Sodalium

Propria Deiparæ colendæ ratio.



UI teneras mentes cultus, maturaque firmet
Pectora; quo deceat Proceres cum plebe teneri
Servitio; cœtusque sacros, augustaque clari
Jura Sodalitii geminum diffusa per orbem,
Virtutum genus omne, piosque ex ordine ritus
Prosequar, & Magnæ caros Genitricis honores.
Nec fugit incautum, quàm duros vincere tractus

Aggrediar. MARIÆ ſed Vatem dulcibus urget
Incenſum ſtimulis amor, & ſentire ſalebras
Non patitur molli ſubvectum protinus alâ.
Sic, tibi ſacrato, ſic, ô Regina, labori
Blanda fave. ſuſpenſa tuo ſpes ardua nutu,
Carminis ætherii Princeps, quam candidus Agni
Ille chorus ſequitur præeuntem haud vocibus æquis;
Virgineæ quanquam eximium pæana cohortis,
Inconceſſum aliis, totus miratur Olympus.
Parthenii ſuſceptum adytis, per ſingula, Virgo,
Dirige, ſidereo prælucens igne, clientem.
Te duce jam diſcent rigidi manſueſcere vepres,
Floribus & nitidis pingues accreſcere fetus.
Huc modò, Parthenici, lætos appellite ſenſus,
Huc animos, Dominæque novas aptate coronas,
Divite nec vacuos fructu contexite flores.
Publica jam vario pietas efficta colore,
Parthenium veſtit formis quæ nobile pictis.
Chriſticolas, quæ pars operis jam exacta, per omnes
Virginis actus amor. tot paſſim templa, tot aræ,
Tot cultûs genera, & feſtæ ſollennia lucis,
Donaque inexhauſtum votis teſtata favorem.
Quippe animos Deus ipſe movet, ſtatuitque Patronam
Humano facilem generi, quam quiſque prehenſet
Sedulus obſequio, Mariaque interprete Numen
Haud timidis adeat votis, pacemque reportet.
Inde Sodalitium, ac miræ pietatis origo: ORTUS PROGRESSUSQUE MARIANI SODALITII.
Parva quidem, & pueros primùm ſortita Quirites;
Ut niveas Chriſtus mentes, innoxia corda
Diligit; & quondam Judæa per arva puellos
Sponte vocans, ac biſſeno monſtrare ſodali
Dignatus, capitique manus imponere amicas;
Felices dabat amplexus, & dulcibus ulnis
Accipiens, tales proprio aſſignabat Olympo.
Tales Diva Parens, & Nato conſona poſcit.

Hinc rudibus cœptis, tenuique ab origine crescens
Relligio cunctas Româ profluxit in oras.
Prima Sodalitii hæc sedes, quod Nuncius Ales
Inscripsit MARIÆ. subjuncti huic undique cœtus
Accessere, piis devincti legibus omnes.
Ceu quà, Naturæ insontis comes, alma voluptas
Purpureâ insignem specie descripserat hortum;
Ubere fons patulo riguas crystallinus undas
Impulit, & circùm rorantibus undique gemmis
Suave-renidentes divini ruris ocellos
Gestiit imbuere; ac terris divisus, amœnos
Quattuor æquavit mundi cum partibus amnes.
Nec se intra juvenum cœtus, Academica septa,
Continuit pietas, immenso exercita cursu;
Inque dies major, vires collegit eundo.
Illa viros, arisque sacros, & castra sequentes,
Addictosque foro; quodque est tolerabile munus
Cunque super, variâ fortunæ sorte gerentes,
Comprendit, cœlique vias duce Virgine monstrat.
Ascetûm ordinibus laudata hinc copia surgit.
Purpureos Patres, sancti decora ampla Senatûs,
Parthenium celebrare videt, Sociûmqne diserto
Audit Roma pias hortatu accendere mentes.
Nobilium eximium generosa Neapolis agmen
Parthenio exercet. Præfecti Stiria quondam
Parthenici augusto sese jactavit honore.
Scilicet & dignum Fernando Cæsare jactet,
Hoc titulo imperium, hoc regales munere curas
Augere, & famulos MARIÆ summittere fasces.
Haud minùs illustri Paderæam nomine gentem
Qui regit, & doctas Antistes splendidus artes
Præsidioque usuque fovet, pietate Patronam
Assiduâ tenerisque colit veneratus ab annis.
Jamque sacro fervet Princeps insistere cultu,
Sæpe magistratum lectos obiisse Sodales

Ferdinandus II. Imper. præfecturam gessit Sodalitii.

Ferdin. Episc. & Princ. Paderb. Coad. Monaster.

Inter amans : duplicemque suas deponit ad aras
Et mitram, & baccis fulgentem auroque coronam.
Te quoque Germano, Senarum gloria, Chisi, Alex. VII.
Parthenio insertum spectasse Colonia gaudet,
Tunc Patris Ausonii partesque vicesque gerentem
Legatum, & placitæ jungentem fœdera pacis.
Mox Vaticanâ sublimis ab arce per omnes
Christiadûm regnas populos; Christoque secundum,
Maxime Alexander, caput inter sidera tollis.
Non oblita tamen supremo in cardine rerum
Parthenia; & quæ cuique dari consueta viritim
Tessera, ut instituant sancti decurrere menses.
Quam, Rheni Arctois rediens à finibus olim,
Transmitti longè Tiberini ad fluminis oram
Mandaras; etiam triplicis sub luce tiaræ,
Ut priùs, exposcis, Marianaque sacra frequentas.
Nec Dominæ in Francis desunt, quos gloria vulgo
Secrevit, solioque genus dedit esse propinquos.
Contynum Clari qualem sacraria Montis
Laudarunt studiis regnantem & amore MARIÆ;
Undique Francigenûm collecto flore, sed uno
Salesio ante omnes, Sancto decorata Sodali. S. Franc. Salesius in Claromontano Parthenio Sodalis fuit. de hujus in D. Virginé studio &c. vide panegyricam orationé.
Condæum & molli Biturix miratus in ævo;
Quem palma ingenii, quem bellica laurea cinxit
Heroem, celebratque perenni fama triumpho.
Mitto alios Proceres, quæ plurima turba, superbos
Servitio facili, & Dominæ juga læta ferentes
Liberiore animo. Sub leges Virginis ivit,
Militat & populis delectum ex omnibus agmen.
Stant niveis MARIÆ signis florentia castra. SODALITII LAUDES è ff. litt.
Ipsa, velut ferroque acies auroque corusca,
Delicias Sulamitis ovans pompamque remiscet
Terrori cladique, & pulchro fulminat igni.
Vimque animosque suis afflat, victriciaque arma
Induit; & cantu lituorum, acrique tubarum

Voce choros, ſacro argenti clangore ſonantes,
Diva ciet; pugnaſque acuit, præiitque triumphos.
Hac duce, & auſpicio tanto, juvenumque virûmque
Delibata manus ſuperas contendit ad arces.
Qualis ubi directa phalanx longo ordine ſeſe
Explicuit, junctiſque in prælia viribus ardet:
Tale Sodalitium, pallentis terror Averni,
Collectis pugnat meritis: ſociataque Virtus
Creſcit. & ignavos forteſque exempla laceſſunt.
Væ ſoli. collapſus enim quam prendere poſſit,
Nulla ſubit manus auxilio. fraterna ruentem
Dextera ſuſtentat fratrem, & per lubrica plantæ
Fallentis titubata ſolo veſtigia firmat.
Fratris & auxilio munitam imitaberis urbem,
Quam valli, turreſque & mœnia lata coronant;
Nequicquam admotis oppugnent molibus hoſtes.
En, quàm fraternum (Jeſſeo credite Vati)
Suave Sodalitium! ſummo velut unguina fragrant
Vertice ab Aroni, vultum ſpargentia & oram
Purpureæ veſtis, divinâ textilis arte.
Ac velut, Hermoni cùm roſcidus incidit humor;
Aut matutini cùm per juga ſancta Sionis
Volvitur, ac teretes ſuſpendunt gramina gemmas.
Scilicet unanimes Domini clementia fratres
Uſque fovens, lætos vitæ dat carpere fructus,
Et gratas ſatiat cœleſti nectare mentes.
Quòd ſi fortè duos pietas treſve auſpice Chriſto
Junxerit; ille, pii qui vincula nectit amoris,
Chriſtus adeſt, mediuſque intervenit æthere ab alto,
Promiſſi memor, & præſenti numine blandus;
Nec tellure ſuper concordia vota repulſam
Ferre ſinit, quæcunque inſtent Natove Patrive.
Parthenici quid non cœleſtia pectora cogant
Stipatis ſocii precibus? conſpirat amicè
Innumeri in gentes pietas porrecta Sodalis?

Quid, quòd & interpres votorum & conſcia Virgo?
Felices, quos tanta domo Regina miniſtros
Excepit, patulâve obtendit cyclade Mater:
Congregat ut pullos, milvo impendente, ſub alas
Provida avis; fido ſecuros tegmine obumbrat.
Quæ ſilvâ capitum ramoſa in cornua ſurgit
Bellua ſeptemplex, monſtroque immanior omni;
Quanquam, excuſſa fero ſquammoſæ verbere caudæ,
Sidera conglomerans populato everrit Olympo;
Non Jesu dextrâ ſtellas, non fronte Mariæ
Deripiat. ſedes animis hîc firmior hæret.
Mutuane inter ſe auxilia & ſuffragia dicam
Parthenici gregis? ut ſacrarum plurima rerum
Littore ab occiduo primos Titanis ad ortus
Relligiosè agitent commercia? ſi quid amicum
Cœlitibus; ſi qua eſt virtus, merceſque laborum;
In partem, Mariane, venis, quocunque remotus
Terrarum ſpatio. manant conſortia laudis,
Ceu diffuſum oleum, aut radiantis miſſile Phœbi.
Inſtar habet colli Virgo; caput ipſe bonorum
Filius. hinc animans fluxit per myſtica membra
Spiritus, & magno perſperſus corpore regnat.
Nec ſua Parthenicæ deſunt æraria genti.
Lydius immenſo quidquid congeſſit acervo
Crœſus, ubi ſpumans auro Pactolus inundat:
Quidquid & orbe alio petiit navalibus armis
Heſperius; non ille Tago contentus; & Indi
Fonte ſitim, totoque ardens extinguere Gangis
Flumine, Peruviâque famem ſaturare medullâ:
Denique quidquid opum mortalibus invidet alto
Preſſum terra ſinu, quidquid gemmantia celant
Æquora, Parthenii theſauro cedite, dixi.
Non furum inſidias per amica ſilentia noctis
Permetuunt, iterum telluri infoſſa, metalla;
Quæ curâ inſomni trepidus ſervare laborat

Thesaurus Sodalitatis, ſive Indulgentiæ pontificiis diplomatis cōceſſæ parthenio &c.

Possessor; qualis custos draco velleris aurei,
Fictus & Hesperidum custos prædivitis horti
Excubuit, spirisque insignem amplexus inhæsit
Circùm ingens silvam, fortunatosque recessus,
Pervigil observans fulgentia mala satelles.
Nec verò sacram rapiet vis hostica prædam:
Nulla situ ignavum rubigo deteret aurum.
Thesauros alios, non coctæ pondera glebæ,
Quam vel Luna suo, vel Phœbus lumine tinxit;
Divinas sedenim cumulans Clementia in altum
Parthenicis extruxit opes, astrisque locavit.
Multæ divitias, pretiosa talenta, puellæ
Contraxere sibi: tu cunctas una beato
Exuperas censu meritorum, opibusque Sodales
Eximiis auges, Virgo. nec vincere tendat
Hospita Carmeli, aut Pæsti gens hospita sacri.
Quæ charites! quàm larga Petri de sede redundant
Munera! Pontificum quanta indulgentia gazam
Cœlestem, Christi meritis & sanguine partam,
Parthenio infudit! seu cùm te prima cooptat
Rite dies Sociis, Mariæque adscriberis albo;
Seu cùm extrema dies & ineluctabilis hora
Judicis æterni ciet ad fatale tribunal;
Noxam omnem veniæ plenissima copia tollit.
Quóque die certam felix tulit ore salutem
Nuncius, ex alto MARIÆ demissus Olympo;
Quóque Assumpta polo est, rerumque accepit habenas:
Cúmque diu sterili grandævæ matris ab alvo
Tristibus illuxit terris caligine pulsâ;
Atque ubi conceptam regali sanguine finxit
Gratia: Bethlææque Deum cùm rupis in antro
Deposuit, partu sancti decus aucta pudoris;
Ac sua ubi ascensu superantem sidera vidit
Læta parens, Natumque oculis animoque secuta est.

His adeo ſcelerum pœnas abolere diebus,
Parthenicis, dum caſtæ obeant myſteria mentes,
Poſſe datum eſt. veniæque eadem feret obvia dona,
Parthenium quiſquis ſubiit pius advena, ſacris
Dans operam, dignâque gerens virtute ſodalem,
Lux Mariæ cùm feſta redit, quam quiſque colendam
Præcipuè legitque ſibi propriamque dicavit
Parthenii cœtus, tituli que inſcripſit honorem.
Jam ſolidus biſſex decedit menſibus orbis
Pœnarum, quoties indicto tempore ſedem
Partheniam celebras; quoties aſcetica miſces
Colloquia, aut ſacris præbes hortatibus aures.
Sive, chorus Superis dum publica munera laudum
Exequitur cantu alterno; ſeu luce profeſtâ
Intentus ſpectator ades, cùm cædis ad aram
Golgotheæ non vana ciet ſimulacra ſacerdos.
Si veſpertino diſtrictam examine mentem
Conſcius expendis, commiſſaque pondere libras
Quæque ſuo. triſti quoties aut carcere clauſos,
Aut inopem inviſis turbam, morbove jacentem.
Sive in amicitiam revocas, quos ira diremit,
Concilians pacem; ſeu corpora luce carentum
Proſequeris; vel membrorum compage ſolutam
Procuras precibus (nec vana hæc februa) mentem.
Horum aliquid quoties divino impendis honori,
Tot, Mariane, tibi pœnarum detrahis annos.
Denique, Parthenio ſi cui deprompta libello
Præſidia expones, artemque viamque ſalutis;
Biſdenos tibi noxa ſimul decreſcet in annos.
Atque hanc Parthenicis propriam largitus opum vim
Pontificum favor, & ſummæ reverentia Matris.
Gregorii immenſam & Sixti diplomata dotem
Aggeſſere ultro, communiaque eſſe dederunt,
Quot propè eunt ſoles, animorum ingentia lucra,

Quanta referre ſolent Latiam ſtata templa per urbem
Luſtrantes. eadem pariter meruere Sodales,
Loiolæam ædem aut quodvis adiere ſacellum,
Ætheriumque Patrem Chriſto præeunte vocarunt,
Et Dominæ bis terque piam dixere ſalutem.
Culparum ultrices pœnas aut funditus omnes,
Aut partim redimunt : nec longa piacula debent
Poſthuma, quæ multo MARIÆ quoque diluit imbri
Dulcis amor, famulos nec poſt fata ipſa relinquens.
Quæ tibi ne vilis veniæ ſit gratia tantæ;
Diſce adeo, quibus urantur poſt funera pœnis
Terrigenûm exuto purgandi corpore manes.
Cœca jacet terræ ſpecus in penetralibus altis,
Vaſta, capax populorum, atroque bitumine fervet,
Hoſpitium infelix animarum, immite ſepulcrum.
Heu miſeri manes ! quàm vellent corpore in ipſo
Omnes pœnarum numeros, & quidquid acerbi eſt
Setoſo Cilicum in textu, duriſque flagellis,
Fletum inter gemituſque pios, jejuniaque arcta,
Exhauſiſſe ultro, & lacrymis commiſſa luiſſe,
Quæ rigido nunc ultor agens Deus expiat igni!
Quàm curis piget indignis fudiſſe labores;
Nec veniæ oblato ſuſceptam munere pacem !
At ſerò incautos damnum irreparabile tangit.
Egit quippe ſuas Patris clementia partes,
Dum vixere : ſuas mox, haud fruſtranda, viciſſim
Occupat à morte incumbens vindicta tremendi
Judicis, & pœnis culpas atrocibus æquat,
Acri ſuſpendens fatalem examine libram.
Scilicet haud ullas cœleſtia limina ſordes
Admittunt; maculamque omnem poſuiſſe neceſſe eſt
Regno adſcribendos ſupero, ſanctæque Sioni.
Ergo ubi jam excedunt mortali corpore mentes,
Nec Domino exoſæ, noxâ leviore tenentur;
Seu paſſæ tenues impune inoleſcere culpas;

Seu graviora auſæ, veniam ſed rite precantes
Læſo inſtaurarunt abruptum Numine fœdus,
Necdum etiam explerunt meritas pro crimine pœnas:
Antè, Dei aſpectu & ſtellatâ ſede potiri
Quàm cupidis liceat, luſtralibus omnia flammis
Cœlo excluſæ abolent veteris veſtigia noxæ.
Concretas ut cùm terræ maſſa aurea fæces
Suſtinet; excoquitur labes, vivoque ſubacta
Artificis fugit igne: manet ſincera metalli
Materies, puroque oculos ſplendore laceſſit.
Sic ipſos animis penitùs vis torrida nævos
Eximit; & Stygio haud impar vis illa camino.
Æternæ ſedenim barathrum irremeabile cladis
Interiore Orco, reſciſſaque gratia Chriſti.
Tum furiæ inſultant; non quales fabula Diras,
Tartaream canit Alecto, geminaſque ſorores,
Sanguineas pallam, & colubris ſtridentibus hirtas,
Verberibus piceiſque accingi in crimina tædis.
Sævior hîc facies; & deſperantia corda
(Nec requies) agitat factorum conſcius horror,
Ac toto incumbens æternum pondere fatum.
Præcipiteſque acti cœlo, gens turbida, fratres,
Lucifugi, immanes, ſimileſque draconibus ora;
Tortores, gens tota, & inexſaturata nocendo;
Atque eadem ſcelerum conſors, conſorſque dolorum.
O furor! ô rabies, tempeſtateſque profundæ,
Aſſiduo infeſtæ tonitruque & fulminis ictu!
Gurgite ſulfureo ſtagnans ignique vorago!
Cœlo iraſcentum, & mortem clamore vocantum
Plangores fremituſque, & luctiſoni ululatus!
Talibus hærebunt Mariæque & Numinis hoſtes
Suppliciis, merſæ flammâ & caligine peſtes,
Quos odiis cunque impietas ſuccendit apertis,
Munificæ ingratos Dominæ, lucique rebelles:
Aut ſpecie obrepſit queis relligionis inani,

Lubrica dum ſerpit Novitas; blandoque veneno
Graſſari, & ſacris fallax miſcere profana,
Vellicat inviſos auguſtæ Matris honores.
Talibus at contrà pœnis Regina clièntes
Præripit: & leviore manu cùm ſtringit amicos,
Juſtitiaque Deus manes purgante ſuburget;
Ipſa levat, flammæ aſpergens ſolatia, Virgo.
Jam cœli ſpes certa, brevi ſtatione retentas
Demulcet mentes, & nobile Gratia pignus.
Aligeri placido Cuſtodes ore reviſunt;
Fidaque viventum medii commercia jungunt
Manibus, effuſaſque preces ad ſidera portant.
Præſertim, ſancti cui credita cura peculî,
Largitur ſummus quoties pia munera Præſul;
Morte ſalutiferâ, nec decreſcentibus uſu
Aſſiduo Chriſti pretiis, ſacroque cruore;
Ac meritis Divûm reliquis, primæque MARIÆ,
Congeſtam expromens pœnæ ad compendia gazam.
Triſte, horrendum, ingens verſurâ ſolvere nomen
Incenſæ gaudent animæ, vincliſque reſolvi.
Atque ea cùm faciles expoſta piamina in uſus;
Quâ non ipſe tibi, dum ſpiritus incolit artus,
Quâ non deinde aliis ſortem hanc mercede paciſci
Debueris? vel ne qua animæ mora Numen amanti
Objiciatur, & in duro tenebroſa receſſu
Compingat ſpelæa, viamque occludat Olympo.
Ut quondam Iſacidæ ſegnes deſerta per arva
Uſque moram juſſi trahere, & ſqualIentis arenas
Ferre ſoli, vaſtoſque ſiti flagrare per æſtus;
Ubere dum lactis riguas & mellis oberrant
Summotique inhiant terras, deſponſaque regna.
Hîc patriæ extimulat præſens melioris imago,
Fragranti manant ubi gemmea nectare prata,
Aureaque æterno rutilant pomaria fetu.
Et divinæ animos urit vicinia ſedis;

Infernâ & fornace dolor misto urit amore.
Felix, in serum qui nulla piacula tempus
Distulit, instanti subducens pabula flammæ.
Sed paucos quando emeritos ita Numen amicum
Excipit, abjectoque micans è corpore virtus
Sidera inoffenso docuit superare volatu;
Proxima cura vices fuerit prævertere acerbas,
Mitiùs ut saltem penetrabilis excoquat ardor.
Nec brevior, quàm Parthenio via secta salutis.
Elatum ut tumulo jam composuere cadaver;
Tum privata precum memores & publica fratri
Officia exolvunt, placidamque exinde quietem
Parthenici octonis instant meruisse diebus:
Dilectæque animæ lustralia sacra laborant.
Christiparæ usqueadeo sese addixisse clientem
Prosit, & egregios inter meruisse Sodales.
Gratia ubi vitam sese Mariana per omnem
Explicuit, meritisque insontem implevit alumnum:
Præsertim extremo in spatio, cùm æterna vacillat
Momento suspensa salus; tunc optima Mater
Subsidio accelerat, vimque insidiasque refringit
Tartareas, sævire odiis non passa cruentis
Orcum inhiantem animæ, supremaque bella moventem.
Nec tantùm Aligeræ mandat portanda cohorti
Auxilia. & summo ipsa favens discrimine rerum,
Sæpe laborantes animas placidissima Virgo
Solatur, visu ipsa pios dignata beato.
Dehinc gremio acceptam mentem super æthera tollit.
Aut si fors crasso suscepta in corpore labes,
Quam non eluerit toties, ac morte sub ipsâ,
Munere Pontificum, veniæ concessa facultas;
Flammiferos mollit nexus, carisque suorum
Manibus opportuna ciet suffragia, vivos
Exanimûm curâ instigans, pia corda, clientes.
Quin etiam sæpè ipsa suo pro jure (Tonanti

Sic placitum. indulget blando Genitricis amori,
Et longos meritis compensat grandibus ignes)
Parciùs atra jubens sævire incendia, pœnæ
Tempora contrahere atque ereptos carceris antro
Sideream Regina solet transcribere in arcem.
Et quisquam MARIÆ nomen, cum nomine quisquam
Cor dare, sacratoque locum sibi poscere cœtu
Cunctetur? certatim omnes, puerique patresque;
Quos toga, quosve sagum Proceres insignit; & ipsi
Cum grege Pastores lituo mitraque verendi,
Divæ accenseri famulis, conscriptaque libro
Nomina Parthenio casti lætentur amantes.
Haud temere quosvis tamen, at discrimine certo
Delectos Magnæ domus excipit alma Parentis.
AGGREGATIONIS SOLENNIA.
Huc ades, ô Tiro, si te observata probavit
Parthenio virtus & pulchra modestia morum;
Discretusque loco, rebusque exercitus imis
Omne rudimentum posuisti; & rite paratus,
Jure Sodalitii ac tanto dignaris honore.
Cuncta memor vitæ evolvens delicta prioris
Prode sacerdoti, & lacrymis commissa repurga;
Victima ne maculis, ingratum & inutile munus,
Cœlestem offendat Dominam. tum Numine pastus,
Sanciat ut Proles MARIÆ tua fœdera, puram
Stringe facem, admotusque aræ tua concipe vota.
SANCTA Parens, quam nec veteris contagia noxæ
Afflarunt Evæ in seros transfusa nepotes;
Nec propriæ aspersit labes tenuissima culpæ;
Larga sed ante omnes superis quam Gratia donis,
Omnigenæ virtutis apex fulgorque coronat!
O MARIA, imperio natum, stellisque coruscis
Inscriptum, & radiis mulcens maria aspera nomen!
Cum Patre supremo Nati communis honorem
Consocias Genitrix Virgo; fratremque dedisse

Terrigenis gaudes illæſi candida floris
Diva Deum; & ſummi regnas dextræ aſſita Regis,
Unâ Prole minor, Chriſtoque ſimillima Mater,
Publicam & humanæ curam ſortita ſalutis.
En ego Partheniam ſupplex abjectus ad aram
Sacramentum ingens & non revocabile dico.
Te Dominamque hodie, cui tota ex ordine vita
Serviat; & cœli cunctis præ civibus unam
Patronam ipſe mihi, æterno devotus amore,
Rite lego, haud dubius fatalem vincere cauſam;
Quanquam haud æqua gravi ſcelerum ſub mole laborat,
Si patrocinio miſerum amplectare clientem.
Felices te orante reos ſententia nunquam
Horrida fulmineo percuſſit Judicis ore;
Libera ſed vinclis exultant corda ſolutis,
Ætheriumque forum Verbo regis Alma Sequeſtro.
Jam quodcunque meum eſt, meque in tua dulcia jura
Tranſcribo penitus, Magnæ ſacer uſque Mariæ.
Nulla dies pactum hoc, nulla inviolabile fœdus
Solvet: & antè ſui divulſos corporis artus
Spiritus hic, quàm te male-felix transfuga linquet.
Nec te lingua procax, nec te manus improba lædet.
Aridam utramque priùs, properatâ & morte rigentem,
Diva, velim. deſponſa tibi, jurataque rerum
Dictorumque fides. Nec, quos mihi cunque poteſtas
Subdiderit, decus ire tuum atque offendere contra
Perpetiar, minimumve tuæ decerpere laudi.
Ergo ſi juſtis precibus molliſſima flecti,
Hæc mea vota probas, & mutua vincula nectis;
Suſcipe, Diva, tuum, natiſque adſcribe clientem.
Aut Nati ſi fors titulus nomenque ſuperbum eſt,
Perpetuum numera famulum, neu vilis amorem
Deſpice mancipii; præſenſque per omnia Virgo

Adſpira, & fragilis labentia tempora vitæ
Dirige, nec ſolum extremo me deſere in actu.
Terrificâ defenſum horâ, lethique periclo
Servatum æternæ regno, precor, adde Sionis.
Hæc puer, haud ſenſu indocilis, cùm prima facultas,
Edat, & integros Dominæ ſic dedicet annos:
Aut, ſi quem caſus pigræve incuria mentis
Longiùs extraxit, properet maturior ævi.
Serò etiam ſapuiſſe juvat. Nec, fervida quanquam
Præſtitit & viridis pietas juvenilibus annis,
Nec tardum omnino Deus aſpernatur amorem,
Extremiſque ſenum votis accommodat aures.
Felix illa dies, alboque notanda lapillo,
Quæ te cunque dedit Mariæ, adjunxitque Sodalem.
Auſpicium non ulla tibi pignuſque ſalutis
Majus habere dedit. cœleſtum opulenta bonorum
Hinc facili ad plenum manabit copia cornu.
Jam te complexu Mater dignatur amico,
Gratatur que ſacro reſonans pæane ſacellum.
Jamque tuum accipient monumenta perennia nomen,
Ceu *vitæ* liber, aut Agni cœleſte volumen.
Parthenii ingentis longo capita ordine ſervant,
Delectam Mariæ gentem. cum Virgine ſancti
Fœderis hîc tabulæ, teſtis quas excipit Ales,
Quique tibi Cuſtos & Numinis armiger adſtat,
Quique Sodalitii excubitor, Mariæque miniſter.
Excipit haud fluxas voces, ſparſamve per auras
Propoſiti formam, & cœli in tabularia condit.
Illuc nos terrâ venientes obvia Virgo
Accipiet, matrem confeſſa. & jam inter utroſque
Parthenios cœtus, terràque poloque colentes
Communem Dominam, rerum commercia juſſit;
Ut Superos precibus, merito & celebremus honore;
Ipſi autem curam vigilem auxiliumque viciſſim

Cœlicolæ impendant nobis. Quas dicere grates,
Diva, parem, quæ me obſequio Cœleſtibus æquas?
Nec te degeneris pudet, ô pulcherrima, nati.
O mihi ſuave jugum, potioraque torquibus aureis
Vincula, queis me dius Amor metuente reſolvi
Nexu felicem æternos devinxit in annos!
Nunc age, continuis quæ ſint præſtanda diebus
Parthenico, expediam. vitæ memorabilis eſto
Quæque dies ſpecimen, magnæ virtutis imago.
Prima ſub Auroræ conſurgens lumina, cœlo
Tolle manus, ſummumque piâ prece Numen adora.
Plenâ in te congeſta manu gratare benigno
Dona Patri, lapſæque averſa pericula noctis.
Tum, cœpto quæcunque die peragenda ſequentur,
Rite offer, lumenque rogans & robur in hoſtis
Tartarei aſſultus varios. quo munere fretus,
Exin nulla Dei ſacrata reſolvere juſſa
Promittas, animumque ingenti pignore firmes.
Nec verò auguſtam Chriſto disjunge Parentem.
Ac Superos votis alios flagrantibus ambi,
Ordine quemque ſuo, Tutelareſque ſaluta.
Queis feſtus renovatur honos, clariſſima certè
Sedulus Indigetum venerari nomina; cultu
Præcipuè inſignes MARIÆ, coluiſſe memento:
Nec nullâ ignotos generatim amplectere curâ.
Hæ tibi primitiæ rerumque exordia ſunto.
Exſomnis flores animi præcerpere anhelat
Orcus, & inſidians male-cauto irrepere cordi;
Spargit & atra ſagax fecundæ ſemina culpæ,
Si torpere animum ſegni patiare veterno.
Quin rectam accelerans efferre ad ſidera mentem,
Arma rape, & primis ſceleratum finibus arce.
Ægriùs ejicitur, quàm regno excluditur hoſtis.
Mox alias alii curas, quos grandior ætas
Fluctibus implicuit variis; ſeu Principis aulâ,

EPHEMERIS PARTHENICA; ſive Sodalis, præſertim Academici, quotidiana vitæ ratio.

Seu templis castrisve, aut pulvinaribus altis
Justitiæ, ac quemvis fas est, agitate laborem,
Dum MARIÆ semper memores; ac debita nullum
Christicolæ eludat pietatis munera munus.
Primas prima ferat quæ rerum, & maxima, curas.
Ast animum vigili imbutus pietate recentem,
Tu, lætum cui ver agitur, florentis & ævi
Castaliâ excolitur mens haud ignava palæstrâ;
Jam studiis te accinge volens, gratoque labori
Strenuus indulge pulchras volitare per artes.
Doctrinæ ingeniique dator, Superûmque magister
Vibrantem afflabit divini luminis auram
Spiritus, haud sterilem passus trivisse palæstram.
Sed priùs attigerit libros quàm dextera, cúmque
Verba rudes blæsâ primùm connectere linguâ
Instituunt, jamtum hæc teneris elementa puellis
Præscribam, blandæ nomenque decusque MARIÆ.
Atque ubi crescendo explicuit se firmior ætas;
Hæc eadem perdiscere ament; tum cetera faustis
Ducere ab auspiciis. En, matutina juventam
Æra cient, totâque Lyceum accurritur urbe.
Gymnasii notam, quà te via ducit, in ædem
Qui tandem orando labor est subiisse Tonanti?
Terrenum quo more cohors solet aulica Regem
Visere, & officio certatim ambire frequenti.
Tu magis ante aras, submissus genva, saluta
Præsentem niveâ frugis sub imagine Christum;
Ceu puer Austriacæ quondam hospes Kostka Viennæ.
Haud operoso insta supplex, Mariane, favori.
Phœbeam veteres tenebroso à Principe lucem
Expetiere sibi, cœcumque hausere furorem.
Sol tibi divinus sanctâ penetralis ab umbra
Arcanos fundet radios. tu pectore aperto
Excipe (néve atro vitiorum exclude recessu)
Ut liquidi maris unda micans, ut candida nubes,

Aut ſpeculi ſolem terſiſſima lamina reddit.
Pollutæ hoſpitium mentis, ſedemque profani
Corporis horreſcit, longeque averſa refugit,
Munere quæ optato caſtos Sapientia mores
Exornat, doctoque addit ſua præmia ludo.
Jam te ſacra vocant, noſtræ devota ſaluti
Victima ubi recidiva polo delabitur ultro;
Myſticaque auguſto peragit Deicidia ritu
Golgothei collis referens monumenta ſacerdos.
Aligeros inter purâ cum mente venito,
Senſibus & caſtis; ac mundo corde beatus
Noſce Deum occultum. Fidæ modò credulus auri,
(Nos oculique manuſque, & odor guſtuſque fefellit)
Sanguinis undantem ambroſiam lætiſſimus hauri.
Tot riguos aperit fontes, quot vulnera Jesus
Semper aperta ſuis ſemperque recentia geſtat.
O ſi pervigilem ante aras, neque frugis egentem,
Cœlicolarum inſtar liceat traducere vitam!
Sed refici acciſæ vires, & damna caduci
Corporis uſque novis ſarciri acceſſibus optant.
Finibus his paſtûs teneat ſe juſta cupido,
Ne pronæ in ventrem pecudis de more ſaginam
Quæſiſſe, ingluviemque cibis expleſſe labores.
At tu ſume cibos, tanquam medicamina; & inter
Veſcendum cave jejunam dimittere mentem.
Illa magis paſcenda tibi eſt. ſunt & ſua menti
Fercula; quaſque epulas alieni haud indiga ſumptûs
Ipſa parat, meditando, ſibi; quáſque auribus haurit,
Dum menſis lectorem adhibet Convictor honeſtis:
Obtunditque gulæ ſtimulum, illecebraſque palati.
Sic bene conditis dapibus ſincera voluptas
Inſinuat; reparata novo ſtant robore membra,
Non ignava ſitu putriſque trahentia morbi
Sentinam; & nullo, aut nimio marcentia ſomno:

Verùm habili cunctam in partem succincta vigore,
Atque animæ facili ductu frænoque regenda.
Post, ubi jam sedata fames, mensæque relictæ;
Ne tibi continuò quisquam tam tetricus autor
Imperet à mensis opera ad graviora labori
Cessurum transferre animum. Ni fune remisso
Laxentur, ductis intentos cornibus arcus
Ruperis: &, quæ fulmineo tormenta fragore
Intonuere, crepant, si crebrior arserit ictus;
Nonnullam & requiem vel ahenea corpora poscunt.
Ne tamen effusis animum procurrere habenis
Imprudens patiare; sed intra septa coërce:
Ulteriùs si quando illum vagus egerit ardor,
Officii in gyrum revoca; linguæque severa
Exerce imperia, & juveniles comprime motus.
Neu quemquam facto violes, dictove lacessas:
Nec verò insulsis salibus, risuque protervo
Colludas; sed amica piis consortia verbis
Respergas, quacumque via est; sociasque per aures
Jacto venturam expectes de semine messem.
Mox dispersi animi partes, utcunque receptum
Hora canet, properè sua quamque in castra coactas
Compones; avidusque moram pensare, solutum
Acriùs ingenium intendes, reddesque labori.
Otia sic prosint; cursum mora parva citabit.
Prava sodalitia exhorre, Mariane Sodalis:
Virginitatis honos, Dominæque injuria tangat.
Heu fuge fatales scopulos, fuge naufraga saxa,
Quamvis omne sonet Sirenum cantibus æquor.
Nec te decipiat crater Circæus hiantem,
Ex Apoc. Aureus ille licet, ac dulcibus oblita succis
Labra gerens circùm. illuso latet humor in auro
Virosus, quo pota virûm tot millia fœdos
Degenerant pecorum in mores, non corpore verso,
Sed falsâ monstrosum animum celantia formâ.

Nescia mens juvenum, & blandi secura pericli
Per vetitum ruit infelix. Ea saga, Voluptas,
Parthenici. vos fidum oculis prætendite velum;
Munitas rigidis obducite sentibus aures:
Neu gustate quidem, aut summis attingite labris
Pocula, Tartareas intus claudentia pestes.
Suadet enim vesanus amor; suasere sodales,
At non Parthenici; non, qui Solymæa frequentant
Concilia; at Babylon putri quos ubere lactat.
Aude age: nec spurcas impune licentia voces
Te coram eructet. monitu, ne parce, salubri
Increpita; aut taciti saltem censura pudoris
Damnet, & adductæ castigent nubila frontis.
Parthenici à pluteo procùl, ô, procùl este librorum
Molles nequitiæ, totoque absistite tecto.
Insontes Musea libros petiere, magistros
Virtutum, cœlique duces: nec gratior ulla est,
Quàm pia quæ MARIÆ circumfert pagina laudem.
Hæc versare manu, hæc animis monumenta Sodali
Edico, & magnos factis traducere in usus.
Denique, ut ætherii Regem veneratus Olympi es
Exoriente die: sic, cùm nigrantibus alis
Somnum amplexa ferens operit nox humida terras,
Sidereum votis serus venerare Parentem.
Hæc Orci insidias contra, nocturnaque tela
Ægis erit. Væ, qui nudus cœlestibus armis
Permittet somnis oculos, animumque periclis
Tristibus objiciet; præsertim conscia noxæ
Lethalis si corda gerat. Tu, si qua salutis
Cura super, justo perpende examine, quidquid
Vel conceptum animo, aut linguâ manibusve profectum,
Numinis æterni sanctos detrivit honores.
Excute te, penitusque sinus evolue latentes
Cordis, & anfractus; productaque monstra latebris

Sepi aures tuas spinis. Eccli. 28.

Siste tibi. arcanum mentis conscende tribunal
Judex ipse tui, fidusque ad singula testis;
Præsentesque in te pœnas expromere vindex
Ne dubita; & totis Metanœæ viribus insta
Contriture reum. *Prima est hæc ultio*, quâ se
Quisque nocens damnat meritum, absolvitque fatendo.
Justitiæ leges non improba gratia vincit.
Quod superest; dum strata petis, mollique cubili
Per tenebras fusum velaris sindone corpus,
Jam consanguineum letho per membra soporem
Ducturus; pheretri subeat minitantis imago,
Et mortis facies, tumulique inamabilis horror.
Sed non ulla prior fuerit tibi cura MARIÆ
Assiduo cultu. niveis da lilia palmis,
Necte rosas capiti, & nardis asperge volentem.
Aurorâ surgente, æris pulsu excitus illam
Æterni Auroram Solis, quâ concidit ingens
Nox scelerum, & cœci domitricem Acherontis Olympo
Appella; mediaque die, primaque MARIAM
Nocte voca; precibusque horas signare memento.
Jam manibus, quæcumque offers, committe MARIÆ,
Si vis grata Deo, si non latura repulsam.
Sordida Virgineo splendescent munera tactu.
Huic vitam lethumque, animam corpusque repone.
Virgineum non corde pio, non ore recedat
Nomen &, auxilii certum meriture favorem,
Virtutis materna sequax vesti gia adora.

COMITIALIBUS DIEBUS PIÆ SODALIS EXERCITATIONES.

Hac-memorata-tenus vero peragenda Sodali
Privatim quocunque die: nunc publica porrò
A ccipe qu æ crebro poscantur munia ritu.
Sabbata (quos Magnæ sacros dixere Parenti
Christiadæ, rituque dies coluere vetusto)
Partheniam solitâ sedem pietate recludunt,
Cùm fluvio impendet jam sol devexus Ibero.

Tunc admota pias ſubeunt hortamina mentes;
Conſcia ſupplicibus fervent penetralia votis.
Conventûs hæc illa tamen præludia cenſe,
Quem ſimul, ac Domini ſignatam nomine lucem
Phoſphorus inducet. proprii delubra ſacelli
Maturè petito; atque illic, dum fruge ſacerdos
Divinâ, & ſuperæ litet almo ſanguine Vitis,
Aut Dominum ſupplex Dominique affare Parentem,
Submiſſus genua; aut tacitus conſide, Sodalis,
Indigetumque vaca mores & facta legenti,
Suavis ut areolæ lætos verno ubere flores.
Proh, qualem Abelyus, jugi per ſecula cultu
Virginis inſignem, pretioſo in munere, librum
Parthenicis miſit, queis Francia gaudet, alumnis!
Temporibus digeſta ſuis decora omnia cernas,
Pontificum Regumque ingentes ordine pompas,
Sollennes populis faſtos, votivaque dona,
Conciliis decreta, Patrumque effata coegit.
Chriſtiparæ gratas artes, laudumque medullam
Excerpens, gravibus documenta exemplaque chartis
Lecta dedit, multùm illa pio volvenda Sodali.

Ludov. Abelly, Epiſc. Ruthenenſis, *Ecclesiæ Traditionem circa Deiparæ V. cultum* &c. ſcripſit; donoque miſit omnibus Frãciæ Sodalitiis

Plenior ut cœtus; Jeſſei carmina Regis
Alterno reſonare choro, laudeſque MARIÆ.
Nec rarâ prece fraternos exolvere manes
Ardor agit, diro expurgans quos carcere flamma
Alligat, incenſis poſcentes æthera votis.

Longa feneſtratum ſeries adit, ecce, tribunal.
Juſtifici ſolium hîc poſuit Metanœa doloris.
Hîc denſi tenues animæ detergere nævos.
Sollicitì maculas etenim cavêre Sodales.
Incuſat ſeſe ipſe reus, pœnamque repoſcit
Et veniam. uberibus lacrymis permiſta cruoris
Balnea, quem rubrâ cæſus Crucis Agnus in ara
Omnibus è venis laniato corpore miſit;
Piſcinâque animos juſſit merſare ſalubri.

Atque ubi purpureo ſeſe emerſere lavacro;
Albatos videas ſuperi ad convivia Regis
Eſurie ſanctâ & totis inhiare medullis.
Divinam humani veſcâ ſub imagine panis
Fas libare dapem, vireſque ad grandia rerum
Colligere, ac dulci mentem recreare ſaginâ.
Partheniô apta quies & digna ſilentia ſacris.
Turbam extra ſtrepitumque tuo, Mariane, receſſu
Virtutum exequeris ſecluſo munia vulgo.
Poſtquam aræ perfectus honos; mactataque Patri
Hoſtia, frugifero ſatiavit corpore Chriſtus
Convivas; lumenque Dei ſpirabile pronis
Excitum precibus: tunc vividus ille coruſcat
Ancipitis ferrum gladii penetrabile ſermo
Exuperans. ignitâ acie pia corda recludit,
Et graciles certat vitiorum exſcindere fibras,
Ac penitùs Chriſto & MARIÆ ſubmittere mentes.
Increpitatque moras, ſi quem mala fortè tepentem
Segnities tentat, ſanctoque in munere languor.
Mox varias obeunt Divæ laudeſque preceſque;
Conceptos referunt animis majoribus ignes.
Grande ſonat titulorum agmen, cùm Numine ab ipſo
Exorſi decora agglomerant Mariana Sodales; Litan. Lauret. B. V.
Quæ Lauretanas primùm cantata ſub aras,
Nomen & inde trahunt, mundoque audita reſultant.
O MARIA, infeſtum ſceleri prece vince Tonantem;
Quem ſublapſum utero, fragili quem corpore amictum,
Ætherio fecunda ſatu, ſub luminis auras
Fudiſti, ter-Sancta Parens, ter-Maxima Virgo.
Te Matrem Chriſtus pariter, Divinaque fecit
Gratia, Bethleo mortalibus edita partu;
Purior & nivibus Genitrix, & purior aſtris!
Quis tibi devinctum æterno ſe nolit amore,
O Mater, quâ nil melius, nil pulchrius uſquam,

Nil mirandum æquè Deus edidit, editus alvo
Ipſe tuâ rerum ille Opifex? quo condita Verbo,
Per te eodem rurſus Verbo inſtaurata, ſalutem,
Alma, tibi debent & amicum ſecula Numen.
  Te, Virgo, Solymas inter Prudentia Nymphas
Extulit illuſtrem meritis, orbique Verendam,
Et magno Superûm atque hominum dignam ore ſonari.
  Nulla tibi ſeſe, Virgo, conferre Poteſtas
Audeat: ipſa tibi divina Potentia ſervit.
  Nec durâ miſeros, Clemens, averteris aure:
Nec ſervis Dominove fidem ſcis frangere pactam;
Semper & obſequio Numen, dulcique clientes
Allicere imperio multoque aſſueta favore.
  Juſtitiæ Speculum, & ſpirans Virtutis imago!
Te ſibi molita eſt habilem Sapientia; & in te
Hoſpitium æternum, ſoliumque immobile fixit.
  A te noſtra fluunt, plenoque à fonte redundant
Gaudia. gemmatum, & cœli fragrantibus auris
Oppletum Deus ipſe ſuo Vas ſignat honore.
Ambroſium divinæ afflas pietatis odorem.
  Myſtica purpureo florum Regina decore
Suavè micas; vivoque tener Pudor igne rubeſcit:
Ducit odor caſtos tua per veſtigia amantes.
  Iſaïdæ Turris, quam propugnacla coronant
Fetam armis, tutoſque aptam præſtare receptus;
Atque eadem murali eboris ſpectanda nitore,
Candentis Libani Turris: roburque decuſque
Jungis, & aërios deſpectas vertice nimbos.
  Stas ſolido flagrans auro, diſtincta pyropo;
Humanæ non tu artis opus, dextrâve parata
Mortali Domus, aut Domini mortalis in uſus.
  Fœderis Arca novi cuſtos, & Numinis ingens
Auguſtale! patens utroque à limine Porta,
Sidereæ invitans patriæ & felicibus arvis!

Occiduo nunquam mutandus Veſpere, mundi
Lucifer, Ægrorumque Salus, Portuſque Reorum!
Tu ferre afflictis potis es ſolatia rebus,
Auxilioque levare virûm famulantia Chriſto
Pectora. tu pigro ſecretas corpore Mentes
Cœligenûm, terrâque homines ſuper æthera vectos
Sub tua jura vocas; primâque ab origine Patres,
Afflatoſque Deo Vates, legiſque beatæ
Præcones, Teſteſque ſacros, Confeſſaque Chriſtum
Agmina, Virgineoſque greges, & quidquid Olympo eſt
Indigetum, ac totum regno complecteris Orbem.
Diva Parens, Agno ſimilem ſimilemque Leoni,
Natum inflecte pio nobis Patrona rogatu;
Supplicibus votis ut amicas applicet aures,
Qui mundi commiſſa luit, placabilis Agnus,
Noſque ſuas miſeratus oves; idemque luporum
In rabiem victrice Leo deſæviat irâ,
Corporibus ſtratis humilique ignoſcere prædæ
Magnanimus, Paciſque Dator, Vindexque ſalutis.
Sic Dominam, longo texentes ordine laudem,
Concelebrant. pius hæc eadem tecum ipſe frequenta
Chriſtiparæ cultor, præconiaque ampla renarra.

CELEBRIORES ALIQUOT RITUS, Pompæ ſacræ, factaque inſignia Sodalium.

Nec mihi Parthenias vacuum res carmine juſto
Uſque ſequi; aut celebres ritus, pompaſque ſacrorum
Fas penitùs ſiluiſſe. brevi perſtringere cantu
Magna juuat. vulgi nec me faſtidia tangant.
Non hîc ambitio caſſos venatur honores;
Non temere movet aura levis ſuffragia turbæ.
Conſulto decus hîc meriti ſpectabile cœtu
Rite magiſtratus ſtatuit, lectoſque miniſtros,
Quíue adytis foribuſve adſtent, memoreſve ſacelli
Aſſervent tabulas, Mariâque impreſſa ſigilla;
Quíque alias intráve gerant extráve piarum
Commiſſas rerum partes, oneroſaque jura.

Parthenicis quondam perfunctos, inſpice, faſti
Muneribus referunt Proceres. jamque Auſtria talem
Fernandum oſtendit, Fernandum Bructera tellus,
Saleſiden magnum Lutetia. Nec leve pignus,
Menſtrua Cœleſtum quoties tutela recurrit,
Virtutem inſcripto mandat *ſententia* cultu
Cuique ſuam. Nil caſus agit: caſum ipſe gubernat,
Arcanoque Deus teſſellas numine ducit
Providus, ut ſortes agitatâ temperat urnâ.
Hunc olim morem coluit, dum Borgia blandas
Inter agit peſtes, aulæ ſpecioſa pericla:
Et MARIÆ caſtos fidus ſervavit amores.
Hunc ſociis ritum (Loiolæ caſtra ſecutus,
Mox idem ſancti dux agminis) ipſe fovendo
Virtutum invexit ſtudio, cultuque perenni:
Ex quo Parthenicos pietas deduxit in uſus.

Sententiæ ſub exordium cujuſque menſis viritim Sodalibus tribuuntur, certæ cujuſdam virtutis commendatione præſcriptoque ſancti Tutelaris nomine inſignes, pii ſalutariſque uſûs autore D. Fr. Borgiâ.

Alma dies, teneram ſeu rerum excudere molem
Aggreſſi, ſeu jam recreato operoſiùs orbe
Ætherias infernâ umbrâ ſurgentis in auras,
Nomine & auguſto Domini ſignatur honore.
Chriſtiadûm hæc cenſu princeps, rexitque ſequentes
Perpetuo ſenas revolubilis ordine luces.
Hæc, ut prima novi rediit ſub limina menſis,
Parthenicæ indicit celebranda Chariſtia genti.
Cetera quid referam cupido præſcripta Sodali
Tempora, inexhauſtæ ſacra queis convivia menſæ
Ore animoque petat; præſens ubi Numen, & orbis
Triticei clauſum ſpecie, niveaque latebra
Gaudet, perpetuæque agitat miracula cœnæ?
Ipſius, quem præbet Amor, ſollemnia Chriſti
Crebra piis celebranda epulis, Chriſtoque fruentum
Præcipuæ Divûm luces, & feſta MARIÆ.
Alter & his cultus. parcâ dape proximus ibit
Antè dies; ſocioſque in cœtum ad penſa vocabit
Virgineæ, aſceſin tradens in craſtina, laudis.

Postera cùm decori Mariano illuxerit Eos;
Omnia Parthenio fervent; Regisque Sodales
Nablia fatidici, MARIÆ queis debita solvant
Officia, impellunt; divinaque fercula pasti,
Vota quibus Dominæ primùm se quisque dicarunt,
Instaurant, unâque omnes voce edita firmant.
Nec vesper sociûm linguas patietur inertes.
Tum fidibus vivoque sonabunt omnia cantu
Virginis in laudes: nec mystica Suada tacebit.
At Clari hospitio Montis, doctaque sub arce,
Musæ ubi Christiades propiùs meditantur Olympum,
Arguti viridem compostæ fontis ad oram;
Parthenica implebit festum sacraria carmen.
Textilis intendit sese pictura superbis
Undique parietibus, nitidamque insignia sedem
Distinxere. oculos pariter suspendit hiantes,
Pectoraque accendit cœlestis imagine formæ
Ipsa loci præses, rerum pulcherrima Virgo.
Argento, purisque micant altaria flammis:
Centenasque faces inter, simulacra MARIÆ
Dulciùs effulgent cælato augusta metallo.
Parthenii spatio in medio stellantibus ardent
Quattuor assimiles signis, ramosaque lychni
Lumina crystallo, radios acuente, refundunt.
Certatim allucent Juvenum, & spectanda theatro
Ora canunt Dominæ laudem: tantæque Patronæ
Ingenuas docuit Parnassus sanctior Artes
Virgineoque chorô faciles servire Camœnas.
Atque ea Parisii læto splendore Sodales,
Agmine qui terno Clari penetralia Montis,
Antraque & inscriptos MARIÆ coluere recessus.
Est, ubi jam primo sacris Oriente litatis
Velatus blandaque Deus sublustris in umbra
Parthenium, quàm longa dies, altare superstat.
Assiduâ tum rite pii statione Sodales

Exercentque vices, interque halantia tura
Suaviùs adſpirant incenſum corde vaporem;
Ac Domino adſtantes Genios imitantur Olympi.
Quid, cùm inſana trahunt effuſos tempora mores,
Larvaſque choreaſque, infandique orgia Bacchi?
Hos inter ſtrepitus, urbiſque incondita paſſim
Gaudia, Parthenici pompam induxere ſuorum
Templo Ignatiadûm; tempeſtatemque profanam;
Fœdaſque adversâ turbas pietate retundunt.
Procedunt gemini ſerie, nomenque canentes
Virgineum. fax cuique manu, longo agmine, candet.
Clariùs exemplo ſpectata modeſtia, & oris
Compoſiti ſpecies pietaſque accenſa refulſit.
Barbita nec pompæ deſunt, cithariſque remiſtæ
Concentu liquidum pulſarunt æthera voces.
Scit, tacito quà Clenus obit pede vitreus arces
Pictonicas, Magnæque obnoxia mœnia Matri;
Vindicis auxilium Dominæ teſtata quotannis
Supplicibus totâ diffuſis urbe catervis.
Non adytis tantùm regnant ſimulacra Mariæ,
Servatæque urbis ſpecimen geſtantia, claves
Argento ſolidas; & amictûs textilis auro
Splendida, magnifico doni ſollennis honore.
Templo etiam prolata ſacrum duxere triumphum;
Clauſiſque imperitant luſtralia fercula portis.
Illic eximio ſpecioſam incedere pompam
Parthenii cultu aſpicias; trabeiſque nitentes,
Turma Sodalitio floret quæ plurima, Myſtas.
Propoſitum altari Numen venerantur: & omnes,
Publica ſacra modis ut tandem expleta canoris,
Suſcipiunt animas paſcentem corpore Chriſtum;
Corpore, Virgineo excuſum quod ſanguine vitam
Morte ſemel peperit, renovatâ & cæde perennem
Servat, alens caræ præſertim pignora Matris.

Sæpè etiam Præſul cœleſtem operatur in uſum
Parthenicis, feſtaſque dapes & liba miniſtrat,
Franc. de la Fayette, Epiſc Lemov. Immenſum complexa brevi ſub tegmine Numen.
Lemovicas ſic ille ſacris qui flectit habenis,
Sic almum gaudet pius exercere laborem.
Nobilitate animi geminatæ gloria ſtirpis
Ore micat; dignamque gerens Antiſtite formam
Cingit honoratis majeſtās tempora canis.
Virtutum ſeſe chorus undique circumfudit.
Pectore ſic avidi Chriſtum excepere Sodales,
Deſcriptiſque adeunt vicibus, dum proſtat in ara
Ternos ille dies, & Bacchanalia vincit;
Excubiaſque agitant ſummi ad tentoria Regis.
Nec minor elucet pietas, cùm vita Sodalem
Deſeruit, funuſque ſuum comitantia fratrum
Agmina condecorant. quin ipſum efferre cadaver
Nobilis ardor habet. ſupremi exercet honoris
Ambitio. natas opera ad ſervilia dextras
Rejecere, ultroque vicem ſubiere miniſtram.
Gloria miſcetur luctu. ſimul undique pompæ
Viſendæ ſtudio concurritur. illa per urbem
Progreditur, longuſque in vicos tenditur ordo:
Inſolito albeſcunt flammarum compita tractu.
Funereum & nonnulla decus ſpectare voluptas.
Illa quidem conſueta pio, nec vilia, cœtu.
Nempe catervatim, vel quos cuſtodia vinctos
Detinet, hoſpitiumve inopes ægroſque tuetur,
Inviſunt, placidiſque adhibent ſolatia dictis:
Collato ſimul ære juvant, monituſque ſalubres
Adjiciunt. nec non Cererem laticemque Lyæum
Submittunt, eſciſque annonam dulcibus augent.
Annua jam facta, & coràm ſpectata renarro
Rite memor, procul externas diſcenda per oras.
Tempore quo Chriſti recolens atrata dolores
Relligio,

Relligio, Autoriſque ſui venerata potentem
Exemplo legem, ſanctæ inter fercula cœnæ,
Illuſtri per templa, per aulas more capeſſit:
Viviſco lecti hoſpitio ſubiere Sodales.
Utque pedes inopum tepido lavêre fluento;
Certatim obſequio accincti, menſaſque paratas
Circumeunt hilares. opere omnis dextera fervet:
Patritiique micant juvenes. & copia raras
Accumulat pretioſa dapes, gratoſque ſapores.
Nec pretio caret ipſa, nitetque opulenta ſupellex.
His ſuper, & paſtos aggeſta ſequuntur egenos
Munera, & ægrorum turbam diffuſa per omnem.
Sed majora canam. cui non audita Carafæ
Gloria, magnanimo Heroum qui ſanguine cretus
Tranſcendit virtute genus, rexitque Cohortem
Summus adorato ſacratam nomine Ductor?
Teſtis Parthenope, Procerum clariſſima nutrix,
Nobile Parthenium ut patria moderatus in urbe;
Non duram repuliſſe famem contentus egenis,
Uſque ad delicias (tua enim, tua, Chriſte, fovebat
Membra pater) ſtruxit lautis convivia menſis.
Hoſpitium picti circùm veſtire tapetes,
Incendi pretioſus odor, tenuiſſima lina
Sterni mapparum, argento lucere ſupellex.
At pia Nobilitas detecto vertice lympham
Irorum fundit manibus, lanceſque miniſtrat.
Aſſedere inopes. Ne Saturnalia fingas,
Qualia Romani quondam luſiſſe feruntur.
Seria agit pietas. deſcendere ad infima læti,
Servorum officiis ultro Comiteſque Duceſque
Succeſſere alacres. menſiſque relicta ſecundis
Immane exuperant æris bellaria pondus.
Haud alio ſpectanda magis generoſa theatro
Nobilitas; & quæ vileſcere neſcia Virtus

Splendeſcit medias inter pulcherrima ſordes,
Sumptum in regalem laudato prodiga luxu.
Qui ſacer uſus opum, quæ caſti fœnoris artes,
Egregiè novit pietas; ſic credita egenis,
Et debere Deum, largâque rependere gazâ.
Scilicet & donis Americum excurrere in orbem
Aggreſſi, Canadæ auxilium miſere Sodales,
Virtutis gentiſque caput Lutetia Francæ
Quos Lodoicæam * Proceres collegit in ædem.
Parthenici curis partiti ingentibus urbem,
Quin orbem amplexi geminum; quacunque poteſtas,
Flagitii illecebras tollunt; fonteſque malorum
Obſtruere, & ſcelerum curſus inhibere laborant.
Contrà autem propriaſque domos alienaque tecta
Grandibus incendunt factis; & publica paſſim
Munera ſolliciti meritis illuſtribus implent.
Colloquiis, tacitoque habitu, pietatis amorem
Afflant: adverſiſque oppreſſos caſibus, ultro
Subſidiis multoque levat miſerata favore
Sacra cohors: & quos inclemens creditor urget,
Aut mala fraus vexat, vinclis exolvere gaudent.
Triſtibus afflictos morbis, lethoque propinquos,
Præſertim quos Diva ſibi Patrona Sodales
Conjunxit, crebrique adeunt, fataliaque adſunt
Laturi auxilia: & cœlo tutamen amico
Demeruere pias ſibi provida corda per artes,
Nunc, olim, quacunque minax mors ingruet horâ.
Talibus incumbunt ſtudiis; nec Virginis uſquam
Indecores nati fruſtrantur amabile nomen;
Semper & illius divino ex ubere pendent.
Jam bona ſævities membris exprompta domandis,
Totque aliæ ſpecies, operumque exempla piorum,
Parthenicæ implerunt monumenta illuſtria gentis.
Si libet annales tantarum evolvere laudum;

* Domus Profeſſa S. J. Pariſ. D. Ludovico inſcripta.

Virtutis decora omnigenæ, miracula passim,
Facta nec heroum factis cessura terendo,
Attonitus pulchrâ pascêris imagine rerum.
Quantis illa virûm virtus celebrata triumphis,
Qui flammas olim Paphias insignibus ausis
Extinxere? vepres alius membra inter acutos
Versat agens, niveoque alius convolvit acervo.
Tantas, Armoricæ & nostri lux aurea secli,
Nobletzus retulit palmas: Mariæque Sodalis
Unus ovat Divûm pugnas æquasse duorum,
Sanguineus dumis laceros silvestribus artus,
Tresque ipsas altè nivibus demersus in horas.
Sic stimuli obtusi stimulis; sic frigore victus
Ardor hebet: redit emeritæ pax ardua menti.
Atque illum templo inducens, pietate puellum
Conspecta imbuerat Virgo, matremque probarat.
Mox juvenem in turbas abreptum, in tela ruentem,
Compressit, Christique eadem succedere signis
Jussit; & ardentem campoque immisit aperto,
Ditavitque opibus cœli, virtutibus altis
Egregium, spoliisque animarum ornavit opimis.
Quin etiam triplices Regina offerre coronas
Visa pio, cœpta exacuens generosa, Sodali;
Quas & virgineus candor, sacrique gerenda
Cura magisterii, & vani contemptus honoris
Exciperet mirâ vibrantes luce coronas.
Vivite Parthenici, divinæ cura Parentis;
Crescite, Nazarium terris diffundite odorem,
Inscripti MARIÆ stellantia nomina flores.
Vos tenerâ colit illa manu, cœlique benigno
Imbre rigat. vobis & iniquos temperat æstus,
Frigora & Arctoi Boreæ defendit acerba,
Vernantem adspirans Zephyris felicibus auram,
Inque aliam ex aliâ Virgo socialibus hortis

Michael le Nobletz, sacerdos ex Armoricâ, vir sanctitate illustris, cujus extat vita cumprimis egregia.

E minoribus Partheniis ad majora Sodalitia transitur adolescentium, indeque ad virorum.

Areolam transfert viridis fecunda juventæ
Germina; & innumeram sobolem, serieque perenni
Pignora læta fovet, maturos ordine fructus
Eliciens; donec mortalis casibus ævi
Eximat Alma suos, Patrona Parensque, Sodales.
Blandâque ipsa manu, ceu spinis obsita carpit
Lilia Parthenicos, & amicis inserit astris.





PARTHENICON LIBER III.

FASTI PARTHENII,

Seu Deiparæ Virg. Myſteria præcipuâ Sodalium religione veneranda.



DILECTAM auguſtæ ſedem regnumque Parentis
Ingreſſus, pictoſque loci miratus honores,
Tot veteris monumenta ævi, pompaſque recentes
Muneraque, & ſacro devinctos fœdere cœtus
Perſonui, ſtudia & mores, & ſplendida facta.
Nunc tua, quæ pulchros acuant virtutis amores,
Tergeminum, Virgo, claudent ſollennia carmen.

Mox aliis operata ſonis tibi, Diva, laborem
Parthenicum explebit feſto lyra concita plectro.
Hîc apis in morem, florum quæ geſtit amœnas
Per ſegetes, condenſa levi myſteria obibo
Laude ſupervolitans, vario jam carmine paſſim
Libata, & varias operum relegenda per oras.
O tantùm laudique tuæ, laudiſque miniſtro
Perge favens notam, Regina, affundere lucem,
Seminaque ætheriæ ſpargentem vivida flammæ.
Da, Genitrix; non vana rogo. partem, Alma, laboris
Reſpice ſupremam, & placitos ori inſere cantus.

DEIPARA VARIIS FIGURIS ADUMBRATA &c.

Vicinum auricomi ceu prima crepuſcula ſolis
Præcurrunt ſpondentque jubar, blandoque ſerenas
Jam riſu nebulas miſto crocus imbuit oſtro:
Sic MARIAM crebræ, ſubluſtria ſigna, figuræ
Pignoraque & magni terris præſagia fati
Oſtendêre. illam, ſpecioſo conſitus arvo,
Deliciis Eden florentem effinxit Olympi.
Hortorum in gremio nitidâ quæ gemmea conchâ
Lympha natat, curſuque plagas ſe fundit in omnes,
Quadrifido curſu, fluviorum illimis origo;
Virgineum pulchrâ ſignavit imagine fontem.
Tum medio nemorum caput & regina theatro
Sublimis, fructuque arbos & nomine vitam
Oſtentans, Divæ ſimulacrum inſigne Parentis.
Diluvio ratis inſultat, ſpes unica rerum;
Quâ ſeclorum heres, immenſi nauta profundi
Ille bifrons, gentiſque pater melioris, ad arcem
Appulit aëriam, & ſummos pro littore montes.
Cuſtodem humani generis complexa; nec ullo
Turbine, non totâ mundi labefacta ruinâ,
Quanta animas primâ clades ab origine merſit;
Omnibus una malis ſupereminet ardua Virgo.
Haud ſeçùs hæc eadem, jam ſubſidentibus undis

Naufraga cum primùm cœpit ſe emergere tellus,
Felici viridantem oleam tulit ore columba.
Ipſa Dei, terras certo miſerantis amore,
Conſcia, juratamque fidem pacemque ſagittis
Nunciat abjectis & non violabile fœdus,
Verſicolorem Iris ſuſpendens nubibus arcum.
Illa & Abramigenæ dulces objecta per umbras,
Scala ingens, duplicis mundi commercia junxit,
Aligeras agitans ultro citroque catervas;
Mortaleſque Deo, telluremque admovet aſtris.
Scilicet & flagrans bifido inconſumptus Horebo
Moſæos rubus ante oculos: ſubitoque comata
Flore, ſimul fetu Aronis lætiſſima virga.
Nec non & flavo circumveſtita metallo
Legiferi ſedes, oraclum & Numinis, arca:
Ambroſiamque ſinu clauſit quæ nobilis aureo
Urna, adytis compoſta, & cœli munere dives.
Virginis hæc totidem ſimulacra umbræque Parentis.
Quid vellus, ſitiente ſolo dum ſquallida circùm
Area tota jacet, bibulis penetrabile villis
Optatum excipiens, Gedeonis in omina, rorem?
Non cœli patriis venturum è ſedibus olim
Virgineæ ſine labe Deum portenderat alvo?
Quid, quam Buzides, Solymi ſacraria templi
Ingrediente Deo, portam proſpexit Eoam
Tranſmitti Vates clauſam clauſamque relinqui?
Nimirum effigies Mariani expreſſa pudoris.
Quot prius illuſtres meritis Heroidas ævum
Progenuit, tot viva dedit præludia Magnæ
Virginis; haud indicta meis abitura Camœnis,
Chriſtus ubi jam victor ovans lectiſſima ſiſtet
Agmina, quæ merito Dominam venerentur honore.
Ecce polo accreſcens decus immortale, Jacobi
Sanguine, quæ maria ac terras nimboſque ſerenet,
Stella oritur. Virga exurgit Jeſſeïa, nullo

DEIPARÆ CONCEPTUS IMMACULATUS &c.

V. Sacram Oeconomiam l. 1. Theandr. ac l. 5. Lyric. &c.

Stirpis Adamææ vitio; florem illa beatum,
Divinæ placitam ſedem requiemque Columbæ,
Virga efferre potens, ac regia vincere ſceptra.
Hæc illa eſt, anguſto uteri quæ fœmina ſepto
Circumdet pariatque *Virum*, gratiſſima Virgo
Captanti jam noſtra Deo commercia, ſummam
In ſortem delecta Parens; & Numine jamnunc
Plena capacem animam, primævæ neſcia labis.
Nam quæ fatalis violarint ſemina culpæ,
Quam neque conceptus prolis temerabit, & ipſo
Sacra puerperio floreſcens lætiùs ornet
Virginitas? leviùs cordi num Gratia dote eſt
Corporis externâ, atque integræ gloria mentis?
Candida nec tenui facies animæ illita nævo.
 Quàm procul immundos Solymæis arcuit aris,
Ipſo etiam prohibens templorum à limine vindex
Omnipotens; puroſque adytis adſtare miniſtros
Juſſerat! in ſacros quæcunque excuditur uſus,
Materiæ pretio perfecta operiſque ſupellex.
Nuda tamen ſpecies, ſimulacraque inania rerum,
Ferculaque & tabulæ, cultu celebrata ſuperbo.
Et, ſibi quam Numen cunctis è gentibus unam
Deſignat vivamque domum caramque parentem,
Conceptæ dubites labem avertiſſe puellæ?
An medium ſeſe fœda in contagia Chriſtus
Induat? auguſtum penetrale inſederit hoſtis
Tartareus? Matremque ſibi ſerviſſe Tonantis,
Reginam & Superûm confixam ſtigmate jactet?
Hæccine, quæ ſævi caput obtritura colubri?
Materiem humanæ Chriſto præbere ſalutis
Delecta, & ſontes quo luſtret ſanguine terras?
Ergo Matrem odiis Deus averſetur acerbis!
Matrem irâ Deus excipiat! primordia vitæ
His Virgo auſpiciis inimico à Numine ducat!
 Qui vitio locus, aut Stygiæ quæ pervia fraudi

Pars, ubi cœleſtis jam totam Gratia ſedem
Occupat, æternoque Deus ſe infudit amore?
Pignore quo firmatam animam, penituſque malorum
Intercluſo aditu, Domini blandiſſima verſat
Vis facili dextram imperio; culpæque negatam,
Virtutiſque intra gyrum, ſpatia ampla, ſolutam
Libertatem agitans, *extincto fomite* regnat.
Hactenus exiles terris aſpergere guttas
Purgandiſque animis viſus; ſimul ecce recluſis
Theſauris ſua dona, ſuos immittere fontes
Prodigus accelerat divinâ Spiritus aurâ.
Ætheriæ quid enim gazæ accumulaſſe negarit,
Cui proprium Genitor ſupremo in munere Natum
Deſtinat, & Sponſam vocat in conſortia regni?
Nec deeſt muneribus, jam reſpondere parata
Autori mens alma ſuo. vix edita flatu
Numinis emicuit: nec inertes paſſa latebras;
Ceu rationis egens animarum, & luminis exors;
Maternis gremiis deſedit inutile vulgus;
Haud ſegnes mens alta moras, genitricis in alvo,
Bruta rudimenta ac menſes tranſegit inanes.
Quin etiam dum membra quies ſopita foveret;
Inſomnem exercens animam cordiſque laborem
Aſſiduum, Sponſi ad ſuperi Virgo ignea dulces
Evolat amplexus, divinum ſpirat amorem.
Parte vacat nullâ, quamvis immenſa, MARIÆ
Gratia: temporibuſque operando pervigil inſtat,
Vimque implet ſolidam; & ſemper creſcentia (mirum)
Conduplicans merita, immanes attollit acervos.
Jamque utero primùm exoriens ſub luminis auras,
Sidereos longè radiis vibrantibus orbes
Exuperat, terraſque eadem cœlumque remulcet.
His tamen, his audent ſancti ſe orbare parentes
Deliciis, voti memores, temploque triennem

Virginis Oblatio in templo &c.

Rite dicant. mitrâ redimitus cana bicorni
Tempora, sollennes Præsul sublimis ad aras,
Quam Domino sistunt Joachimus & Anna, puellam
Regalem admittit. vivo nivea ora ligustro
Purpureos ignes rosei traxere pudoris.
Eminet è tenero vultu sincera voluptas
Transcriptam augustas sese gaudentis in ædes.
Concussis gestire adytis fulgentia templa:
Aligerique dato circum penetralia plausu
Hospitiis læti accipiunt, densique puellam
Officiis humilem celebrant; epulisque ministrì
Ambrosios præbent rores, cœlestia liba.
  Ætheriæ Mentes, ardenti vivida motu
Sidera, & humanæ custodia fida salutis,
Dicite, quæ sacro toties arcana recessu
Spectastis; quas illa faces, quæ pectore vota
Fuderit. & nulli certè concepta priorum,
At longam posthac seriem tractura, pudoris
Jurati princeps, sacrato corpore vota
Edidit, aut primùm Solymæ cùm se intulit ædi;
Aut patriis, vitæ jam primo à limine, tectis
Edita congeminans augustas sanxit ad aras.
Sed neque fas vobis, Genii, spectata canendo
Tantum æquare decus: nec vestro credita sancti
Præsidio tutela animi; lucemve Mariæ
Ingenio data cura, & flammas corde ciendi.
At castum volucri stipantes agmine corpus,
Armatoque satellitio prætoria castra
Metari vigiles, & pompam ducere jussit
Bellipotens. namque intus agit Deus ipse, profundo
Alloquio auritam ducens ad grandia mentem.
Ipse jubar liquidum, nullâ turbante procellâ,
Compositæ infundit solidaque in pace sedenti;
Ipse altos agitat placido sub pectore motus,
Virgineamque animam pleno Deus ubere inundat.

Senſibus inſedit cuſtos; teneraſque paternis
Providus excubiis aures & lumina ſepſit;
Debitaque ipſe ſibi ſacros adyta inſtruit artus.
Paciferum nam quis deducat ab æthere Regem,
Anguſtoque ævo claudat gremioque puellæ,
Omnia complexum dextrâ, ſecliſque priorem?
Talia quis fando æquiparet, quæ maxima longè
Divinorum operum reliquam miracula turbam,
Ceu tenuem exuperant ludum? Non ipſe ſupremi
Molem operis, cujus divinâ miſſus ab aula
Nazariæ Gabriel ſucceſſit Nuncius urbi,
Eloquio comprendat; uti ſe Numen in artus
Induit humanos, infirmo corpore robur
Explicat, abjectumque novo ſuccreſcit honore,
Coràm aſpectandum & manibus tractabile Verbum.
Aureus ille comam, pallam aureus, aureus alas,
Fœderis æterni Interpres, lætaque ſalutem
Voce ferens; & jam pro re formoſior, aras
Quàm cùm inter Solymas Panchæoſque inclytus ignes,
Luciferi lætos trepido prænunciat ortus
Zachariæ, ancipitique ſenis retinacula linguæ
Injicit. adventum hîc æterni pandere Solis
Juſſus adeſt; diæque fides hîc certa puellæ.
Ætherii decerpta ſoli ſtellantibus areis
Lilia conſurgunt dextrâ; tutoque pudore
Myſtica connubia, & ſuſcepto Numine ſanctos
Conceptus MARIÆ partuſque inſignia monſtrant.
Plurimus & circùm radiorum affunditur imber.
Talis ab æterno veniens Genitore puellam
Sidereus Legatus adit, pronuſque ſalutat;
Cœlituum quanquam haud mediâ de plebe, ſed unus
Ante alios Princeps ſolioque adſtare tremendo
Aſſolitus, vultuſque Dei ſpectare coruſcos.
Et non ille quidem MARIÆ, dux agminis Ales

COELESTIS AD VIRGINEM LEGATIO, DIVINAQUE INCARNATIO.

Ætherii, ignotus. ſedenim fatalia mundo,
Qualia Cœlitibus nunquam delata Miniſtris,
Summa decus mandata novum cultuſque verendos
Addiderant. niveum picto gerit aëre corpus,
Digna miniſterio tanto, flagrantiaque ora.
Externo præſtricta habitu ſtat regia Virgo;
Quæ priùs Amoſidæ volvens oracula Vatis
Tota ſalutiferæ conceptu in Virginis hæret,
Ipſaque adhuc ignara ſuos miratur honores;
Et fortunatam, ſi fas exolvere Matri
Divinæ obſequium, cupido meditatur amore.
Numinis ô ſenſus, humanæ impervia menti
Conſilia, arcanus tenebroſi luminis horror!
Ipſa adeo, terræque decus cœlique voluptas,
Spes hominum MARIA & ſortes, promiſſaque Divûm
Suſtinuit, Vatumque fidem. MARIÆ omnia pendent
Arbitrio! ſtupet aſpectu Legatus, & altâ
Virtutum ſpecie & merito defixus honore.
Jam Dominam agnoſcit; jam ſe collegit in alas,
Majeſtate gravis, facie ſed blandus amicâ:
Mulcet & auguſtam venerans firmatque puellam.
Virginei nempe hinc ſtudium votumque pudoris;
Hinc pudor & laudum, teneræque modeſtia frontis;
Et curis tacita alternis prudentia librat
Turbatam divina inter præconia mentem.
Pulchra ſimul roſeo cum ſanguine flamma cucurrit
Lactea in ora micans, atque intima corda retexit.
Nam quos Aligerûm Princeps memorabat amores
Numinis! ut pleno infudit ſe Gratia fluctu,
Virgineoque animo ſacros cœleſtia in artus
Dona redundarunt: placita intra pectora ſedem
Ut Deus, & puris ardentes ignibus aras
Conſtituit; matreſque unam ſuperextulit omnes.
Tum genitore Deo cenſendam Nuncius addit
Progeniem, ſanctam, ingentem; quam nomine ſignet

Jussa Parens, lætæ auspicio signoque salutis;
Davidis solio imponat Deus ipse paterno;
Æterno, immenso amplexam simul omnia regno.
Virginis assensu res constitit ardua, & omnem
Naturæ exuperans captum. vis Numinis alti
Hîc agit, huc tota incubuit, factoque triumphat
Omnipotens. viden', ut nitidis argentea pennis
Forma superveniat cœlo delapsa Columbæ?
Sponsæ impendet agens fecundâ Spiritus umbrâ;
Sanguinis illæsi florem delibat, & arte
Supremâ informans graciles concinnat in artus.
At non, ut reliquis consueta coagula sensim
Corporibus, taboque obscœna, & inania vitæ.
Mox etiam sublapsâ animâ motuque reperto,
Cœca tamen nullosque diu rationis in usus
Apta jacent, sensu haud pecudum distantia, corda.
In Christo non ulla operi mora. protinus infans
Expletus numeris: animumque exilia membra
Felicem accipiunt; radio nec præcoce tantùm
Ingenii, & solidâ jamtum ratione vigentem;
Ætheriâ sed luce Dei nuda ora tuentem.
Nec dimensa venit donis cœlestibus Aura:
Humanamque vicem transit favor. omnis in unum
Gratia congeritur. simul ipsum ad munera Numen,
Bisgenitum accessit Numen; corpusque animumque
Induit, æternoque hominem sibi fœdere nectit.
Christo hinc stare datum est. discludi nescia, Verbo
Composuit junctura virum. se major, & ipso
Numine homo perfectus, & alta in jura receptus,
Haud temere Patri æqualem se conscius infert.
Tantum mortali fas, & provectus ab imo
Surgit apex, quantùm summi depressa Tonantis
Sidit majestas. quem non stellantia templa,
Non sola terrarum capiunt, non æquoris undæ,
Virginis æternæ felix complectitur alvus.

Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Joan. 3.

Ilicet auguſtæ conceptum ventre Parentis
Prona Deum toto coluerunt agmina cœlo.
Namque ubi Primigenam terrarum inducit in orbem,
Mandat adorandum Genitor : ſuperæque Sionis
Alati exultant Proceres, humileſque ſalutant
Regnantem Puerum, atque orbi nova jura daturum.
Debita nec Divæ ceſſant ex ordine Matri
Obſequia Aligerûm. quanquam ſe vertice tanto
Dejicit ipſa volens, nec dedignata ſenilem
Ætatem officio, montanam inviſit Eliſam.

ELISABETHAM INVISIT MARIA. V. Lyr. l. 5. Silv. 4. &c.

Nimirum ſeno latitantis menſe pudorem
Prodidit indicio, MARIÆ certiſſimus autor,
Qui ſterilis gravidandum uterum prædixerat Ales:
Virginis &, jam primo aditu, decora ampla viciſſim
Arcano Deus alloquio detexit Eliſæ.
Quippe humilis, Sponſo non ipſi effata ſupremos,
Æthere quos Virgo nuper ſuſcepit honores.
Quin etiam, cùm jam matura tumeſceret alvus,
Suſpicioque ægrum perſtringeret anxia pectus
Joſephi; miro tamen alta ſilentia Mater
Virtutis ſtudio rebus pertendet acerbis.
Sed tacitæ peraget cauſam Genitricis; & Auræ
Divinæ afflatum, ſancti miracula fetûs,
Mentis opus ſuperæ, fidus per amica docebit
Somnia Legatus claro ſubmiſſus Olympo.
Jam quæ occulta Deus reſerat, proferre ſub auras
Urget, ſublimique ad ſidera tollere cantu.
Quid repetam lætos motus, præſenſque piamen
Zacharidæ? ut primo Chriſti ſe gratia dono
Matre effudit agens, cognataque Numina ſenſit
Et puer, & genitrix, uno ambo munere Vates?
Qui lucem ingeniis, ardorem cordibus addit,
Spiritus ora ciet Magnæ in præconia Matris.
Contra autem, quam ſupra homines, ſupra extulit axes

Aſtriferos Divinus Amor, premere inclyta Virgo
Seſe infra terras; ſolidamque refundere laudem
Laudis in autorem, dulcique liqueſcere ſenſu.
Parca loqui, decoriſque fugax, nunc plurima grato
Ore ſonat. quo plena, Deo ſic incita fatur.

Magna canis, necdum mortali prodita linguâ, Virginis Matris Canticum.
Inſignem quæ me ante alias, fetuque beatam,
O bona, cognatam celebras. Simul hoſpitæ amica
Verba ſalutantis maternas acta per aures;
Exiliiſſe utero teſtatam gaudia prolem
Acclamas, nec vana fidem promiſſa ſecutam;
Grandia cœpta Deum, jam obſtricto pignore tanto,
Rite peracturum, ſuperique effata Miniſtri.
At mihi (quo Vates illapſo arcana recludis)
Muneris autorem Dominum, rerumque parentem
Tollere magnifico, quà fas, mens geſtit honore.
Inque ſalutiferi præconia Numinis ardens
Spiritus, ac læto ſalientia pectora motu
Emicuere. pias mea lux, mea Gloria laudes
Et juſto referat conceptas carmine grates.
Umbras collectam in tenues, humilemque puellam
Reſpexit, famulæque Deus non horruit alvum.
Omnigenis exin linguis, plauſuque perenni,
Ecce, Beata ferar, præque omnibus una favore
Dignata eximio, atque opibus ditiſſima cœli.
Magnifico, dona accumulans, indulſit amori,
Sidereas nutu Genitor qui temperat arces;
Cujus adoratum, & nulli violabile Nomen.
Sic aliam ex alia miſerando inviſere prolem,
Mortales æterna fovens clementia, gaudet:
Præcipuè quas caſta fides, patienſque morarum
Nec titubans ſancto exercet ſpes miſta timori,
Inſontes animas & fervida corda remulcet.
Hoc caput, hoc rerum. terrenum ſcilicet orbem
Ludenti ſimilis Deus extudit, extudit orbes

Ætherios, lunæque globum, consortiaque astra;
Stringere vix digitis visus, mollique lacerto.
Nunc dextram omnipotens contentaque brachia versat;
Ac solidum toto expromit cum Numine robur;
Mirum, augustum, ingens & non imitabile factum
Molitus: partemque operi sese addere summo
Summus amans Opifex, sacrata in fœdera venit.
Aëre ceu folia, aut spumas rapit æquore turbo,
Pectora vesano difflavit turgida fastu,
Ardua consilia evertens, vasta ausa Gigantum.
Regali immanes abjecit sede tyrannos;
Extulit abjectos plebejâ è fæce clientes;
Hinc, solio impostos, regnando adscivit Olympo.
Exsatiat cœlestum avidos, terrestrium inanes:
Distentos epulis ac divitis ubere glebæ
Idem aspernatur longè, vacuosque repellit.
Isaciam legit sobolem, propriamque dicavit,
Sanguine quo fictos humani corporis artus
Indueret: patriæque memor pietatis, acerbo
Collapsum erexit miseratus crimine mundum.
Quæ proavis quondam, caro quæ pactus Abramo,
Pactus Abramigenis, promissa ingentia solvit,
Antiquam renovans meliora in secula pacem.
Hæc cecinit Virgo: nec quidquam carmine tali
Suavius, aut majus fuerit mihi; templa diebus
Quod cunctis resonant, totoque assurgitur Orbe.
Ætherii nec quâ recolantur dona Parentis,
Aptior occurrat, nec gratior ulla Deo vox.
Dictum eventa probant: mundique Beata per omnes
Perque ævi tractus, uno celebratur & ore;
Materno quos & studio complexa, beatos
Præstat; & acceptâ laudem pro laude reponit.
O ego non aliâ tactus dulcedine famæ,
Quàm famuli, Regina, tui; nimiumque clientis,
Si pateris, titulo atque optatâ sorte beatus,

Te,

Te, mea Diva, canam! tibi enim citharæ tubæque
Servierint. aliter, miseræ væ laudibus artis!
Dissiliantque fides; abruptaque cornua, plectris
Cum laceris confusa, gravis tela omnia Musæ,
Ah, jaceant; & si qua sedet nunc laurea fronti,
Temporibus nudis excussa arescat, inerti
Pulvere sordescens; ac faucibus hæreat ipsis
Lingua ingrata rigens, mutumque & inutile pondus;
Contingat si fortè tuas, Virgo inclyta, laudes
Fallere, & innumero justas pro munere grates;
Ac ni principium lætæ finisque Camœnæ
Tu mihi, materiesque pii pretiumque laboris.
En aliam ex alia curam trahit; & nova tecum,
O Virgo, rerum series accrescit eundo,
Illa quidem cantu blandissima: sed tamen arctum
Ingentis captare viæ compendia tempus
Admonet; & quæ rite priùs modulata, Theandri
Linquere adorantem tacito fastigia cursu.
Parva, sed augusto partu clarissima Bethle;
Turritoque Sion templo, Galilæaque sedes,
Hospitaque Ægyptus profugis, Judæaque rura;
Assimilis pelago Genesar, deserta locorum,
Montesque fluviique, & hiantibus oppida turbis;
Et quæ Cana mero versis notissima lymphis,
Golgotha, Oliviferumque nemus, stellataque regna,
Quam vacuo segetem præberent obvia vati!
Ceu radium candens innubi fundit Olympo
Stella; vel ardenti radius Titanius auro
Transmeat illæsæ crystallina septa fenestræ:
Sic niveæ obstructâ nascens Genitricis ab alvo
Emicuit Deus (hinc sordes labesque pudoris
Cuncta procùl:) digna hospitio quæ præmia, solvit,
Æternosque sacris penetralibus addit honores.
Jam signo impressus patrio, Christusque vocari
Princeps ante alios læto perfusus olivo

VIRGINALE PUERPERIUM &c.

Hunc pater signavit Deus. Joan. 6.

Promeruit. ſedenim probroſi ſtigmatis inſtar
Sanguineam excipiens tenero nunc corpore plagam,
Æterni donum & pignus fatale Parentis
Induitur JESUS, dubia inter gaudia Matris;
Quæ lacrymas pulchro miſcet nomenque cruori,
Par effuſo oleo, & ſanctæ fragrantibus auræ
Illecebris traxiſſe potens inhiantia corda.
Nomine progeniem ſignat, populique ſalutem.
Ruſtica paſtorum, nec verò ſpreta, Puello
Obtulerat jam dona Parens: nunc ſplendida Regum,
Tergeminos auri myrrhæque & turis honores,
Munera ſuſcipiens libat; pretioque recepta
Auget, & attrectans divino conſecrat uſu.
Ac tacito eliciens Nati potiora favore
Dona refert, ſtellæ ipſa ducis formoſior igni
Purpureo affulgens, majoriſque indicat ortum
Sideris; & blando cœleſtes lumine flammas,
Divinoſque oculis & vocibus afflat amores.
Nec minùs & placitam, Regum poſt aurea dona,
LEGALIS EXPIATIO. Videl. Heroic. 5. &c.
Pauperiem Virgo Solymæis approbat aris,
Quæ volucri geminâ ritus purganda vetuſtos
Mater obit, templi multos ubi limine ſoles
Abſtinuit; ſolitæ ceu matrum obnoxia pœnæ
Ac tetram paſſa illuviem, ſecreta reſedit,
Sanctior & templo, & ſtellanti purior æthrâ.
Pallentes certè maculas ſuffuſa laborat
Lunaque, defectâque obſcurus lampade frater.
Una exors maculæ, ſemperque increſcere viſa,
Plenaque ſemper agens perfecto Luna decore,
Et vivo Mulier circumflua Sole refulget.
Sponte ſuâ tamen indecori ſe obduxerat umbrâ.
Aſt illam ſplendore novo, radiiſque coruſcam
Explicat ante aras Genitor; dum fervidus ulnis
Dulce jubar ſtringit ſenior, cunctaſque profundâ
Nocte ſoluturum gentes, gratatus adorat.

Fatidico ſimul ore ſacræ vetus aſſonat ædis
Incola, ſupplicibuſque inſtans caſtiſſima votis,
Ac precibus ſaturam jejuno in corpore mentem
Anna fovens. cœlique piis venerabile munus
Exultans aperit vates, celebratque Puellum.
At quis deinde gravis pia vertit gaudia caſus
Terribilem intentans gladium, Matrique minatur,
Intima fixurus diro præcordia ferro?
Jamque adeo extremum præſagâ mente dolorem
Occupat: expoſtum linguis teliſque petendum
Proſpicit, heu, Natum. nec longè diſſitus hoſtis
Scilicet, aut crudi vis expectanda furoris,
Frendet ubi eluſi rabies infanda tyranni.
Nox erat; & ſeram fabrili feſſa labore,
Nec molli in ſtrato, carpebant membra quietem: Fuga in Ægyptum &c.
Aurea cùm facies recluſo effulſit Olympo
Siderei juvenis, Joſephique impulit aures
Talibus extimulans certa inter ſomnia dictis.
Surge age, divinaque ſacram cum Prole Parentem
Avehe, & Ægypti profugus defende latebris,
Dum nova ſupremi referam mandata Parentis.
Imminet Herodes curâ furiatus iniquâ:
Cœleſtem, ne ſceptra manu Solymæa Tyranni
Excutiat, Puerum exitio jam jamque repoſcet.
Dixerat; & rupto teneri jam Numinis Altor
Præcipitat ſomno corpus; Natumque Parentemque
Amovet, & Pharias tendit nocturnus ad oras.
Nil juſſis turbata Fides, tantove periclo
Spes concuſſa Viri. curam non ille potentem,
Servandoque petit Patris miracula Nato,
Fulmine præſentes inimica in crimina pœnas,
Aut Superûm cingi excubiis & præpete turmâ.
Nam quid, Cœlicolas contra, mortalia poſſint?
Longinquas non ille plagas & barbara regna
Horreſcit: nec Judæâ tellure latebras,

Non ſpatia ulla fugæ, dum res componat & ipsâ
Linquendas patriâ, & tenuis quas poſceret uſus;
Mitiave exiliis ſaltem loca triſtibus orat.
At cœco raptim obſequio, tacitamque per umbram
Lumina tranſportat Divûm, mirantibus aſtris.
Nec caput ipſe ſuum, nec dulcia pignora cœli
Mempheos infidis dubitat concredere regnis,
Omnium egens, cunctiſque objectus caſibus hoſpes.
Ecce autem, medio properat dum transfuga curſu,
Verberat attonitas ſonus illætabilis aures,
Plurimus & ferri ſtridor, fremituſque virorum,
Vagitus puerorum, & fœminei ululatus.
Reſpicit, incertus rerum, venientia longè
Murmura confuſoque effictos aëre planctus.
Rachel plorans filios ſuos.
Tum lacrymas gemituſque ciens, parvæ hoſpita Bethles,
Squallenti ante oculos Rachel ſeſe obtulit umbrâ;
Qualis erat, prolem infelix cùm enixa ſecundam,
Ipſa ſui nomen ſupremâ voce doloris
Impoſuit Nato moriens: heu, triſtis imago,
Et jam deformis ſimulacrum inamabile vultûs,
Dum malè fecundam pœnis diſcerpitur alvum.
Interpres, dux ille viæ, ſubit aureus Ales;
Et luctûs quæ cauſa, docet; quàm fœda cruento
Barbaries ferro Bethleam excurrit in oram;
V. Theandr. l. 2. in Anaſtaſi.
Inſonteſque metens immani cæde puellos,
Ah, Regem Puerum ferali involvere acervo
Quæſivit fruſtra, infelix, & crimine inani
Triſte furens; divinum & inobſervabile furtum.
Purpureum advolitans animarum examen ad ora
Chriſtiparæ, dulcem coràm geſtantis alumnum,
Nec quidquam attonitæ viſis, blanditur utrique;
Ac venerans gaudet vitam impendiſſe recentem
Prærepto Domino, & fata ad meliora vocanti.
Interea virides frondoſa cacumina palmæ

Hoſpitibus curvant; miteſcunt aſpera monſtra:
Exiliunt fontes; & queis ſervire MARIÆ,
Queis ſacros Pueri velato corpore pannos
Contigit abluere, hinc medicæ promanat aquæ vis;
Irriguiſque vigent hortorum balſama lymphis.
At Divûm, Ægyptus quorum turbâ impia ſordet,
Caſſa ruunt ſimulacra; novoque exterrita motu
Ignotum ſenſere Deum, pueroque latentem.
Semina concepit tellus pietatis; & olim
Tot fecunda viris florentem ornabit Eremum,
Ætheriæ aſſimilis, ſuſcepto à Numine, ſedi.
Tanta Pharo ſacri hoſpitii ſtat gratia! colli
Nazario proprios invidit Memphis honores,
Ingemit & MARIA patrias remeante ſub arces.
Providus huc revocat, ſævi poſt dira tyranni
Funera & abſumptos pœnis ultricibus artus,
Aligero rurſus miſſo Pater. Arbitra rerum,
Omnia colluſtrans, juſtis ante omnia curis
Excubuit Chriſto Mariæque intenta Pronœa.
Cardine ſupremo & ſpeculâ conſedit Olympi,
Ac pede Fortunam preſſit; ſolioque revinctos,
Quà libet, emittit Caſus, revocatque ſolutos.
Ardua ſubluſtres umbræ prætoria ſervant,
Audaceſque arcent hominum vaga nubila viſus.
Biſgeminum fortis pariter ſuaviſque per axem
Tenditur, extremoſque coercet dextera fines.
Dextrâ ingens, ſolidumque adamante, oculoque coruſcum
Pervigilat ſceptrum, explorans mortalia facta;
Gentium & imperia, & Procerum decora aurea transfert,
Æterniſque regit libratum legibus orbem.
Hinc pendet Natura ferax, hinc Gratia, & Artes;
Hinc puræ, denſo volitantes agmine, vitæ,
Aligerûm manus omnis, & inſuperabile robur.

Providentia, in Theandricis maximè rebus admiranda.

Qui, volucrem ardenti molitus nube columnam,
Ductor Abramigenas freta per bipatentia & altis
Eripuit suspensa jugis; crebroque tremendus
Fulgure, mox rapido involvit Pharaona profundo.
Mille alii, seu qui pœnis mactare nocentes,
Præmia sive piis virtutum expendere jussi.
Mystica qui Patrum ante oculos simulacra dedere,
Quique sacros olim vates docuere futuri
Temporis eventus, & amictum corpore Numen.
Præpetibus circùm famulis, pulchroque Pronœa
Septa satellitio, partem dimisit in omnem
Felices populis Genios; tum cuique viritim
Assignat capiti. Superos descendere ad ima
Nec piget officia, & tenues curare clientes.
Quid Christum, Altoremque Dei, Matremque tueri?
Sed neque opes variæ terrarum, auræque salubres,
Fluminaque Oceani in gremium revoluta parentis,
Quadrifidique vices anni, noctesque diesque
Alternante choro, dimensique æthere cursus
Astrorum, innumerisque animantum corpora formis;
Non ita vim cuncta hæc summam testantur, heriles
Docta sequi nutus, divinaque arte cieri,
Carpere & ignotos præscripto tramite fines.
Talia nec, longo seclorum prodita lapsu
Exempla, aut pœnæ aut clari monimenta favoris;
Qualia summisso in terras sancita Theandro.
Mortali quam mira Deo Sapientia vitam
Struxit! & humanos sensus turbavit, & hostis
Elusitque dolos viresque infregit Averni.
Non radiantem auro, non majestate superbum
(Quâ specie venturum olim Judæa propago
Finxerat) aut dextrâ latè victrice pavendum
Ostendit Christum Genitor, solioque locavit.
Sed quanquam antiquo Jessidûm à stemmate Regum,
Nil generis splendorem & opes servante MARIA

Eduxit, multâque volentem condidit umbrâ.
Ceu virgulta inter deſpectum, ignobile germen,
Quantis jactari placuit ſternique procellis!
Jamque fugâ vix parta ſalus. cuſtodia mundi
Cui data, & arbitrium eſt animarum, æthræque poteſtas,
Servatus Puer exilio. nec ſpernet adultus
Infeſtæ latebrâ ſeſe ſubducere genti.
At non cuncta Deus tamen horrida, & undique pœnas
Deſtinat & ſordes Chriſto invigilante Pronœâ.
Splendida probroſis intexit, triſtia lætis.
Natales tenebras ſtabulumque inſigniit aſtro;
Ætheriis humilem celebravit cantibus ortum:
Mox probris alios aliis appendit honores.
Aligeri quoties Regem agnovere Miniſtri!
Summa tamen caræ, divinâ ſorte, Parentis
Uſque miniſteria: & ſolidam ſe impendere Nato
Mater amat, cretumque ſuo de ſanguine corpus
Paſcere virginei jucundo munere lactis.

Ah, quo ſollicitam commiſſa puertia Matrem
Exercet ſtudio! quo candida pectora ſenſu
Imbuit! ut ſacro Genitrix in pignore tota eſt!
Aſpice, vel ſimplex tabulâ quid ſpiret imago.
Sic & Virginitas & picta Modeſtia vultus,
Sic oculos, ſic ora ferat. quàm mitia terræ
Lumina declinat! teneri quàm viva pudoris
Purpura, quàm ſuavi igne rubens! quæ gratia frontis!
Ut neglecta decet ſpecies! quàm blanda ſerenâ
Majeſtate micat, caſtoſque accendit amores!
Ponè humeros adducta tenet materna puellum
Dextra Deum, velique extremas colligit oras
Ilia oberrantis Parvo. nam cetera nudus
Stat nixus Matris genibus Puer. ille MARIÆ
Dilectus rubro variat candore decorem.
Floret apex molli rutilæ lanuginis auro:

DEIPARÆ Virg. cum Infante JESU effigies.

Cincinnus nitidæ frontis procurrit in æquor;
Sidereoque natant ridentes lumine ocelli.
Carbaſeoſque ſinus (tenui quo tegmine ſubter
Tranſlucent frontiſque nives & eburnea colla
Virginis) undatim vicina ad corda fluentes
Conſcia lacteoli ſtringit dextella Puelli.
At Matris tacitam perfundunt gaudia mentem.
Virginis pro Filio Domestici Labores &c.
Non tamen illa pio conſpectu affixa tenetur
Prolis & amplexu, cunctos oblita labores;
Exiguæve domûs neglectis otia curis
Blanda terit. Cœlo nil dignas illa moratur
Delicias, præſens operam ſi cauſa requirit.
Fervet amor; Genitrixque Deo Nutrixque laborat.
Artifici dextrâ tunicam, non ſutile tegmen,
Sedula contexit, parvo cum corpore doctam
Creſcere, quam curſu annorum non deterat ætas;
Sed jactæ excipient ſcelerato à milite ſortes.
Ardua mens, curaſque inter, rerumque ſub æſtu
Tota Deo collecta vacat. neque cordis agendo
Interrupta quies. coràm ſua Numina, & altum
Paupere ſub tecto aſſiduè ſpeculatur Olympum.
Cella capax Superûm, divinis conſcia factis;
Pluſque aliquid cœlo tenuis complectitur ædes.
Æterno par hìc Genitori, orbiſque redemptor
Degit Homo, Patri & Sancto connexus Amori.
Has diâ cum Matre Deus ſacrat incola ſedes.
Numinis hîc ſolio aſſiſtunt, lætique miniſtrant
Turmatim Genii, vivæ ſine corpore flammæ.
Ac Puero & Magnæ obſequium præſtare Parenti,
Quàm rutilos verſare globos, flagrantiaque aſtra,
Seu ſolem & ductu lunam torquere magiſtro,
Malunt, aut olim rapida inter fulgura Sinam
Inſediſſe, metu Iſacidûm trepidantia caſtra
Vibrantes, legemque tubæ clangore jubentes.
Legem, cujus amor (quamvis nec lege tenetur)

Christiparam longas agit instaurare quotannis
Ad Solymæ templa alta vias. duodennis & addit
Se comitem JESUS, magnumque adit ipse Parentem.
At seges, heu, quanti, soboles amissa, doloris! De Christo puero amisso in Effato III.
Quo gemitu durum per iter, spatioque remenso
Per Solymæ vicos ternis quæsita diebus!
Mox cœtu Procerum in medio, temploque repertus;
Lætitiæ quæ causa, sui cùm nobile jamtum
Ederet ignotus specimen, primisque senatum
Stringeret attonitum radiis Puer! inde regressus, IESUS MATRI SUBDITUS.
Miro jussa sequi Matris dignatur honore.
Quem Genitrix formâ puerili conscia tectum
Admirans veneransque Deum, sub inane residit,
Tantùm humilis sese ipsa premens, quantò altiùs effert
Abjectus Matrem Deus, & fabrilia tractans
Primævique Opifex, quassi Reparator & orbis.
Consilio servit supero, ducitque volentem
Diva Parens; ac rite pio memor omnia corde, *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Luc. 2.
Quæque oculis haurit, quæque auribus, atque ministris
Fida terit palmis, penitùs mysteria totâ
Mente fovet, doceat mundi quæ deinde Magistros:
Pascit & ipsa suos compostis rebus amores.
Ara velut fulgens congestis aurea prunis
Perpetuos adytis Solymæ incendebat odores.
Dulcia quis Nati & castæ commercia Matris,
Sermonumque vices, & mutua pignora narret?
Plurima Nazarii tecti suppressa latebris.
Divinas neque Cana tamen, nec Golgotha curas
Virgineæ ignorant documenta ingentia laudis.
Splendida quid latè Christi miracula; morbi
Perdomiti, pacatæ undæ, fractæque procellæ;
Tortorum infessis genus implacabile pulsum
Corporibusque animisque, inferni monstra barathri;
Excussæ morti prædæ, conversaque fata?

Quid, Domino crebrâ populi quod laude, Patriſque
Partum voce decus? quantâ hæc dulcedine Matris
Perfudere animam! quæ ſanctum gaudia pectus!
Materiem primi Galilæa per oppida Virgo
Prodigii Chriſto ſuggeſſit. & intus agentem
Senſerat Alma Deum, Natique amor impulit ultro,
Exhauſtiſque cadis Sponſi pudor. obvia, nulliſque
Excita occurrit Dominæ clementia votis.
Ecquid aget precibus Mater votiſque vocata;
Sic externa pio curare incommoda ſenſu
Sponte ſuâ, & tenui facilis ſuccurrere caſu?
Quàm, ſacros inter thalamos & myſtica præſens
Jam Chriſto deſponſæ animæ convivia, largam
Præbet opem! quas delicias, & germine vinum
Fertile virgineo! Matri quid cara negarit
Progenies? nutu, necdum matura, potenti
Virginis accelerata novum tulit hora favorem.
Fortunatam utero Matrem, ſacriſque beatam
Altricem uberibus probat alti gloria Nati.

Matri primum a Christo miraculum impensum. de quo in I. l. Parth.

Eheu, quid Solyma, horrendum, quid torva reclamat
Judæa inſurgens furiis? proh cœca potentum
Invidia, & tumido quæſita licentia faſtu,
Cenſuræ impatiens; ſcelerumque exercitus omnis!
Queis non verborum jaculis confixus, & atro
Felle venenatis Chriſtus, dum publica totam
In gentem benefacta ſerit, miracula paſſim
Dividit, & ſuperi vocat ad commercia regni?
Nec verbis tenus, & linguâ gens ſævit inermi.
Ingrata heu nimiùm, tantoque indigna favore,
Quæ Chriſto patria haud ullum perſolvit honorem!
Quin contemptim etiam Matrem objectare MARIAM
Auſa, ſupercilio JESUM detrudere montis
Barbara Nazariæ molita inſania turbæ.
Atque illum, patrio fundentem oracula templo,

Materni dolores ex injuriis cruciatibusq; Christo illatis.

Bis Solymæ arrepti jam jam petiere cruento
Mactandum nimbo lapides, ceu Numinis hostem.
Ah, quoties vinclis, quoties dare perfida morti
Tentavit, Regemque Sion ad probra vocavit!
Quanta piam hinc Matris lacerarunt vulnera mentme!
Hactenus indignos felici lumine tractus
Lustrantem, & sacri spargentem semine verbi,
Alma Parens Natum longo sectata labore est,
Quà licuit; pagosque & iniquas plurimus urbes
Dum peragrat, certamque offert Deus ipse salutem.
Ac dum odiis pensatur amor divinus iniquis
Judæûm procerum, & donis injuria certat;
Corde graves Mater sensus partita malorum est.
Nunc, ubi jam præfixa dies sacro ultima fato
Volvitur; atque Erebo conjuratæque Sioni
In summum permissa caput funesta potestas:
Nunc serie horrendi Virgo tractuque doloris
Raptari patientem extrema per omnia Natum,
Montem ad Golgotheum & diræ fastigia pœnæ
Insequitur, flagris lacerum furcâque gravatum:
Materno (annueret Genitor) quem solvere letho
Ardeat, immanemve crucis sociare dolorem.
It Mariæ memor; & sublatus stipite Jesus V. Theandr.
Adstanti indoluit. tum mutua dona, Parenti l. 2. & 3 Lyr.
Tradit adoptivum juvenem, juvenique Parentem. 4. 5. 6. &c
Grata licèt, maternum augent solatia luctum.
Dantis amor, geminæque urunt discrimina prolis.
Patri etiam desertum, & pectore singultantem,
Omnibus exhaustum pœnis, arentiaque ægrum
Ora siti exaudit; neque opem potis anxia Mater
Ferre laboranti: atque exangui concolor adstat.
Heu, segetem opprobrii spectat metamque furoris,
Sentibus infixis & adactis corpore clavis
Pendentem, laniatùm. uno stat vulnere Christus;
Quo totum expirans habitu conterruit orbem.

CHRISTUS DE CRUCE IN MATRIS SINUM DEPOSITUS.

Tandem Golgotheo dilapsâ vertice turbâ
Attigerat ſacri monimentum aramque doloris
Orba Parens ; cui fida manus, Natique Joannes
Juſſus obire vices, paribuſque exercita curis
Magdala ; tum Cleophæ Conjux, cognata Salome,
Atque aliæ, pia corda, nurus, magnamque Parentem
Et Chriſtum ad Solymam Galilæa è gente ſecutæ ;
Lugubris officiis ſeſe comitatus agebat.
Ecce autem Pontî veniam pacemque precatus,
Conſilio Iſacidûm factiſque averſus iniquis,
Joſephus ſimul accelerat ; ſimul inclytus alter,
Qui florentem olim, & Numen cœleſte probantem
Mirâ operum ſerie, agnovit coluitque Magiſtrum.
At luci primùm hic veritus committere apertæ
Furtivos aditus cœcis prætexuit umbris ;
Nunc audax, & jam exanimi confeſſus amorem.
Ambo præſignes opibus, virtutibus ambo,
Quadrifidi ſcalis invadunt cornua trunci
Cum gemitu, clavoſque tenaci forcipe vellunt.
Cætera circumſtat lecti pars agminis, ultro
Sedula ; detractiſque cruento à ſtipite membris,
Dum ſanctæ nitida exuviæ per lintea pendent,
Imminet, & molli ad terram deponere lapſu
Affectat venerans vulgo execrabile corpus.
Ante omnes oculis inhians & pectore toto
Captabat Genitrix mœſtum, haud infracta, laborem :
Obviaque erectis tendebat brachia palmis,
Complexura ſui funus lacrymabile Nati.
Hei mihi, quæ facies ! ſapphiro clarior ille ;
Ille ebore intincto, roſeo vel amœniùs oſtro
Antè rubens, nivea & puro cum lacte liguſtra
Floridus intacti ſuperans candoris honore ;
Nunc elephantiaco ſimilis, teterque rigenſque
(Infandum !) & toto maculoſus corpore ſordet.
Sputorum viſcoſa lues, craſſique cruores

Ora gravant, crebroque impacti verbere cæstûs
Turgentes malas : oculis nox incubat atra.
Funibus evincti, contusi fustibus artus,
Flagris concisi servilibus. omnia livor,
Omnia vulnus habet. sulcis immersa profundis
Fragmina virgarum restant. Immanis ubique
Carnificum furor, & sævæ spectacula mortis.
Caro succumbens oneri spolioque cruento,
(Quæ steterat defixa malis, dum extrema trahebat
Vitam in tormenta Christus) tum denique rupi
Funestæ insedit, defessa, exanguis, anhela.
Tristes relliquias & lamentabile funus
Sustentat miseranda Parens, Natique, Deique
Præfica. concreto squallentes sanguine plagas
Abstergit lacrymis; & consors pignoris, haurit
Totum oculis, animoque expressit saucia corpus.
Sævit Amor, gladioque Dolor sub pectus adacto;
Verax, heu nimiùm verax, quem Cycneus olim
Præcinuit Matri Vates, longéque minantem
Ostendit; tantâque animam gnaram antè malorum
Jamtum acie stringens, dictis haud vanus acerbis
Dulcia corrupit Solymæi gaudia templi.
Ah, quoties medio lanienæ in crimine amantem
Extorquere animam potuit dolor ! aut ubi letho
Depressum caput & fugientia lumina vidit:
Seu cùm informe, horrens & opertum vulnere corpus
Perpetuo, clavis supraque infraque refixis
Demissum accepit gremio mœstissima Matrum.
Hîc Mariæ impletum nomen, cum vastus amaro
Obruta corda mari turbo vexavit, ubi altis
Vulneribus Natum aspiciens pia Mater hiantem;
Arctabas laceros artus populataque membra,
Inque omni nusquam tangebas corpore corpus.
Ceu fera tempestas ruptis cùm nubibus imbrem
Æstivæ incussit segeti; aut ubi grandine multâ

Increpitans lætis vernantem floribus hortum,
Lilia disjecit, & ſanguineos hyacinthos.
Sic decor extinctus Chriſti, vultuſque receſſit
Divini ſpecies. jam humano inglorius ore
Excidit, horrenduſque ſuis, & fallere viſus
Vel Matris potuit, non fallere Matris amores.
Proh ſcelus! ætherii frontem venerandaque Regis
Tempora vulnificæ textum crudele coronæ
Sepſit, & auguſtos capitis deriſit honores.
Pœnarum tibi ſilva rubis increvit acutis,
Alma Parens; denſoque infeſti vulnere ſentes
Altiùs ac penitùs tenera in præcordia adacti.
Felle calix, miſto inclemens mox ſpongia aceto
Exſucci imbuerat Nati morientia labra;
Diluit infuſo tibi lactea corda veneno.
Qui palmas Chriſti duplices, plantaſque trabali
Ferro effoderunt, animum effodêre doloris
Arma tuum, clavi; quæque ultra ſæviit ipſam
Haſta necem. Extremos venis haurire cruores
Auſa, Dei templum lato patefecit hiatu.
At non exanimi Nato, ſenſuque carenti
Hoc doluit: Matrem viventem, ac dira videntem
Ludibria, infelix ſceleratâ cuſpide telum
Tranſiit, heu! geminamque uno plagam intulit ictu.
Cuncta ſimul relegit longæ veſtigia pœnæ,
Collectoſque ſinu paſcit renovatque dolores.
Ac ni ſancta Patris fatali in morte voluntas
Clareſcat, culpam letho mactantis eodem
Terrigenûm ad vitam, pactamque cruore ſalutem;
Ni pluſquam heroo firmatum robore pectus:
Jam ſemel occiderit, toties cum Prole nefandis
Cæſa modis, tanto necdum confecta furore.
Pars obiit Matris melior: ſua viſcera, Natum,
Jam conſumpta videt pœnis; vitæque ſuperſtes
Ipſa ſuæ, mortis complexu immobilis hæret.

Mille pio plagas, maternæ vulnera mentis,
Ore premit; penituſque avido ſub corde receptat,
Quantùm, heu, mutatos! alvo quos edidit artus,
Heu Virgo, heu nimiùm Genitrix fecunda dolorum!
Verum age, mœſta Parens, fletus abſterge decoros. REDIVIVUS MATRI CHRISTUS APPARET, EXHIBETQUE ANIMAS LIMBO EREPTAS.
Diſcuſsâ rediit jam tempeſtate ſerenum.
Redditur, en, Matri, vitæ jam reddita Proles:
Tertia lux crudo revocatam a funere ſiſtit.
Nec tibi nulla ſacer peperit ſolatia cultus;
Principibus curata viris funebria, & amplis
Muneribus ſupremus honos, præſenſque ſepulcri
Gratia, quoſque olim ſollennes mundus honores
Suppliciter pompaſque feret Regumque triumphos.
Divinâ quæ mente datum eſt præſumere ſecla,
Votivaſque Ducum palmas, peregrinaque dona.
Juſta ſed immenſi veniens ſolatia luctûs
Ipſe tulit, ſolus tantos mulcere dolores
Qui potuit, tumuli Natus redivivus ab umbrâ.
Primam te, domito lethoque Orcoque, reviſit
Sic meritam; ante omnes quæ ſaucia mater amore;
Ante omnes mœrore gravis; ſed conſcia rerum,
Vivâ ſola fide ſtabas, certiſſima voti,
Victorem expectans promiſſo tempore Natum.
O quantùm hîc ſpecie, quantùm diverſus ab illâ,
Quam modò ferali divulſam ex arbore, Virgo,
Funditus exhauſto pallentem ſanguine, pœnis
Abſumptam, horrentem, gremio miſeranda fovebas!
Vulnera nunc, haſtâ clavoque infixa trabali,
Purpureæ totidem lucis, totidemque beatæ
Ambroſiæ fontes. cunctos obit aureus artus,
Surgentis fulgor ſuperet qui lumina ſolis.
O amor! ô teneri amplexus, vaſtumque dolorem
Æquiparans MARIÆ conſpectâ Prole voluptas!
Queis oculos radiis, quo mentem Numine complet
Æternæ ſpecies & candida Lucis imago!

Agmen agit Chriſtus geminum; atque utrumque Pa-
renti,
Hinc cœli Genios, illinc tellure profundâ
Eductas animas Victor, ſpolia inclyta, monſtrat.
Heroes pariter, pariter virtutibus altis
Egregiæ factiſque ingentibus Heroïnæ
Divinam læto circumſtant agmine Matrem,
Miranturque coluntque, & grates laudibus addunt.
Ante alios, par eximium, Joachimus & Anna;
Tum citharâ Proavus ſceptroque inſignis Hebræo;
Virgineique tori Joſephus lilia dextrâ,
Lilia fronte gerens. Tuque, ô, genitricis ab alvo
Qui Mariæ ad vocem cœleſti concitus aurâ
Lætitiâque micans, & jamtum Numinis Index,
Magnifico antiquos viciſti munere Vates;
Sublimis flore in Procerum, Chriſtoque propinquus
Incedis, tuque, & caſti, Baptiſta, Parentes,
Ambo fatidici, præſtantes moribus ambo.
Nec minùs illa anniſque gravis meritiſque, paternas
Ante aras Matrona Deum venerata puellum,
Interpres fatorum, expectatæque ſalutis
Nuncia delectis populi; cum dona beato
Accipiens promiſſa ſinu, cantumque coloremque
Aſſimilis niveo Symeon geſtiret olori.
Heu nimiùm funeſta ſuis Conjuxque Parenſque,
Mollibus illecebris fragilem quæ prima Virago
Decepit decepta Virum; quæ crimine totam,
Necdum etiam natos involvens funere, gentem
Perdidit: haud falſo Viventum nomine Matrem
Agnoſcit Mariam, vafrique ultrice colubri
Eliſiſſe caput plantâ miratur, & unam
Peſtifero denti intactam, Stygioque veneno.
Jam tantâ exclamat felicem Vindice noxam,
Ipſaque & infauſtæ conſors uxorius eſcæ.
Hinc generis lecti ſanctæque propaginis auctor
Abramus,

Abramus, qui tot gremio depoſta capaci
Millia rite fovens, exutas corpore Mentes,
Servavit, placidâque Pater ſtatione remulſit;
Dum Chriſtus meliore ſinu complexus, Olympo
Inſereret. Stellis numeroque & luce nepotes
Æquatos, ſterili quondam vernante ſenectâ,
Uno Sara tulit partu, populoſque beavit
Iſaco gaudens, Natoque & nomine viſa
Terrarum Dominæ ac Magnæ proludere Matri.
Legiferi ecce autem Vatis Soror, ipſaque Vates,
Vividaque & MARIÆ ſpectabilis umbra refulſit.
Palmarem agnoſco Deboram, claramque Jahelem.
Virgineos ſimul ante pedes ſtravere coronas,
Victrices animæ; & Solymæi gloria regni,
Quæ caput Aſſyrium truncique Holophernis opima
Obſeſſæ retulit patriæ, temploque ſacravit
Fœminei lecta appendens monimenta triumphi.
Tu quoque Achæmenio Conjux gratiſſima Regi,
Quæ tenui in fluvium creſcens ab origine fontis,
Luce redundaſti (ſic myſtica viſa ferebant)
In roſeum converſa jubar; vis publica legis
Mortiferæ ſolam eximiâ quam ſorte refugit:
Eſther, proſcriptæ ſpes ô non irrita gentis,
Appendiſſe cruci, quam fixerat ipſe, ſuperbum
Criminis & pœnæ artificem lætaris Amanum;
Auguſtam pulcrâ MARIAM ſub imagine gaudes
Præmonſtratam orbi, Servatricemque reorum.
Splendidus officiis Reginam exercitus ambit,
Cœligenûmque hominumque acies. nec caſtra ſolutæ
Tantùm animæ, volucreſque movent ſine corpore vitas.
Multæ etiam, (dum terra tremit, patefacta ſepulcra)
Rurſus in antiquum hoſpitium deſuetaque membra
Accitæ, & Solymam viſæ volitare per urbem.
Non tamen, induti jam corpore, civica Manes
Tecta peragrarunt vulgò : delecta piorum

Lumina ſed Chriſti teſtes, melioris & ævi,
Arcanis ſubiere modis, felicia viſa.
Virginea advolitant crebri ſacraria Divi,
Ac Divûm Rex ipſe frequens; dum parta laborum
Præmia, victoremque vocantia regna moratur
Luce quaterdenâ, jam fractâ morte ſuperſtes.
Ingratæ captus miro telluris amore,
Biſſenos raruſque tamen raptimque ſodales
Viſebat, veterem oſtendens per amica figuram
Colloquia; auguſtos necdum prodebat honores
Sidereamque oris ſpeciem, quam ferre tuentum
Infirmi nequeant orbes. caræ ille vacabat
Aſſiduè, blando manifeſtus lumine, Matri:
Venturique dabat ſeriem prænoſcere fati;
Quantum ipſam per ſecla decus, quæ dona per omnes
Terrarum populos ſuperâque in ſede manerent.
Tum quoque cum patrii ſedem remeavit Olympi,
Reſpectanſque ſuos placidus, fauſtoque catervam
Mirantem ſigno luſtrans, majorque videri,
Jam nive candidior veſtem, jam ſidere vultum;
Ipſe ſibi *currus*, proprioque *auriga* triumpho:
Illum aſcendentem Genitrix, auraſque ſecantem
Longè alio, quàm tota cohors, fulgore coruſcum,
Aligeriſque choris ſeptum Patrumque beato
Agmine ſuſpexit, cœleſtis & ordine pompæ.
Nec, quæ ſublimem ſpectantibus invida nubes
JESUM intercepit, MARIÆ ſubduxit, acuto
Nubila vincenti rimantique æthera viſu.
Si patuit Baptiſtæ oculis penetrabile cœlum,
Abluto niveâ Chriſto illabente Columbâ;
Si Stephano mox ipſe polô ſe dexter apertô
Obtulit, adſtantem Genitori, Virgine Natus:
Ecquid adorantes Superos, ſolioque ſedentem
In patrio Regem, nudato Mater Olympo,
Dulciaque in ſeſe converſum lumina vidit?

Vidit, & ambrosiis stillantia roribus astra
Sensit læta Parens, & ovantia carmine templa
Audiit æternæ, Domino gratata, Sionis.
Illic nempe locum, Virgo, tibi Filius ornat
Omnipotens, sedemque parat : quâ deinde paratâ
Adveniet rursum ; & cujus placito ipse receptus
Hospitio quondam, castæ penetralibus alvi,
Dilectam excipiet solia ad suprema Parentem.
Interea semotum oculis supplere labora,
Subtracti ceu luna vices & munia Solis
Suscipit : avectoque pios solare Magistro.
Et precibus flammas, & votis addere pondus
Apta, fovet sacros materno pectore cœtus ;
Nec semel apta Deum terris accersere Virgo.
Fecundo unius Verbum Patris ore sonandum,
Condita quo rerum moles, ingentibus una
Promeritis traxit : nunc Sancti Flamen Amoris ;
Vitales ex quo subeunt mortalibus auræ,
Allicit, & Nati accelerat Spirabile Donum.
Ecce repentini vis æthere concita flatûs,
Spiritus ignipotens, concussæ infunditur ædi ;
Sectilibus capita & flagrans innoxia linguis
Insedit, penitusque animis sublapsus inhæsit.
Blandam inscripsit Amor præcordia ad intima legem ;
Omnigenis Mystæ ora sonis Galileïa solvunt :
Miratur Solyme, populi mirantur hiantes,
Undique terrarum sacra ad Solymæa profecti.
At quæ Sanctum animo Flamen, quæ corpore Verbum
Flaminis illapsu conceperat, intus agente
Numine progenitum Numen ; cœlique beatis
Muneribus primo jam vitæ insontis ab ortu
Plena, sed ipsa sibi donisque sequacibus instans
Auxerat usque novas, acer quas congerit usus,
Gratiæ opes : dona hîc Sponsi sollennia cunctis
Largiùs exceptans, divino exæstuat igni.

DEIPARÆ in Ecclesiam, post Ascensum Christi, officia &c.

Defixos in Matrem oculos animosque piorum
Exemplis monitisque acuit clarissima, & omni
Virtute exuperans; roburque accersit ab alto
Christiadûm genti, precibusque Heroas obarmat.
Præcones magnos Fidei, Testesque cruenta
Fata lacessentes, vincendum firmat in Orbem.
Non acie ferri domitus, non viribus auri,
Ingeniive opibus; sed inermis præda manipli,
Arte rudis, fortunâ inopis, Cruce bella moventis;
Jam cedet mundus, sancto mitescere cultu
Jam patiens, nec molle genus condiscere morum.
Auspice per terras Christo vulgata refulsit
Relligio, lateque infernas discutit umbras.
Nequicquam furit infelix, qui corda Tyrannus
Errorum tenebris vitiisque oppressa tenebat;
Judææ rabiem pronasque in crimina gentes
Frustra agitat. sparso pietas sata sanguine crescit,
Christicolûmque seges, palmarumque ardua silva.
Signum, Tartarei quo vis infracta Tyranni,
Excelsæ arripiunt animæ. Cruce, quidquid acerbi
Sævities, quidquid blandi meditata Voluptas,
Vel teneri pueri, teneræ vicere puellæ.
Splendida transformant populos miracula rerum.
Victori gratare Parens lætissima Nato,
Ipsaque cœlestis partem cape, Diva, triumphi.
Te quoque victricem furialis Tartara monstri
Horrescunt; Æther mirantibus evocat astris. ASSUMPTIO VIRG.
Et dudum, Regina, tuos suspirat amores
Ignea gens cœli, tellurique invidet æthra:
Et te Dius Amor totâ supera alta petentem
Mente rapit, blandâque volentem morte soporat.
Sacrato felicem animam jam corpore solvit;
Rursus & adstrictam redivivo corpore tollit
Æterni, meritis parta, ad fastigia regni.
In MARIÆ occursum totus se effudit Olympus;

Obvius immensam educens rutilo agmine pompam
Processit, Matremque sinu solioque recepit
Christus: & augustâ Reginam luce coronat
Alma Trias, Nato admotam, rerumque potentem.
Cœlicolas omnes, vario totidem ordine Reges,
Sceptra, Dei famulos, Matri summittere jussit;
Auxilia hinc petere, & miseros sperare salutem
Mortales, tantâ Natum prensante Sequestrâ.
Laudibus admista ingeminant, resonantiaque altè
Vota piis terræ pulsant clamoribus æthram.

Optime regnantum Princeps, & Maxime rerum
Idem Opifex Custosque, Deus, miserere tuorum,
Assiduos inter casus & sæva pericla
Pacem implorantum, ac rebus tutamen egenis.
Christe, humiles audi gemitus & vota clientum:
Supplicibus facilis, posito ceu Judice, mites
Exere Patroni curas, dextramque benignam.
Cœlestis Genitor; Genitori æquæve supremo
Nate, salus mundi; tuque, ô Spirabilis Ardor,
Dia Trias, simplex & inenarrabile Numen,
Humano generi fatalem averte ruinam.

Tuque adeo, lacrymis pondus vimque adde caducis,
O Domina, ô mœsto jubar adspectabile seclo!
Sancta fave, placidasque aures adverte MARIA,
Et nostras admitte preces: Natum ipsa sequestris
Mater adi precibus; genitoque oblata Tonanti
Viscera, facundo simul ubera lacte perorent.

ELOGIORUM DEIPARÆ SERIES, latiùs quam in II. l. Parth. explicata. & MYSTERIORUM ANACEPHALÆOSIS.

Virginei Dux, Alma, chori; Christique Theandri,
Et Charitis fecunda Parens! Castissima Mater,
Nec fetu æterni florem violata pudoris,
Intemeratum animo candorem & corpore servas.

Materno stirpem immeritam comprendis amore,
Omnes Evigenas, omnes telluris alumnos.
Quin etiam aversos longè, noxaque gravatos,
Ultro ardens captas. hinc publicus ipsa vicissim

Orbis amor, pulchri pulcherrima Mater Amoris!
Omnia tu rerum exuperas miracula, mundi
Autorem Genitrix Servatoremque beato
Ventre amplexa Deum, quem non ingentis Olympi
Regia, non ſpatiis arcet labentibus ætas.
Sanguine quod caræ pretium fatale ſalutis
Penderet, ac totum materno jure dediſti
Rite volens noſtros impendi Numen in uſus.
Prudens ante alias Virgo, cui vivida lampas
Atque olei exhauſto non defectura liquore
Cœlitis innuptos Sponſi celebrat hymenæos!
Pectoribus Veneranda piis, linguiſque Canenda,
Quot cœlo terraque ſonant! capita omnia ludum
Promeritis imples, præconiaque omnia vincis.
Nec tamen hæc deſpecta tibi, quæ nomina mille,
Mille colendi artes mortalia corda frequentant.
Telluriſque mariſque Potens, atque ætheris alti;
Fortior inſanâ Mulier Styge; quæ caput Angui
Tartareo, primâ damnatum ab origine mundi,
Conterere impreſsâ Victrix potes ardua plantâ.
Aſt homini Clemens, & lactea tota, perennes
Larga manu devolvis opes, ac divite nimbo
Munera per terras latè cœleſtia fundis,
Et veniâ ingratæ diſſolvis crimina gentis.
Si quem olim concepta tui ſpes, Virgo, fefellit;
Si quando miſeris ſurda, auxilioque ferendo
Segnior inventa es; te jam abneget ille Fidelem,
Virgo, tuum quiſquis meminit ſibi deeſſe favorem.
Limpida cryſtallus, nec labe afflata, renides,
Sidereumque flagras Speculum; quo judice, vultûs
Non vitium eluitur, non gratia fingitur oris;
Sed maculas nævoſque doces abſtergere cordis;
Perfectam ætherio formam componere Amanti
Deſponſas animas, thalamumque in Regis ituras;
Juſtitiæ ſolidam ſpeciem, non ſplendida viſu

Illuſo ſimulacra & inanes objicis umbras:
Conceptaſque faces, infuſo à Sole, coruſcis
Miſſilibus ſpargens, & vivida Solis imago.
Tu Sophiæ Sedes; cui nec Salomonia certet,
Illa licèt famâ terras jactata per omnes,
Secto elephante nitens, fulvoque ſuperba metallo.
Iſtinc & reſponſa Deus certiſſima reddit,
Et nova ſubmiſſum placidus dat jura per orbem.
Credula ſerpenti, demens, proliſque noverca
Eva ſuæ, triſtes offenſo à Numine diras
Immaneſque puerperii miſeranda labores
Senſit; & in ſeros decurrit pœna nepotes.
Tu fœdum ſarcire nefas veteremque ruinam
Conſilio arcano ſuperi delecta Parentis,
Aligeri lætam ſimul excipis ore ſalutem,
Obſtruis & ſcelerum venas, ſcatebraſque dolorum.
Hoſpita feta Deo, cognatæ limen Eliſæ
Vix pede contigeras & amicis vocibus aures;
Cùm ſubitò, materna uteri quem ſepta coërcent,
Zacharidæ inſinuans tenues ſonus excitat artus.
Jamtum primitias hauſit, ſenſumque recentis
Lætitiæ haud dubiis prodens (mirabile!) ſignis
Geſtiit, adventuque tuo purgatus avitâ
Labe Puer, diæque illapſu percitus Auræ.
Mox & virgineo diffundis gaudia partu
In populos, nova Bethleo quæ Nuncius Ales
Gaudia Paſtori cantat ſub nocte ſerenâ.
Heu, duro exilio & lacrymoſa in valle jacentes;
Felicem in patriam, ſancti ad faſtigia montis
Summa vocas, quà nectareo ruit amne voluptas.
Luctantes animos, vel Olympi ad culmina raptos,
Ah, grave terreno depreſſit pondere corpus,
Letiferis dum vita malis corrupta fatiſcit.
Diſcors ipſe ſibi, & turbis agitatus iniquis,
Pugnat homo, infelix nimiùm; victuſque gemenſque

Ipse sibi vincla, ipse sibi juga ferrea nectit.
At tibi nec-minimæ patiens contagia culpæ,
Virtutisque intra placitos excurrere fines
Libera mens gestit; puræque simillima menti
Membra vigent, penitusque internæ consona legi.
Nec te iræ flagrans, extincto fomite, motus,
Nec molli insidians sensu tentare cupido
Evaluit; faciles nutu sed temperat artus
Spiritus, intus agens, & amico in corpore regnat.
Quàm fragiles passim testæ, atque ingloria limo
Finguntur Samia, & lucem fugientia sordent!
Vas auro solidum, multoque adamantis honore
Sapphiroque micans, rutiloque insigne pyropo;
Artificisque manu summi, celoque magistro
Mirum opus, & sacros devotum assurgis ad usus.
Ut Rosa, quæ spinis circumsepitur acutis,
Seu Jerichuntis agro, viridi seu consita Pæsto,
Ipsa illæsa manet, suavemque adspirat odorem;
Viva simul teneras incendit purpura frondes:
Sic & Adamigenas inter Dilecta puellas,
Virtute exuperans, neque avitæ conscia noxæ,
Deliciis & corda trahens inhiantia mulces;
Plurimaque exempli stimulis vis acribus urget.
Jam fervent alacri sectantûm examina cursu.
Urbe Sionæâ qualis Davidica Turris,
Ardua quam circum stant propugnacula, mille
Una gerit clypeos, Fortes unde arma capessant:
Tantâ mole sub ætherias attolleris auras
Arx invicta tuis, & inexuperabile vallum:
Nec pateris famulos Orco concurrere inermes;
Tegmine sed fido, Stygii tela ignea contra
Principis, & vasto obtendens umbone coronas.
At bello in medio soliti mansere decoris
Dulces illecebræ. dum ferro instructa, Tyrannum
Umbrarum horrificas, & Turris ahena videris;

Diverſa interea famulis apparet imago,
Pacifici Sponſam referens Sulamitida Regis;
Et nitidâ Turrim cervice imitaris Eburnam.
Nos luteas habitare domos, & vilia nati
Corpora: tu ſeptem Domus Aurea nixa columnis,
Æternæ quam fabra ſibi Sapientia mentis
Ornavit, templiſque colit magis omnibus unam;
Et Domino minor, & major Domus æthere toto.
Illum tu nobis compoſtâ pace volentem
Concilias. per te irato detracta Tonanti
Tela cadunt, tela arrecto librata lacerto,
Fulmina mortales acuunt cùm ultricia culpæ.
Obſes amicitiæ & placidi tu Fœderis Arcus;
Terrigenûm ſancti cum Numine Fœderis Arca.
Tu gemmâ perfecta nitens, & cardine ab omni
Noctes atque dies patefacti Janua Cœli.
Qui ſummo per te in terras egreſſus Olympo,
Per te homines Chriſtus Cœli intra tecta recepit,
Aſperaque aſcenſu mollivit limina regni,
Anguſtos laxans aditus, atque invia clauſtra.
Porta Triumphalis turbâ celebraris ovantûm.
Stella velut, Solis, cùm Matutina, ſatelles,
Naturam informem vaſtâ caligine ſolvit,
Noctem abigens, mundumque diurnâ luce recludit:
Diſcutis errorumque chaos, ſcelerumque tenebras
Evincis, MARIA, & ſtellato nomine fulges.
Infirmis tu, Diva, Salus: te, Soſpita Virgo,
Pallentes fugiunt Morbi, Letumque, Dolorque.
Ægra Machaoniæ valeant inventa medelæ,
Pæoniæque artis, meditans tormenta, ſupellex.
Scilicet & triſtes ſuccos, pretioſa venena,
Miſcet; & immitis, nec ferro parcit & igni,
Vulnera vulneribus curans, & ſæpè malorum
Aſperior ſenſu, Mortique operoſa miniſtrat.
Blanda laborantes animos medicaris & artus;

Arbore Edemæâ melior vitamque tueri,
Fructu immortali gaudens, & frondibus ipsis
Æternùm sanas felix defendere gentes.
Vix prece conceptâ, jam larga salutis inemptæ
Copia. testantur crebris altaria donis,
Relligio geminum quà fusa est cunque per axem.
Divûm alii febres, alii contagia pestis
Cedunt; & proprio se limite quisque coërcet,
Atque uno illustrem commendat munere famam.
Obvia tu noxæ omnigenæ, terrasque per omnes
Excurrens Panacea, & præsens Ara Salutis.
Pinguior inde tuæ cumulatur adorea laudi,
Quòd commune Reis & non violabile præbes
Perfugium. justas si quando exarsit in iras
Omnipotens; & jam vindex Astræa nocentum
Tergo instat, toto in pœnas accincta barathro;
Quam trepidi prendant arcem? terrâque marique,
Cœlo Ereboque atrox urgens terroris imago,
Intentæque minæ male-conscia pectora turbant.
Ad te concurrunt miseri; similesque columbis,
Quas ferus accipiter, vel quas niger aëre turbo
Præcipitat, fugiunt notæ in stationis amica
Præsidia, & sacræ condunt sese Urbis Asylo.
Denique, mortalem incursant quæ plurima vitam;
Solando Afflictos, lenire incommoda gaudes,
Christiadûm Auxilium, & dubiis spes altera rebus.
Terrarum prædo sic cùm sævissimus in nos
Thrax rueret, Cypri excidio sublatus opimæ;
Italiam & contra velisque animisque tumentes
Lunatæ Ionio volitarent æquore classes:
Christicolûm socias præsenti numine puppes
Texisti; Romana sacrum per templa tiaram
Dum Pius abjiceret, successuque anxia pugnæ
Te votis precibusque pavens Europa vocaret.
Auspicio demissa tuo Victoria venit:

Unde tibi partum agnomen; laudumque catenam
Auxilii titulo Præsul non immemor auxit.
Aligeri plausere Chori; pennisque micantes
Et nutum observant Dominæ, rapidoque volatu
Jussa ministeria expediunt. posuere coronas
Reginæ ante pedes magni capita alta Senatûs,
Et citharis Jesum, citharis sonuere Mariam.
Tum Neptis regnum agnoscunt, sceptrique potentis
Aurea submissi Patres fastigia adorant:
Et Mariana procul speculati sidera Vates;
Ac sua, pænè fidem quondam superantia, læti
Virgineo repetunt impleta oracula fato.
Hinc Præconum, oras terrarum missa per omnes,
Acclamat divina cohors; festoque tubarum
Reginam clangore docet resonare Mariam.
Discit uterque polus, laudesque per astra volutat.
Nec minùs & Christi Pugiles, fortissima turma,
Palmatis fulgens trabeis, palmâque rubentes
Nexa comas, propriique ostro decorata cruoris;
Martyrii Reginam, & acuto corda dolore
Transfossam, crudæ innumero ceu cuspidis ictu,
Concelebrat: palmasque, manûs gestamina, coràm
Deponunt Heroës, & altæ insignia frontis.
Vincla alii, citrave necem crudelia passi
Vulnera, & infandos pro Relligione labores;
Sponte sibi duras alii consciscere pœnas
Assidui quondam, & membris instare domandis;
Fallaci exempti seclo, fata ante sepulti.
Jam quos civili Pietas immiscuit æstu;
Seu, justis apti componere legibus urbes;
Extera tractarunt; seu mystica jura dedêre,
Et cœli, spatia arcta, viam docuere, ferentes
Antè gradum implexis per saxa rigentia dumis;
Pastores populorum, in publica commoda nati.
Tot pariter dictisque Fidem factisque professi,

Reginam ſtudio Indigetes cultuque frequentant
Chriſtiparam ; quæ prima olim, quæ Maxima ſacris
Pontificis ſummi & votis flagrantibus Ara
Imbuitur ; ſupremo eadem quæ ſella Magiſtro,
Doctrinam factis præeunti, & grandè tenellâ
Infantis ſpecie mitiſque humiliſque ſonanti.
Quæ ſimul obſcuræ latebroſa ſilentia vitæ,
Pauperiem, exilium, ſannas, & quidquid acerbi
Filius exhauſit, conſorti pectore Mater
Pertulerit, nec morte ſemel defuncta, ſuperſtes
Ipſa ſibi, in luctum vivax, victrixque dolorum.
Nunc interque ſuas, fortunataſque ſuorum
Delicias Princeps, junctoſque exultat honores.
At colles ſupra ætherios non pulchrior alter
Ordine Virgineo; quæ te & tua ſigna ſecutæ,
Lilia, ſiderei cultis felicibus horti
Lecta, tibi niveæ adſternunt, Regina, Puellæ.
Unà omnes, Sanctæ quos extulit aula Sionis,
Concordi Proceres Dominam te voce ſalutant,
Biſgeniti Regis Matrem, Natoque ſecunda
Imperia æquantem mundoque ævoque MARIAM.
Tot laudum titulos, & Divos ſparſa per omnes
Præmia, ſublimi geſtas collecta coronâ.
O tu iſto, prona in miſeros, è culmine rerum
Reſpice nos, Auguſta; potes quippe omnia : nec te
Filius incaſſum regnis præfecit Olympi.
Per te, perque tuos divinæ Prolis amores,
Mutua & obſequia, & donis certantia dona;
Myſticaque ante omnes vigilis tibi fata Pronœæ,
Delectuſque ſacros æternæ munere ſortis.
Per, qui te intactam culpæ genuere Parentes,
Felicemque ortum ſterili ſenioris ab alvo,
Virtutum ſtipante choro; pignuſque favoris
Æthere ſuſceptum, & puram cum nectare lucem
Uſque trahens, MARIÆ venerandum & amabile Nomen.

Votivum Oblatæ per Virginitatis honorem;
Trimula ubi Solymas iniisti Numinis ædes;
Conjugii posthac velatum ignobilis umbrâ,
Dum luci assuescant, oculos fallente profanos.
Perque salutiferi cœlestia gaudia Nuncî;
Perque obitos montana super Judæa labores,
Visendi officium gravidæ cùm impendis Elisæ;
Quæque subis, nullâ contacta Puerpera labe,
Haud tibi præscriptos, Mosæa piacula, ritus.
Perque breves lethi somnos, & inane sepulcrum,
Quo surgis rediviva micans, invectaque Cœlo
Læta triumphalem ducis per sidera pompam.
Si precibus mortale genus, Patrona, tueris;
Ille tuus (cui sola præis, dum tota sequuntur
Agmina Virgineæ censu splendentia dotis)
Sanguineâ incestas lustrans aspergine gentes
Dux ovium, Pastorque Agnus, victorque luporum;
Te monstrante, homines rutilis spectabit ab arvis:
Et septemgemino radiantia tempora cornu
Lenè movens, parcet famulis, veniamque sequestrâ
Te dabit, ô Mater: vota exaudita, misertus,
Sanciet optatæ perfecto munere Pacis.

ERRATA

in Theandricis & Parthenicis sic emendanda.

P*Agina* 246. *versu* 29. Camœnam. *dele punctum.*
Pag. 283. *in nota ad marg.* Christo, *dele virgulam.*
Pag. 261. *linea* 4. *lege* antonomasticè.
Pag. 274. *vers.* 24. mansuescere.
Pag. 287. *vers.* 2. tenero, *lege*, dulci.
Pag. 297. *vers.* 15. infixi.
Pag. 317. *vers.* 33. Repperit.
Pag. 318. *vers.* 5. protervis.
Pag. 328. *vers.* 13. auras.
Pag. 344. *vers.* 34. quam.
Pag. 363. quatuor consequentes paginæ repetitis numeris consignatæ.
Pag. 370. *vers.* 19. Aronis.
Pag. 383. *vers.* 22. Gymnasii.
Pag. 386. *vers.* 26. Nomen &c. *corrige*, Nomen; &c
Pag. *ead.* *vers.* 30. ritu. *lege*, cœtu.
Pag. 411. *vers.* 1. citharæque.
Pag. 416. *vers.* 33. ostendit.
Pag. 421. *vers.* 5. mentem.

ORATIONES PANEGYRICÆ III.

IN

S. FRANC. SALESIUM

EPISC. AC PRINC. GENEV.

D. RADEGUNDEM

FRANCIÆ REGINAM;

NICOLAUM

COMITEM SERINUM.

AUTORE

LEONARDO FRIZON S. J.

PARISIIS,

Cum Regis Privilegio.

AD LECTOREM.

ORATIONES hæ Panegyricæ tres, Erudite Lector, habitæ fuerunt ex occasione, prima quidem, consecrationis B. Francisci Salesii; altera, Regiæ pietatis in Reginam Franciæ sanctissimam, Radegundem; tertia, luctuosissimæ necis viri fortissimi, & invictissimi copiarum Pannonicarum Imperatoris, Nicolai C. Serini. Quanta verò festinatione, quámque paucis diebus scriptæ fuerint, temere fecisse videar si aperiam. & sane vereor, ne se ipsæ prodant. Quales tamen cunque sunt, datus illis est locus in Selectis Orationibus Panegyricis PP. S. J. Lugduni editis. Hic demum apponuntur ob conjunctionem argumentorum, cum intexta sint Poëmatis superioribus nonnulla de S. Episcopo Genevensi, ac de augusta Regum Patrona; & plura tomo posteriori de hujus pio divortio palmarique Transfugio. nam Serini Comitis justum Epicedium extat Heroic. l. II. *Sic* finitimus est Oratori Poëta. *suis tamen uterque se finibus continet; neque in Poësin, ultra quàm Cicero præceptis exemplisque patitur, Oratoria excurrit.*

Alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amicè.

Dissertatiunculam quoque poscat fortasse, aut universè in genus Epidicticum, aut in hos proprie Panegyricos. Atenim de genere ipso spero me scripturum, quantum satis sit, in Rhetoricis Commentariis Delphino Serenissimo debitis. Subjectis autem Orationibus, me silente, dabis veniam pro tua æquitate, Lector Erudite, quamvis inelaboratis, materia certe rerumque dignitate placituris.

Pagina 5. *linea* 23. *lege,* inhumanissima.
Pagina 15. *linea* 6. Ternerium.
Pagina 59. *linea* 16. terroribus.

DE FRANC.



DE

FRANCISCO SALESIO
EPISCOPO AC PRINCIPE GENEVENSI, COELITIBUS ADSCRIPTO;
PANEGYRICUS.

FUIT illa Romanorum veterum ab heroïcis repetita temporibus ſuperſtitio (Auditores clariſſimi) ut parentem urbis Romulum, imperii conditorem Julium, alioſque ſubinde Cæſares ad venerationem conſecratos in Deorum numero collocarent. Eò ſcilicet progreſſa, principum ambitu, populorum credulitate & aſſentatione impietas; ut homines perditiſſimos, quos graviſſima atque inexpiabilia ſcelera ad ignes depreſſerant Tartareos, Cœlo dicaret, poſitis fanis inauguratiſque Flaminibus coleret.

Atenim profligata jamdiu ſunt immortalis Dei beneficio fœdiſſima flagitia; nec tam caligine vetuſtatis,

quàm luce Christianæ legis oppressa. Cessit error veritati, superstitio Religioni, profana Apotheosis piæ justæque consecrationi. Felici rerum conversione, jam non vitia templis & altaribus ad exemplum perinde atque cultum proposita adorantur : sed commentitiorum Numinum & criminum abrogato cultu, quam unam è Sanctissimi Magistri disciplinâ colendam intelligimus, virtutem in spectabili atque illustri monimento Christiani veneramur.

Tacitâ ipsi cogitatione orationi meæ præcurritis, Auditores, neque opus est à me divinum Præsulem ac Principem FRANCISCUM SALESIUM nominari, cui jampridem æternum gloriæ præmium patrimoniumque Deus beatissimum exhibuit ; debitos in terris ac legitimos honores rerum interpres divinarum, Ecclesiæ Antistes Maximus casto nuper solennique ritu decrevit, flagrantibus Principum ac populorum votis expetitos, omni gratulationis magnificæque pietatis genere celebratos. Personat adhuc Europam publicæ vox hilaritatis : versatur ob oculos festorum ignium splendor : occurrit animo Pontificiarum Regaliumque pomparum majestas : collucent undique speciosissima multiplicis triumphi, de infernis hostibus, de Genevensis Hæresis portento, de vitiis omnibus relati simulacra.

Alex. VII Salesii sanctitatis piæque doctrinæ summus admirator.

Venio in partem longè latéque diffusi, nec majoris quàm religiosioris gaudii ; non quò crescere immensam gloriam tenui vocis meæ præconio posse confidam; sed ut insigni scholarum nostrarum alumno quondam atque exemplo, nunc, uti sperare fas est, Patrono ac Tutelari, qualecunque hoc vectigal persolvam ; & annuas Rhetorices primitias Cœlesti consecrem Divinoque Oratori. Et verò si scholas imperatoriæ templa gloriæ dixit Eumenius ; quantò augustiùs Regium hoc gymnasium Salesii laudibus honoribusque instante Lu-

dovico Rege Christianissimo constitutis dedicetur? Quàm porrò vobis aptum omnibus, Aud. illius viri exemplum, qui Theologiam Jurisque prudentiam acerrimo cursu studiorum emensus, lauream ex utraque tulerit? qui Senator primùm supremæ Camberiensi Curiæ adscriptus, sacra deinceps munera sic gesserit, ut admiratione invidiam extingueret, fructu pietatis uberrimo admirationem ipsam fidemque superaret: qui denique Pontificio ex Oraculo planè *omnis homo* extiterit ut omnes Christo adjungeret.

Sed quoniam in amplissimâ rerum silvâ statuendus est orationi modus; Franc. ego vobis Salesium, Auditores, propono, qualem Phœnix ille Homericus virum principem ac totius Græciæ fortissimum sibi ex patris mandato fingendum atque elaborandum dicebat, *Oratorem verborum actoremque rerum*. Vos aures faventes animosque tantisper adhibete, & Oratorem veriùs quàm Periclem, Olympium, Actorem planè Thaumaturgum vobis dum exhibeo, non admiratione solum, sed etiam veneratione cœlestem virum prosequimini. Cic. 3. de Orat. ex 9. Iliad.

Majus esse quiddam, Oratoris munus, quàm homines opinentur vulgo, & pluribus ex artibus studiisque collectum; non Tullii magis, quàm ipsius veritatis ac sapientiæ pronunciatum est. Sed apertum de Oratoris dignitate campum sanè ingentem, ubi tot eloquentissimi volitarunt laudatores, silentio prætervehor: neque committam, ut illâ quasi jactatione plus invidiæ fortasse quàm gloriæ videar facultati, cujus à me suscepta professio est, domestico præconio collegisse. Unius ego Salesii vim facundiæ mirificam victoriasque celebro, victis salutares peræquè ac victori gloriosas; victorias linguâ, non manu partas, nisi cùm hæc stricto ad salutem animorum calamo armaretur; & orationem quodam, ut ita dicam, literarum amento intorqueret.

Atque ut nobili Catonis sententiâ mea prætexatur

oratio, Virum bonum dicendi peritum oratorem deſcribentis; quis illo viro vir melior, qui ſuâ ſponte nativiſque virtutum ſeminibus ſic ad omnem laudem effloruerit, ut nullâ funeſti patrimonii parte, noxæque ab Adamo in poſteros manantis labe aſperſus cõtactuſque videretur? (quæ ſententia pietate doctrinaque eminentiſſimi Baronii fuit) cujus Amorem divinum prima vox ſonuerit; profanum invicta molliſſimis illecebris conſtantia obtriverit: cujus adoleſcentia, cunctaque adeò vita, innocentiæ ſpecimen, modeſtiæ ſpeculum, cenſura vitiorum, ſanctitatis miraculum extiterit? Jam Saleſio quis dicendi peritior? quis omnibus eloquentiæ præſidiis, animi & corporis dotibus ornatior? Pars eſt felicitatis vel præcipua, Magiſtri præſtantia; idemque ſuam intelligentibus felicitatem ſtimulus ad diſcendum acerrimus. At noſter hic, ſupra ætatis captum ſapiens, cùm alii à parentibus oſtenderentur, præceptores ipſe delegit eos, quorum & mores & doctrinam conſequi duceret pulcherrimum. Quanquam is Franciſcus fuit Saleſius, ut eo potiùs inſtitutores cenſeri debeant & gloriari. O te beatum, eruditiſſime Maldonate, teque Sirmonde præſtantiſſime; & auditore hoc ſingulari, multò quàm frequentiſſimâ Pariſinæ juventutis coronâ celebriorem! ô muſæ ſcholæque Claromontanæ, quæ tantum Eccleſiæ lumen, non ſolùm ut plurimæ Galliarum Italiæque ſedes aſpexiſtis; verùm etiam puriſſimis accenſum radiis, orbique Chriſtiano ſuſpiciendum ad altiſſimum faſtigium extuliſtis!

Et ille quidem amœniores omnes diſciplinas mirâ ingenii concitatione ſeverioreſque pervagatus; cùm excellens omnibus, quâ potiſſimùm parte emineret, ambiguum eſſet: minus tamen ex Rhetorum officinis quàm ex cœleſti afflatu illapſuque traxerat. Quid enim putatis, Auditores, voluiſſe nitidiſſimam illam, quæ Saleſii caput inſedit, Columbam, niſi ut vim, auram,

efficientiam divini Spiritûs, cujus tunc maximè ſacris operabatur, haud ſemel adoptato ſymbolo declararet? An verò lingua ignea defuit, qualis procuſa fuit Apoſtolis, *ut ignea verba loquerentur*? Quoties ardore ſpectabili inflammatus Saleſius eſt; nec linguam tantùm ardentem, ſed multò vehementiùs cor incenſum accepit! Teſtis ignea columna, quæ animum ab Evangelicis laboribus aliquando colligenti adfuit; ut ipſum ab architecta vivi æternique templi, Sapientiâ, ſic tanquam ſublimem, ſplendidam, nulloque concuſſu labefactandam auguſtiſſimæ molis columnam, erectum excitatumque deſignaret. Teſtis flammeus globus, qui cœlo demiſſus incumbentem precibus Saleſium, ſuaviſſimis ignibus, non modò innoxiis circumfudit; ut pium orbis terrarum incendiarium, amoris divini libros commentantem opportuno inſtrueret ſubſidio, & auſpicato prodigio meritiſſimum illuſtraret. Teſtis illa radiorum ex adverſo Chriſti de Cruce pendentis ſimulacro in concionantis vultum emiſſio; cùm ſuſpenſis admiratione auditoribus, totus è corpore Saleſii animus emineret, præſens atque intimus toto dicentis ore Deus emicaret. Theorhetorem intuebatur, poſteaquam divinitus egerat, inhumaniſſime patientem; è purpurato ſuggeſtu non delectationi ſervientem aurium, ſed acerbiſſimis doloribus ſaluti conſulentem animorum; brevi efficacique omnia docentem ſermone, & ſaxa ipſa non clamore magis quàm ſilentio commoventem.

Bernard. de Pentec.

Hæc cùm ſpectaret animo; cùm oculis quos acuebat fides, uſurparet Saleſius: nimirum exardeſcebat in Deum amore incredibili: ſic autem Dei capitalem hoſtem unicè deteſtabatur, ut nefario illi tyranno mancipatos homines æſtuanti infinitaque caritate quæreret, ambiret, prenſaret, diligentiſſimus ac ſolertiſſimus captator animarum; quaſi deſertores ac transfugas in caſtra obſequiumque Imperatoris Optimi Ma-

ximi revocaret. Quibus ille blanditiis publicè privatimque in aures animoſque influebat,ut ipſa orationem finxiſſe gratia videretur ! quid illo amœnius ingenio? quid ubertate melleâ eloquentiæ beatius? Apis Gallica, itidem ut Bernardus, jure appelletur, quæ acerbitatis ſenſu nullo, aculeum tamen infigat mentibus acrem pariter & ſalutarem. Puriſſimo fonti ſimillimum dicas, qualem ſacræ loquuntur litteræ; qui mox in amnem excreverit adeo lucidum, ut converſus in ſolem videretur, ac radiis potiùs quàm aquis redundare.

Eſther. c. 11.

Nec verò præclariſſimus Antiſtes celeritatem magis primarii ſideris,quàm benignitatem exhibuit. Taurinos, Allobrogas, Salyos, Seguſios, Lugdunenſes, Burgundos, Delphinates,Pariſios indefeſſis excoluit laboribus; ita populoſàs & Regias pervagatus urbes, ut oppida tenuiſſima non aſpernaretur; ſic Principes aulicamque coronam affàtus, ut infimam plebem ruſticamque ſolitudinem oratione creberrimâ dignaretur. Etſi (poſt illa expeditionis Apoſtolicæ primordia, quibus incredibilem exprompſit patientiam imbuendâ Antuatum Orthodoxorum paucitate) nullus erat Saleſio dicente infrequens locus; cùm verus hic Gallicus Hercules aureis quibuſdam facundiæ catenis homines traheret; aut potius, concionatoris inſtar cælo delapſi, nec fabuloſi eloquentiæ ſcientiarumque omnium Numinis, multitudinem blandiſſimâ caritatis vi captam devinctamque in deſerta loca raperet ad dena auditorum millia: neque multitudinem ſolum plebeiam, ſed ipſos Dynaſtas, Palatinumque comitatum, excuſſis aliis deliciis negotiiſque, alliceret in pagos; in campum, in pulverem, in ſolem educeret. Non capiebat tantos animos Annecium; non Sabaudia tota: non Italia, non Gallia univerſa. Excurrebat Apoſtolici viri ſpiritus in Chriſtianas omnes gentes; & quò viva pervenire vox non poterat, eò literarum monimentis adſpirabat. Pervaſit enimvero

Quater-millies concionem ſacram habuiſſe dicitur.

Christianum orbem, actuosissimique otii fructum in omnem partem disseminavit.

Ecquis vestrum, Auditores, *Theotimum* ignorat, librum Amoris ipsius manu ingenioque scriptum; itaque expresso doctrinarum succo saturum, ut quatuordecim omnino lineas, ducentarum supra millenas ingentium paginarum lectione sibi stetisse asseverarit is, quo nemo facti locupletior testis esse potuit? Nam quid ego de *Philothea* dicam (ut alios sileam libros, & multitudine innumerabiles, & dignitate singulares) aut quo satis elogio divinam illam ad pie sancteque vivendum Isagogen prosequar? quem libellum Henricus Magnus laudibus in cœlum extulit; quem Maria Medicea Regina Christianissima, xeniorum nomine, Magnæ Britanniæ Regi obtulit; quem hic, licet ab sacris nostris alienus Princeps, longè omnibus suorum omnium scriptis anteposuit; autorisque cernendi cupiditate flagrans, viri sapientiam sanctimoniamque non sine stupore prædicabat.

Et jure quidem, ac meritò. Virtutem enim multi, non modò inimici, sed etiam asseclæ inconsulti, duram, intractabilem, ferream; denique monstri nescio quid simile finxerant, quod amores ita non excitaret sui, ut horrorem potius incuteret. Itaque vulgò in Eremum, in asceteria virtus relegabatur: nullum illi cum Aula commercium, nullam cum populari vita societatem jungi posse temere jactabatur. Non tulit falsam hanc importunamque speciem Salesius. Virtutem non fucatam, sed sinceram; non umbratilem, sed solidam; non inhumanam, sed civilem ac parabilem, qualis est reapse, produxit: suosque illi, formidolosa austeritate detracta, lepores, suas illecebras, quibus omnes conciliare debeat, felicissime restituit. Quibus ille prudentium omnium studiis acceptus liber est! quo plausu celebratus! cunctarum fermè Christianarum gentium sermone ex-

pressus, id auctori suo præstitit, ut Deum Opt. Max. tot simul linguis ubique collaudet; ubique ipse, communis institutor populorum instauratorque pietatis, in ore, in manibus, in oculis versetur.

Sic linguâ calamoque docuit; sic pie frugifereque delectavit; sic, quod caput est, permovit Orator verè palmaris. Atque ut intelligatis, Auditores, quàm commodè lumen illud Galliæ, fulmen Ecclesiæ, Cardinalis Perronius, qui heterodoxos consideret sponderetque à se vincendos disputatione ac profligandos; eosdem ad Genevensem Antistitem mitteret persuadendos: attendite, quantum hic voce scriptisque fuerit consecutus; quantam hæresi stragem ac vastitatem importarit. Septuagena (rem pro istiusmodi hominum contumaciâ pænè incredibilem) septuagena hominum millia ad Catholicam traduxit fidem: plus undena ipse millia recepit, in iisque viros illustres* plurimos, nec paucos erroris antesignanos; qui eo præside ac susceptore prava dogmata ejurare voluerunt, cujus operâ veritatis lucem abstersis Dæmonum tenebris aspexerant.

* Ducem Lesdiguerium &c.

Numerent profani duces concisos exercitus, populatas urbes, desolatas regiones, ac generis humani exitio triumphantes insolescant. Salesius non clade, sed salute mortalium exultat; gentes non imperio suo, sed suavissimo Christi jugo subditas gratulatur. Ac si Capitolini coronas civicas sex, Sicinij Dentati quatuordecim ambitiosè ostentat antiquitas; quam, Deus immortalis, vim coronarum Salesio debent non homines singuli, sed populi ab teterrima immanissimaque servitute in dulcissimam tutissimamque libertatem asserti; ab corporis animique interitu sempiterno in beatæ jura æternitatis vindicati? *Tantam*, ut ajebat Tullianus Antonius, *vim habet illa, quæ rectè dicta est Flexanima omnium Regina rerum Oratio, ut non modò inclinantem erigere, aut stantem inclinare, sed etiam adversantem &*

repugnantem, ut Imper.tor bonus ac fortis, capere possit. Disertissimi viri sententiam, Salesij victrix eloquentia comprobavit.

Atenim facundiam nolite, Auditores, eam tantùm cogitare, quæ dictione aut scriptione continetur : alia quædam est, multoque efficacior corporis eloquentia, non tam in pronunciatione sita, atque illa quæ vulgò ab Rhetoribus appellatur, actione ; quàm in conformatione vitæ operumque præstantia. Orator est Salesius, in quo nullum cordis, atque linguæ dissidium, sed mira cum utroque manûs consensio. præcepta factis confirmat: sapientiæ fideique oraculis virtutum omnium adiicit miracula Orator Actorque planè cælestis.

Videor mihi, Auditores in amplum quoddam induci magnificumque atrium, signis undique pulcherrimis convestitum atque exornatum ; quæ artis ingenio & pretio materiæ admiranda omnia ; sed & varietate marmorum & sculptoris operâ dissimili magis quàm dispari, & propriâ formæ cujusque majestate aspectabilia, sic oculos pascant atque oblectent, ut splendidâ simul copiâ specieque confundant. Talem se mihi offert Salesij vita, rerum præclarè gestarum numerone, an dignitate insignior ? Errat distractus animus, & certantium inter se meritorum admirabilitate suspenditur. Sanctissimam vitæ privatæ disciplinam exequar ? quæ licet in umbra & recessu, effert se tamen atque elucet suavissimè. At publici muneris virtus rapit ad sese oculos, non major, sed illustrior. De lenitate dicam, quæ fellis humorem, ut in dissecto corpore apparuit, penitus consumpserat ; neque veniam modò, sed & gratiã & beneficiũ injuriis rependere gestiebat ? At validissima in tuendis Ecclesiæ juribus, refellendis infringendisq; sceleratis cõstantia orationẽ sibi vendicat.

Mirer agentem, quatenus res divina posceret, in Palatiis Principum, Aulicum assentationis expertem, im-

motum calumniâ, pietatis magiſtrum, præconem veritatis? Avocat me ſtrenui Paſtoris laborioſiſſima diligentia, pedibus caulas myſticas obeuntis; per invia montium juga, per abruptas cautes, per acervos nivium, per lapſus horrendos torrentium enitentis, venatoris aucupiſque animarum. Opum, dignitatum, honorum, ab Henrico IV. virtutum Saleſiarum æſtimatore magnifico, multiſque Galliæ Proceribus oblatorum deſpicientiam prædicem? Occurrit in egenos homines, in loca ſacra, tam effuſa liberalitas, ut dignam opulentiſſimis Præſulibus munificentiam exhiberet. Menſæ, veſtium, familiæ totius modeſtia ſumma & priſcis Eccleſiæ temporibus conſentanea, quamvis tenuem cenſum, pios in uſus copioſum reddebat. Nunquam ille ſuſtinuit Genevenſi Eccleſiæ, quamlibet afflictæ, ſpoliatæ, dote caſſæ, tanquam libellum repudij dare. Et cùm deſignatum ſe ab Leone XI. Cardinalem audiſſet; ego verò, inquit, non aliter veſtem hanc, quàm meo ſanguine purpuraſcere velim; felix ſi morte meâ repræſentari vita ſaluſque Calvinianis erronibus potuerit. Quid agam igitur, Auditores, tot virtutum, tot eximiè factorum impar encomiis? Duo ad ſpecimen explicanda è tanta rerum ſerie prorſus heroïca facinora decerpo.

Scitum illud eſt, Auditores, Prodici commentum Xenophonteis intextum libris, de Hercule, cùm primùm pubeſceret, in ſolitudinem egreſſo, ut remotis arbitris ſecum ipſe deliberaret, quam potiſſimùm in illo flexu ætatis ſequeretur viam. Atque hinc Virtutem, illinc Voluptatem obviam factam adoleſcenti, certatim ad ſe utramque tenerum animum invitaſſe; Virtutem aperto laborum ad gloriam curriculo; Voluptatem molliſſima propoſita via, quàm inertibus, otioſiſque circumfluens deliciis ambularet. Non ita Saleſius, cui nunquàm in deliberationem vocatum fuiſſe videtur, utram ſe in partem daret. Non pependit animo, non fluctuavit beatiſ-

ſimus Adoleſcens ; qui naturæ ipſius bonitate , ſeu potius dono providentiæ ſimul in vitam atque virtutis viam ingreſſus appareat.

Sed eâ viâ cum ingentes faceret proceſſus ; ecce tibi è tranſverſo blandiſſima juvenum conciliatricula Voluptas, quæ inſtitutum abrumpat iter , ſuamque in poteſtatem incautum transferat, quò dulcior, eò periculoſior domina. Quibus verò lenociniis nec opinantem adorta eſt ! quas adhibuit machinas, conſtantiam ut labefactaret ! Audite peſtiferæ graſſationis genus , Academici Juvenes ; & crimine ab uno inſidias pudicitiæ ſalutique veſtræ paratas cognoſcite.

Quanquam Saleſij conſuetudine nihil fieri poterat ſuavius, cùm eſſet ad unguem factus omnique urbanitatis cultu perpolitus; gravis erat ille tamen Academiæ Patavinæ perditis adoleſcentibus nonnullis , quibus impudentiam Juvenis caſtiſſimi ac modeſtiſſimi pudor tacitus exprobrabat. Statuunt itaque , ut moleſti deinceps cenſoris notam effugiant, hominem in licentiæ ſocietatem pertrahere diſſimulanter (neque enim ipſa tam probum Adoleſcentem impudentia palam eſſet auſa interpellare de flagitio) animum minimè ſuſpicacem, atque ex ſe de aliis æſtimantem,facilè in fraudem induci, facilè objectâ peccandi illecebrâ ineſcari capique poſſe. Non illi pectus marmoreum , quod ignem ſubjectis ardentibus tædis non-conciperet : nec Samſone fortiorem , nec ſanctiorem Davide , nec Salomone ſapientiorem;hominem porrò,non Angelum concretione liberum corporeâ , Saleſium : invictum hactenus , quem nullus attentaſſet hoſtis ; ceſſurum , ſi oppugnaretur. O conſortia hominum lubrica , ſæviorem que capitalibus odiis amicitiam , quæ ſocios expetat vitiorum; & pignus exigat fidei,conſcientiam delicti ! Hem, Saleſi ! Tune etiam in funeſtos illos ſodales incidiſti ? ne tu quidem, tam erecto atque excitato, tam vigili at-

que omnia circumſpectante animo laqueos illos & plagas declinare potuiſti? Sed nullæ ſplendori tuo allini ſordes, nullæ adhæreſcere labes potuerunt. Nec cœno lux inquinatur; nec virtus alienis unquam maculis obſoleſcit.

Laborat oratio, Auditores, in locum invecta difficilem ac ſcopuloſum; cùm neque invictiſſimo Juveni debitum laudis teſtimonium obruere ſilentio, nec ſatis amplè diſtinctéque factum exequi præ verecundia liceat. Rem præcido, quæ nullâ pro merito commendari eloquentiâ poſſit. Perducitur in libidinum diverſorium, quam doctrinæ officinam rebatur Saleſius: ubi fœmina matronali habitu compoſita, ut ſcenæ ſerviat, excepit nimium familiarem catervam, ſermonemque miſcere cœpit cum ignaro fabulæ totius hoſpite. Senſim dilabi comites, ut opportunitatem præbeant nequitiæ; Saleſium, ut exiſtimant, jam irretitum, atque inexplicabili hærentem nexu deſerere. Tunc enimverò, poſitâ illâ modeſtiæ perſonâ & pudoris fuco detracto, cùm omnes libidinis faces admoveret impudiciſſima mulier; quid ageret proditus Juvenis & circumcluſus? quâ vi, quâ induſtriâ nefariis reſiſteret hoſtibus, vim propemodum innocentiæ afferentibus? Fuit, fuit is animus Saleſij, quem neque inteſtini corruptelarũ ſtimuli ad flagitium incitarent, neque externæ flagranteſque blanditiæ emollirent.

Ea demum perfecta virtus eſt, ſi Philoſopho credimus, quæ tam altas egit radices, nullo ut turbine commoveatur, ſed pacatè atque expeditè ſuis partibus officiiſque defungatur. Ecquid intelligere libet, Auditores, quàm levi ac nullo ferè negotio tam inſperatum, tam horribilem aſſultum exceperit propulſaritque Saleſius? Sputo in os famoſæ conjecto per ludibrium explicuit ſe præſentiſſimo irreparabilis jacturæ periculo. Nec ſanè dubitaſſet linguam ipſam, ut olim Nicetas, dentibus

amputatam in vultum formæ præfidentem, impudentiâ deformem expuere, ſi aliter extricare vincula illa nodoſque fœdiſſimos non licuiſſet. Sed nimirum plecti contemptu proterviam decuit, & tam expeditâ victoriâ rubor flagitioſæ fuit impudentiæ accerſendus. Nihil ergo aliud egiſtis, inſidiatores, proditoreſque turpiſſimi; nihil eſtis aſſecuti, niſi ut heroïcam Saleſij conſtantiam probaretis experientiâ, oppugnatione firmaretis.

I, Victor fortiſſime ac ſapientiſſime! Caſtimoniam inviolabili voto obſignatam; Magnæ Virginis, cui te tuaque conſecraſti omnia, præſidio illæſam clarioremque ex illo circumfrementium libidinum incendio refer. Dum evolantem è ſuis caſtris inſano clamore Venus illa jam in furiam converſa inſectatur; ſpectatores periculoſiſſimi certaminis ac defenſores Cœlites plauſu te cantuque triumphali proſequuntur. Tu illo, quem tanquam Africanum inter Deos Lactantius appellat, Hercule major; cùm is citò ab inita Virtutis via deflexerit, poſt ſublatos Tyrannos factus imperioſiſſimæ mulierculæ mancipium viliſſimum. At voluptatibus ita non ceſſiſti, ut, partâ de iſtis ſemel iterumque nobiliſſimâ victoriâ, piam in te ſævitiem exprompſeris; corpus virgineum voluntariis afflictationibus, graviſſimo inde contracto morbo, prope confeceris; ſive ut alieni flagitii pœnam dolore tuo perſolveres; ſive ut fractis domeſtici perturbatoris viribus, fortior in externum hoſtem prodires, corruptâque importunæ formæ elegantiâ, non modò arma, ſed etiam laceſſendi tui voluntatem omnemque belli materiem præriperes.

De falſa Relig: c. 9.

Laudetur ſanè ſuo merito, ac ſeculorum omnium gentiumque prædicatione celebretur ſanctiſſimus Juvenis, & animi pudore quàm oris decore ſpecioſior, qui *adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, comprehenſus aufugit*; veſtem in adulteræ manibus quaſi contagio infectam reliquit, ut anſam excuteret flagitij.

Ambroſ. de Joſeph Patriarcha. c. 5.

Tua, Salesi, victoria Josephi laureâ, si fas est dicere, magnificentior. Hic, non servitute magis, quàm beneficiis hero obstrictus, & perfidiæ labem horruit, & pœnas metuere acerbissimas potuit. Tu nullo rerum humanarum obice impeditus, cùm & solitudo faveret securior, & majores adessent quàm ab Ægyptia illecebræ; unius beneficentissimi Domini reverentia sceleratam impurissimi gregis conspirationem discussisti. Fugâ Josephus victor evasit, spolio sui relicto ne captus teneretur: Tu non inultus è pugna te recipiens, victoriæ tuæ notam in cerussato vultu, quem dignissimo affeceras opprobrio, defixisti. Illum calumniâ procax mulier appetiit, & innocentissimo famulo, qui non libidini serviret, sed egregiè sibimet constanterque imperaret, meditatum adornatumque ab ipsa flagitium imposuit, ac doloris ex repulsa sensum contemptoris malo leniit. Te ne suspicio quidem afflare ausa est: bacchantis fœminæ convitium, integritatis fuit tuæ palmariique facti præconium.

Inconcussus igitur esse Salesius non potuit, Auditores, invictus esse potuit. Sed hactenus Christi militem egit excipiendis hostium impressionibus, eludendis stratagematis exercitatum: age nunc, partem aliquam expendamus laborum, quos exantlavit infinitos, arma hostibus inferendo. Et ille quidem jam inde à prima ætate ad extremum vitæ spiritum acerrimè cum vitiis & ubique conflixit, nullas cum Tyranno Tartareo ejusque satellitibus pactus inducias, semper in eorum cladem intentus atque imminens. Quot eorum copias cecidit! quot fugavit duces! quot arces diruit! quot adversa propugnacula excitavit! Non plures ille peragravit passibus quam victoriis illustravit regiones: nec bello tantùm, sed singulis omnino præliis superior, ac vix unquam sine præda spoliisque discessit. Verùm hìc ego non percensenda Herois mei gesta sumpsi, vesti-

giaque omnia consectanda. sacræ unius expeditionis limitibus, quod reliquum est orationis, circunscribam; laboriosæ profectò Apostolicisque viribus & animis dignissimæ expeditionis, quam summi Pontificis auspicio suscepit in hæreticos Genevæ circumjectos. Caballiacũ dico, Tenerium aliosque infelices tractus, quos Bernenses Helvetii cùm armis quondam occupassent, non Sabaudiæ magis Duci, quàm summo cœli terræque Principi Christo abstulerant.

O spectaculum acerbum tibi, Francisce, & luctuosum, cùm cerneres passim antiquissimæ religionis prostrata, disjecta, conculcata monimenta! non templum, non aram ad obeunda sacra inviolatam, ac nullum orthodoxæ pietatis, præterquàm in ruinis vestigium. Quo tu animo situm ac squallorem deformium locorum repurgare instituis! quâ constantiâ onus Alpium mole gravius sustines! quâ alacritate molestias omnes exhauris; frustra interponente se, ne asperrimam adires provinciam, cum lacrymis patre; frustra ex isto laborum cursu, cùm tuis exanimaretur periculis, revocante! Nec tu es ille ferreus, qui senis optimi atque amantissimi mœrore non movearis: sed manu semel ad opus expedita, pedem aut oculos referre non patitur divini regni suscepta instauratio. Sensûs humani mollitiam tenerior multò sanctiorque obtundit charitas, ne diutius calamitosissimam gentem jacere in tenebris, & quasi errabundum sine pastore gregem à latronibus, à feris diripi sinas & laniari. Atenim quid miserius suas non agnoscentibus miserias? quid ægris desperatius in medicum insanientibus? ita dementati Caballiaci erant finitimique populi, cùm opportuna publicis malis remedia Salesius attulit: oculis auribusque salutem oblatam respuebant.

Magnum certamen, Auditores, benignitatis cum atrocitate, Religionis cum hæresi, patientiæ cum furore,

ſanctitatis denique cum omni vitiorum genere! ſeptennium ipſum tenuit ea contentio; & laboris fructum ſi ſpectas, ſeculum enumeres. Unicum primis temporibus Saleſio fuit receptaculum arx Alligenſis, unde multa quotidie paſſuum millia conficiebat pedes, litandi gratiâ: hoc eſt, plurimis, ad unum in urbe Thonone peragendum ſacrum, ſuimet præmiſſis ſacrificiis veniebat. Quoties inter Alpinas nives tendenti, veſtigia rupto, quem penetrabili frigoris vi contraxerant, tumore cruenta rubuerunt! quoties in caſa, in maceria, ſub arbore, ſub dio per ſæviſſimam hiemem pernoctavit! quamdiu, effractis dejectiſque torrentis fluvij pontibus, per trajectitiam tabulam obducta glacie lubricantem manibus genibuſque obnixus perreptavit; non ſine horrore vel Hæreticorum, vitam hominis è tenui malignoque ponticulo pendentem, atque in apertiſſimum diſcrimen projectam intuentium!

Quid, cùm avidiſſimè caput ſuum pro lue peſtifera contactis devovit? quid cùm in medios armatorum globos ſe immiſit impavidus, ut ad ſolita Religionis officia progrederetur? Fremebant omnia ſeditionibus; unus omnium vocibus ad necem tanquam fœdifragus paciſque turbator depoſcebatur; objectis telis iter ad templum obſtruebatur: pergit nihilominus eodem vultu Saleſius, Deoque fretus duce, inter conferta perduellium agmina ruinas templorum excitat; aras inſtruit, cruces erigit, ſacris operatur. Tantam, credo, animi firmitatem aptiſſimo ſymbolo exprimere voluit Allobrogum regia Princeps Chriſtina, quæ Præſulem ſibi eximiè cultum, ſacriſque largitionibus conſultiſſimè præfectum, adamante inſigni donavit. Sed adamantina vis erat animi; corpus fragile morbiſque obnoxium, quos graviſſimos & tantùm non letales immenſis laboribus collegit, nec minori tolerantiæ laude ſuperavit.

Parum

Parum tamen Saleſio fuit, fines hoſtium pietatis incurrere: caput ipſum rebellionis ſacrilegæ petebat; opima ſpolia è Duce Heterodoxorum ambiebat. Genevam ergo, arcem illam impietatis, flagitiorum omnium aſylum, Calvinianæ Sectæ Metropolim aggreditur; Primipilos vocat ad legitimam concertationem: & cum elicere caſtris latentes non poſſit, in hoſtilia munimenta impetum facit; privatis congreſſibus fundit fugatque obvios; captivos abducit, ſeu potius Chriſti libertos: Bezam ipſum, perfidiæ coryphæum, ſcriptis factiſque procaciſſimis infamem, ter quaterve adortus, ſic perturbat, ſic implicat, ut vocem extorqueat conſcientiæ indicem, teſtem veritatis. Nec deſtitit blanda vi, officioſiſſimaque pertinacia labem illam ac peſtem perurgere; quoad intellexit improbiſſimi deſertoris obduratam longo uſu flagitiorum obſtinatamque pereundi voluntatem, ut homo ad multorum perniciem fatalis, ſuâ ſe ipſe demum ſalute fraudaret, qui toties alienam evertiſſet.

Liceat hîc tecum agere liberiùs, Saleſi, ac de prudentia tua quærere, ſatiſne provide in ſinum urbis inimiciſſimæ aut irrepſeris aut irruperis? Túne illud ſcelerum gurguſtium ingredi? Tu os illud Bezæ ferreum aſpicere & laceſſere auſus es? Tu Principis Tartarei adminiſtrum primarium ad ea, quæ turpiſſima defectione reliquerat, Eccleſiæ ſigna revocare? nec timuiſti piis omnibus infeſtiſſimæ civitatis furorem, cùm graviſſimam nationi Calvinianæ ſecurim infligeres? columen illud partium, & quaſi Atlantem Genevæ labefactares? cùm prædas non ſolùm è finitima circumquaque regione ageres, ſed ex ipſo urbis gremio averteres? ſectarios & ſigniferos abduceres? occultos aliquot Orthodoxos myſteriis procurares? An eluſurum te hominum oculos ſperaſti, Genevenſibus frequenti ſua clade nimis cognitus? Túne etiam, cùm profectionem rei Catholi-

cæ perutilem exundans Rhodanus intercluderet; tu per mediam Genevam iter habiturus, ubi nomen ad portas edere pro more jussus es, *Episcopum* te *diœcesis* indicare non dubitasti? atqui tutius Rhodano effusis late undis sævienti, quàm colluvioni scelerum Genevensi credideris. Utrùm te, Francisce, amoris, quo gregem efferatum deperibas, incensa vis; an hostes divinæ miraculum providentiæ occæcavit? illius adeò Providentiæ fiducia impulsus, ope subnixus, ab iis emissus es incolumis, qui deinde stupori suo indignantes, ferocissimè jactarunt, audaciam tibi istam, si fuisses deprehensus, capite luendam. Vitæ scilicet, quam factionis suæ funus numerabant, pepercissent, qui venenum tibi aliquando miscuerint; à quo tu exitiali poculo, non nisi certissimo Deiparæ subsidio convaluisti. Quid Genevæ non fecisset immanissima bellua Hæresis, rebus à te sanctissime gestis exasperata, ut damna ignominiamque suam tuo cruciatu solaretur; quæ percussores ante adornasset immisissetque in absentem?

His periculis non terrebatur Salesius, Auditores, qui vitam libens sanguinemque iis ipsis, à quibus petebatur, impendisset: & verò tormenta in ea causa pro beneficiis suscepisset. Id certè adeptus est, ut maximâ finium parte multaret Hæresim, velut pomœrio nudatum hostem in arcem intimam compingeret; per Lemanum lacum explicatis salutaribus signis festo cum cantu pompam ad D. Claudij duceret triumphalem: in ipso Genevæ aditu ac faucibus crucis trophæum defigeret. Jam victoriarum innumerabilium censum quendam inij, cùm hominum septuagena millia retuli ad Romanam fidem aggregata. Hoc unum, ne cui fortè liberalius agere videar, addidero; tractum ad Genevam sanè amplum ac plus sexaginta distinctum pagis & oppidis, ita expiasse trienni labore unum Salesium, ut centum omnino Calvinianos relinqueret discedens, ubi centum

omnino Catholicos adveniens reperiſſet. Quâ ille rerum commutatione, felicius multò quàm crebritate miraculorum, Neocæſarienſem * Antiſtitem expreſſit; eâ quidem parte ſuperior, quod breviori longè tempore majorem, quàm celebratiſſimus ille Thaumaturgus, regionem Chriſto ſubjunxerit.

* D. Gregorium Thaumat.

Quare Saleſij virtutes alias alij, longamque præclarè factorum ſeriem oratione perſequantur: conflata Virorum auguſtiſſimo Crucis Labaro addictorum ſodalitia commemorent; ſacrarum Cœleſti Reginæ Mariæ, ad Eliſabetham inviſenti, Virginum inſtituta religioſa prædicent; miracula inclyta, honoreſq; paſſim & vivo & mortuo habitos extollant. mihi ego Saleſij laudes univerſas collegiſſe videor uno tam multiplicis victoriæ compendio, cumulateque *potentem opere ac ſermone*, Oratorem Actoremque divinum comprobaſſe.

Te nunc appello, Vir Beatiſſime, cui pro benignitate iſta ſingulari probatum hoc meum ſtudium non diffido; collatiſque in Rempublicam Chriſtianam, in Societatem noſtram officiis & plurimis & maximis pro mea parte reſpondendi voluntatem. Tu Cœlitum cliens non factus, ſed natus es; à parente, pia nobilique matrona, Chriſto Virginique jam inde ab utero conſecratus. Naſci * properatò viſus es, quò citiùs è primigenij concretique peccati ſordibus emergeres. Naturam Gratiamque amiciſſimo fœdere nexuiſti, utriuſque donis ornatiſſimus; ut neque illa Gratiæ obluctaretur, neque hæc vitiis exuendam haberet Naturam, ſed virtutum acceſſione divinarum cumulandam. Franciam Sabaudiamque ita meritis devinxiſti tuis, ut de te certet utraque: & natales quidem generoſiſſimos ortumque Sabaudia vindicet, morte verò ſanctiſſimâ Francia glorietur.

* Septimeſtris

Si lectiſſimos viros deſignare prodigiis ſolet rerum ſapientiſſimus Moderator; magnus à prima uſque pue-

ritia Angelo Justiniano, Genevensi tunc Episcopo; illuxisti; dum te aliptes mysticus *confirmatione*, ut vocant, sacrum Athletam & militem autoraret; jamtum extiturum aliquando temporis tui miraculum augurato. Quantus verò in amplissimo Christiani orbis theatro apparuisti, cùm te Clemens VIII. Pontifex non tam ad solenne Præsulum examen, quàm ad probatissimæ vitæ doctrinæque gratulationem ac plausum vocavit! Quantis in Belgio lætitiis, quo triumphi apparatu exceptus, Pacis Angelus, Principum Arbiter, populorum Conciliator, Philippi III. Regis Catholici Albertique Archiducis cum sanctiori Sequanorum ordine controversiam, Romani* Patris nomine & autoritate diremisti! Nunquam imago animi veriùs appellata oratio, quàm ore calamoque tuo profecta, quæ suavitatem unicè spiraret, purissimis cœli deliciis perfusa & delibuta; placidissimæ vultûs majestati, atque interritæ formidolosissimis locis ac temporibus constantiæ adjuncta, sicariorum in caput tuum strictis gladiis involantium furias deliniret, facinorosas manus exarmaret; & quæ jugulum petebant, ad genua supplices abjiceret.

* Pauli V.

Non tu intento digito viam indicasti pietatis; sed aliis apertum curriculum dux ipse grandibus impressisti vestigiis: sanctimoniæ præcepta è propriis hausisti moribus: ore vitaque spectabilem amabilemque Virtutem expressisti. Quis *verba vitæ* (ut hoc è sacris usurpem litteris) quis *verba vitæ* habuisse, atque in cœlo vim obtinere immortalem negarit eum, cujus *mortuum prophetet corpus* geminis excitatis funeribus? Sed plures quotidie, graviorique morte oppressos ad vitam revocas æternis laudatissimorum librorum exemplorumque monimentis.

Respice, Antistes Sanctissime ac Beatissime, respice Genevenses illos quondam tuos, etsi curis laboribusque tuis ingratissimos. Qui unâ vicorum alii

quot lustratione tyrannos octoginta tortoresque infernos occupatis insessisque corporibus ejecisti; Hæresimne suâ illâ arce deturbare atque exterminare minùs poteris? Magnam certè spem, rerumque expectationem futurarum suggerit recens illa tot exe-cratorum in Gexensi regione fanorum uno Regis Christianissimi jussu strages edita: spondetque fore aliquando, ut prisca ubique sinceraque religio non revirescat modò, sed etiam floreat auspicio tuo; A-deodati, Victoris, Pacifici, semper-Augusti Principis imperio: & quæ agentem in terris Oratorem Geneva parum audiit, audiat è cœlesti suggestu magnificentiùs perorantem.

Dictus AN. M. DC. LXII.



IN DIVAM RADEGUNDEM FRANCIÆ REGINAM, REGUM PATRONAM, PANEGYRICUS

AUGUSTORITI PICTONUM HABITUS AN. M. DC. LXIII.

SANCTUM fuiſſe Gallis Regium nomen jam inde à priſcis illis barbariſque temporibus, & ipſo naturæ ductu gentiſque genio impensè cultum accepimus, Auditores Ornatiſſimi. Nimirum illuſtri quadam ſpectabilique notâ divinitatis & mutuato quaſi radio dignitas regalis inſignitur : atque in vitioſis etiam Principibus extat eminetque tamen aliquid quod ſuſpiciatur ac pæne adoretur. Ubi verò excellens admirabiliſque ſpecies virtutis cum ſplendore fortunæ conjuncta eſt; nec juſtâ modò legitimaque poteſtate ſummi Numinis adumbratam imaginem, ſed eximiæ ſanctitatis abſolutione expreſſum vivumque ac ſpirans Dei ſimulacrum intuemur : jam non profano tantùm & politico, ſed auguſtiori planeque cœleſti honore faſtigium illud veneramur.

Talem ego venerationi veſtræ materiem propono, Auditores; Reginam, cui ſe Ludovicus ipſe Regum Maximus, Chriſtianiſſimæque Reginæ ſupplices abjiciunt; Heroïnam virtute; Pictavienſium, commoratione civem, patrocinio Tutelarem, Radegundem, credo, veſtram intelligitis, regio quem calcavit, apice ſuperiorem; inexhauſtâ mirâque beneficiorum perennitate in Principes ac populos quos communi clientelâ

complexa eſt, aſſiduè profluentem. Quid ergo aut loco temporique congruentius, aut mihi ad dicendum illuſtrius, vobis ad audiendum jucundius exquiram? Cùm Regiæ pietatis & magnificentiæ crebra recentiaque monimenta videam ad Sanctiſſimæ Reginæ cultum defixa & conſecrata; cui ſe potiùs quàm Regum Patronæ addicat, cui ſerviat glorioſiùs ea quæ à veteri laudatoque ſcriptore appellata eſt *omnium Regina rerum Oratio?* Cùmque urbs hæc florentiſſima, non veſtigiis modò impreſſâ conſignataque ſit religioſiſſimæ ac beatiſſimæ Principis; ſed ipſa divinæ illius opis tutelæque ſolidum ampliſſimumque ſtet monimentum: veniant in partem pii gratique animi litteræ noſtræ Scholæque Regiæ; & cui Rex Adeodatus ſoſpitatem refert acceptam, præconium aliquando in ſolenni clariſſimáque iſtâ Panegyri perſolvant.

Atenim, quoniam & ab inopia temporis & ab ingenii tenuitate laborat oratio; veſtrum erit, Audit. quod ex utraque parte deficit, humanitatis ſubſidio atque ipſius commendatione argumenti ſupplere. Neque ego facilitatem iſtam pluribus evocabo aut eblandiar operoſiùs, ne videar aut veſtræ in munificentiſſimam Patronam pietati diffidere; aut parum memor perſpectæ jam erga me, probatæque benignitatis. Ac ne infinitus ſim, Reginæ ſanctiſſimæ virtutes ſi pertexam, quarum eſt concentus omnium admirabilis, incredibilis excellentia ſingularum: unâ Excelſitate animi, quo ſe Radegundis in cœlum extulit; & Beneficentiâ, quâ publica & privata hodieque ſublevat incommoda; duabus maximè regiis dotibus, quidquid eſt hoc Panegyricæ orationis, circumſcribam.

Vetus eſt ille quidem ac longè latéque diſſipatus error, in armis unicè verſari fortitudinem, in caſtris atque in campo totam animi magnitudinem ſpectari. Nihil videlicet acuti ſapienteſque rerum exiſtimatores

magnum judicant, nisi quod insanis viribus & arte gladiatoriâ gestum sit; nihil splendidum, quod ferro non effulgeat; nihil pleno ore laudandum, nisi quod tubarum tormentorumque strepitu sit permixtum. Laureas non amant, nisi cruento pulvere sordidatas; trophæa fumantibus ruinis urbium excitant; hominis denique præstantiam immanitate belluæ metiuntur. Sic iidem, ni fallor, minaces funestosque cometas placido salubrique siderum nitori; montes eruptione flammarum & subjectarum vastitate regionum infames, collibus opacarum arborum proceritate, limpidorum fontium irrigatione, omnique florum suavitate amœnissimis anteponunt. Sed age, concedamus sanè universam in re bellicâ fortitudinem & magnanimitatem occupari. Hoc tu mihi tamen fatearis vicissim, necesse est, aliud esse quoddam multoque periculosius & difficilius belli genus, in quo se Radegundis exercuit; alios hostes, quàm qui oculis usurpentur, aut manum pedemque conferant: arma telaque ab iis quæ ferro aut ære procudantur, longè diversa. Sexum audaciâ magis quàm habitu dissimularit Semiramis; Imperatricem in acie perinde atque in aulâ gesserit; eò demum expeditione felicissimâ pervenerit, quò vix adspirare postea Magnus potuit Alexander. At illa multarum gentium victrix fœdissimæ cessit libidini, externaque decora domestico probro maculavit, ac penitus obruit. Radegundis non Semiramidem, non Tomyrim, non Zenobiam, non Amazonum Reginas æmulata, bellum armis cœlestibus instructa suscepit, quo sanguinem funderet suum, non alienum; quo non prædam adspectabilem referret, non manubias & opima spolia; sed proprio se splendore ac regno spoliaret.

Militiæ nati sumus, Auditores, quotquot in hanc lucem editi susceptique sumus: in præliarem nos campum Deus induxit, simul atque in orbem terrarum emisit.

Quibus autem adversariis, vel potiùs quàm immanibus monstris objecti sumus? Publicũ quidẽ hostẽ piorum, sic tanquam triformem Geryonem, unicus ille è Christi sinu Theologus effinxit. Quid? alterum hostem illum, inauditæ formæ atrocitatisque portentum, non ita estis, Auditores, admirati, ut nunc ex ipsa recordatione cohorrescatis? cujus eam vim Deus prædicat, quæ ne fulmine quidem moveatur; durissimum metallum eodem, quo putridum lignum, ordine habeat; omnia belli tormenta perinde quasi stipulas contemnat. An tertium hostem producam, tantò sæviorem, quantò blandiorem? Domi (ô rem cùm dictu acerbam, tum sensu exitiosam!) domi hostem habemus inclusum, in sinu infixum, hærentem in visceribus, individuus atque intimus circumfertur, alitur, fovetur. Maximus ille apud Romanos, qui labentem Rempublicam sustentavit ac restituit, novam de Annibale victoriæ artem commentus erat, non pugnare. Verùm in hoc bello animorum non dimicare, vinci est. nemini hîc locus est cunctatori. non viro, non mulieri, non puero, non seni vacare aut cessare licet: nullis arma suspenduntur induciis: nihil vel ad respirandum liberi spatii relinquitur. nunquam extra teli jactum, nusquam extra periculi aleam versaris. Fugamne ab hoste circumspicis? effuge te, si qua via est. pugnam meditaris? quibus armis superes hostem, qui te toto pugnat? O bellum grave & importunum, nec ipsâ victoria terminandum! cùm ex Hipponensi oraculo vitia, *& quæ resistunt, periculoso debellentur prælio; & quæ victa sunt, nondum securo triumphentur otio, sed adhuc solicito premantur imperio.*

1. Joan. 2.

Job. 41.

August. de Civit. Dei l. 19. c. 27.

Quantam igitur fortitudinem exprompsit Radegundis, ne fœdè proditus & circumsessus à perduellibus membris effrænatoque sensuum satellitio animus arce suâ detruderetur? ut hostes multitudine innumerabiles,

assiduis omnium seculorum congressionibus exercitos, dolis æquè ac viribus paratissimos, inexpiabili & furiali in genus humanum odio inflammatos, ubique in nostram perniciem intentos, ubique insidiantes, semper integros nulloque pertinacissimæ oppugnationis labore fatigatos fæmina debellaret? præsertim eorum in ditione atque imperio genita; parentes nacta superstitione irretitos, Tartareæque tyrannidis jugo oppressos.

Calamitas illi gradus extitit ad felicitatem; servitus ad libertatem aditum aperuit. Patre Bertario, Thuringiæ Rege, per fraternum scelus interempto, ipsa Christo salutis publicæ parenti renata est: ultoris Clotarii thalamo solioque captiva immigravit. Hîc verò cùm se ex immanissimi teterrimique prædonis faucibus eripuisset; omni ratione ceteros homines ab ejusdem iniquissimâ durissimâque potestate vindicare instituit. Ditionem ejus invadit non virili, sed divino prorsus animo; atque ut erat igne cœlesti succensa, faces profanis templis subjicit, ut Galliam expiet nonnullis adhuc superstitionis nefariæ reliquiis deformatam.

Nunquam acrior capitaliorque contentio est, quàm pro aris & focis. Conclamant undique concurruntque ad arma inanium Deorum cultores; ad facinoris locum advolant irâ ardentes; & flammas delubro injectas, sacrilegorum, quos vocant, cruore extincturi, fremitu omnia tumultuque complent.

Quid tibi tunc animi fuit in illo turbarum æstu ac repentina tempestate, Regina sanctissima; cùm ad convivium vocata, in pugnam cædemque incidisti? cùm eas quas fano admoveri tædas jussisti, ut pii ac salutaris incendii conspectu lætissimo animum oculosque pasceres, pietatis tuæ administris ad funus præluxisse; & quâ ruinâ commentitiorum numinum signa involuebantur, eâdem cohortem illam tuam ac te ipsam obrui posse intellexisti?

Quid vos, Auditores, quid ſuſpicamini de muliere in apertum vitæ diſcrimen adductâ, inter medios impetus furentis populi deprehensâ? receptui ceciniſſe? ſuos ab incœpto revocaſſe? reſtingui incendium præcepiſſe continuò, aut certè permiſiſſe? nihil niſi de incolumitate ſuâ effugioque cogitaſſe? Majoris erat animi, majoris conſtantiæ Radegundis, quàm ut aliquid ex incenſo divinæ gloriæ ſtudio remitteret, aut affectum opus frigeſcere pateretur. Stat interrita audacis religioſique facti dux fæmina: non ſubtrahit ſe concitatæ multitudini; equum, in adverſum agmen objectumque periculum impellit: urget, acuit, confirmat pios incendiarios; aggerant ignes, exſcindant, funeſtent receptaculum dæmonis, arcem ſuperſtitionis. nec priùs abſceſſuram ſe, quàm altaria, tecta, muri deflagrarint, corruerint, tota funditus everſa moles conſumptaque cum impio cultu interierit, ſeverè denunciat. Simul oratione ad tumultuantem plebem conversâ, ſic gravitatem lenitati, precibus monita, majeſtati religionem admiſcet; ut ſcelus anhelantium hominum manibus arma defluant; ſacræ ac velut cœlo delapſæ flammæ obſiſtendi conſilium animis excidat; novus quidam ardor pectoribus concipiatur Chriſtianæ Religionis amplectendæ.

Sed cùm tantum invicta Reginæ conſtantia potuerit in antiquiſſimo Dæmonis propugnaculo & munimento inflammando ac diruendo; civilique, an hoſtili motu componendo; & mentibus ipſis adverſariorum, quæ una omnium ſpecioſiſſima certiſſimaque victoria eſt, ſibi adjungendis: tum verò nunquam Heroïna Chriſtiana vicit magnificentiùs, quàm fugiendo.

Quod ſi à me dictum quiſpiam eſt fortè miratus; recogitet ſecum ipſe, quantis illa Clœliæ Virginis Romanæ fuga laudibus ornata ſit & celebrata; quanto etiam apud Regem Porſennam hoſtem in pretio habita: non dubitabit profectò, quin meritò in Cœlum ex-

tollatur fugitiva fortitudo, aulam, conjugium, opes, delicias, honores ultrò deſerentis atque abdicantis; cùm eam quæ vincula, quæ carcerem fugiebat, ut patriæ in ſinum recurreret, equeſtri ſtatuâ dignatam inſignitamque meminerit.

Omnino magnus & ſublimis animus nullâ re clariùs quàm rerum externarum deſpicientiâ cernitur; ut ait ille non dicendi ſolùm, ſed etiam intelligendi Magiſter. Quæ vulgò ampla ſplendidaque habentur, ea parva ducere nihilique facere, virtutis eſt tam exaggeratæ atque arduæ, ut complures invenias, qui ferrum, qui vulnera mortemque ipſam contemnant; per-ſanè-raros, qui dignitates, qui gloriam omnemque fortunæ pompam conculcare audeant.

Seneca de Tranquill. animi.

Tenet me ſummus amor parcimoníæ, inquiebat è Stoïcorum natione ſui magnificus Oſtentator. placet non in ambitionem cubile compoſitum, non exquiſita veſtis & pretioſa: placet cibus parabilis, nec patrimonio gravis, nec corpori: placet miniſter incultus, & menſa quæ nullius convivæ oculos nec voluptate moretur, nec accendat invidiâ. Sed idem præſtringi tamen animum querebatur apparatu delicatæ ſupellectilis, catervâ ſervorum nitentium, divitiis per omnes ædium partes diſſipatis. Placebat nimirum in ſeceſſu, in exilio, in rerum anguſtia frugalitas: ubi circumfuderat è longo ſitu venientem multo ſplendore luxuria; titubare aciem; faciliùs adverſus illam animum quàm oculos attolli fatebatur. malebat denique in roſa & viola, quàm in ſpinis dumetiſque, hoc eſt, in opulentia & voluptate, quàm in paupertate ac doloribus, mollem jucundamque virtutem exercere. En, quò Stoici poſt elatum altè ſupercilium, poſt ampullas verborum phaleraſque deſcendunt! Non ita Radegundis, quam Chriſtiana diſciplina non dicere magna, ſed facere docuerat.

Regia puella cùm elegantiſſimæ formæ morumque

pulcherrimorum laude floreret; ad eamque Rex Clotarius explorandæ probandæque famæ causâ venisset, vidisset, arsisset; victus captusque à sua præda, nobilissimæ captivæ conjugium expetiisset: quis non omnibus lætitiis incessuram arbitraretur puellam iniquitate fortunæ de gradu dejectam; eâ sorte oblatâ, cui parem stante ac vigente paterno Thuringiæ regno vix reperire potuisset? Ex honesta liberalique custodia, sed è custodia in aulam dominatumque traducebatur; unam omnes tam læta rerum conversione beatam prædicabant: quis illum in Fortunæ gratiam reditum, & quæstuosa detrimenta, optandumque casum quo altiùs extolleretur, non sibi gratulaturam facilè credidisset? At ipsa secum infeliciter agi, quæ Regi placuisset, ingemiscit; lacrymisque ingratam oris speciem corrumpens, dat se in fugam, nihilo segniùs quàm si ad pœnam cruciatumque vocaretur. virgineas quippe cælestis Sponsi nuptias meditata; unicè Christo addictos amores illibato corpore animoque servatura.

Sed quò te inconsultam agit pietas, Radegundis? alienis finibus circumclusa, Regis te manus evasuram sperasti? nec sentis à Deo, cujus fiduciâ & studio rebus te aulicis humanisque abripiebas, amplissimum celeberrimumque pandi theatrum, in quo multiformis tuæ virtutis spectaculum explices ad communem cœli terræque applausum, neque unius seculi vel exemplum, vel probrum? Hactenus privatæ ac puellaris vitæ numeros obiisti: nunc matronalis regiique status implendæ tibi partes sunt: mox tibi Deoque planè reddita, Parthenonem informabis: quo mortalia sint omnia loco & ordine ducenda, publicum extabis atque immortale documentum.

Mores suos Radegundis aulæ intulit, Auditores: atque ut fontes quidam & fluvii sinceris & impermistis aquis per lacus mariaque volvuntur; sic in tumidis

illis fluctibus & palatinâ jactatione institutum vitæ cursum & præclarè cœpta promovit : neque tot satellitum, quot virtutum comitatu choroque stipata, Regiam adventu suo, & censuræ vim ac pondus obtinente exemplo consecravit : de superbia, de voluptate, de fortuna victrix fortissima triumphavit. Purpurâ, gemmis auroque distinctâ induebatur? at cilicinam corpori tunicam, blandorum hostium debellatrix acerrima, velut loricam apprimebat. Mensæ assidebat regalibus deliciis circumfluenti? at vitam interim plebeio cibo, eoque tenuissimo, furtim in medio luxu tolerabat.

En quàm citò Regiâ evolavit; Auditores! quàm se providè fallacium bonorum illecebris subduxit! quàm fortiter splendida sanctæ mentis onera abjecit! Jam immensam illam virtutem aula non capiebat : eminebat foras erumpebatque diu collecto asceticæ vitæ studio Radegundis : quæ decora invitissimo animo susceperat, haud sanè leviùs quàm Assueri quondam uxor, modestissima & religiosissima fæmina, sustinebat. Tunc demum sibi captiva veriùs, quàm in Atheïensi priùs castro, videbatur : & quæ ad laxandas custodiarum compedes reserandaque ergastula fusis ad Deum precibus valeret; aurea quibus constringeretur, vincula & quovis carcere molestiorem Aulam effugere se non posse tacita lugebat.

Ergo, ne quid intentatum relinquat, novam feliciremque superiori fugam, Deo duce & auspice, adornat; sacro flameo vultum obnubit, ut dicatam Christo atque in ejus jura transcriptam nemo ignoret; desponsam ac devinctam Deo interpellare audeat nemo. Vincit denique piâ pertinaciâ Conjugem amantissimum: revocatâ, quam concesserat, veniâ instantem fugienti, & jam jam injectâ manu retracturum eludit miraculo : majori ad extremum curâ & labore, quàm ab ambitiosissimis quæri captarique fæminis soleant, regalem & torum & aulam effugit.

O fugam maximis clariſſimorum Imperatorum victoriis anteferendam ! ô factum omnibus hiſtoriarum monimentis, omnium ſtupore ſeculorum, omnium mortalium immortaliumque linguis celebrandum! ô diem vobis, Pictavienſes, candidiſſimum ac triumphalem ! cùm Regina ſanctiſſima poſt varias Galliæ provincias longo victoriarum cœleſtium beneficiorumque curſu peragratas, in hanc urbem veſtram ſe tranſtulit, ubi caſtra quædam virtutis poneret piæ ſanctæque militiæ Imperatrix.

Quid attinet hîc novæ Ducis excubias perpetuas, voluntarios & gregariis longè aſperiores labores, ac ſingularem vitæ rationem perſequi ? Cum in Aulâ tenerum innocentiſſimumque corpus aſſiduo jejunio macerarit ; cœleſti contemplatione, diu noctuque, vel inter acerbiſſimi frigoris vim ad rigorem uſque membrorum productâ, mentem avidiſſimè paverit ; qualem in Aſceterio atque in extremo actu ſe præſtitiſſe neceſſe eſt !

Sic verò agit, quaſi nihil eatenus actum ſit ; ſic ſævire in ſe ipſa cœpit, quaſi tota in deliciis fuerit : eâ fertur incitatione & alacritate tantâ, ut prima merere ſtipendia videatur ; exercitatione tali ac firmitate, ut emerita jam & laureata non dubiè agnoſcatur. Conſtantiam in ſua cauſa probaverat antea Clotario : in aliena cauſa probavit Childerico, cùm is filiam ſuam ſemel Deo attributam è ſacra ſtatione repeteret.

Aliudne fortiſſimi pectoris ac palmaris animi ſpecimen expectatis, Auditores ? Ne nihil in hac umbratili arcanaque militia ferro actum putetis ; ne incruentum hoc quidquid eſt myſtici belli : ferreis cingulis & catenis ita corpus arctarat, ut altè impreſſa ac demerſa, dolore tantùm ac vulnere ſe proderent ; adhibitoque ferro eruendum ferrum fuerit, miſerandum in modum conciſo laniatoque corpore ; unde tanta vis prorupit

ſanguinis, ut ferè ſpiritus unâ eâdemque viâ ſeque-retur.

Jam verò cum in re militari nihil antiquius ſit & ſanctius, quàm vexilla ſervare, ut ea Signiferi diligentes & animoſi, non niſi cum vitâ extorqueri ſibi patiantur : arte ſingulari providit Radegundis, ut ne morte quidem avelli ſibi detrahique poſſet ſalutis & victoriæ fatale ſignum & inſtrumentum. Quod Conſtantino Magno luce deſcriptum in nube apparuit, in pectore ſuo Regina ignito metallo inſculptum atque inuſtum extare voluit ; quo ſigno ac telo armata pariter ornataque vinceret.

Vicit enimverò, ut jam expoſui, Auditores, vicit triplices illas, quas indicavi, copias hoſtium, quà vi & atrocitate, quà fraude & inſidioſis blanditiis graſſantium. vicit Dæmonas, quorum occultos impetus à ſe ſuiſque propulſavit ; quorum impios ritus exuſtis aris faniſque exturbavit. vicit Aulæ, fortunæ, corporis corruptelas ; improborum calumnias, potentium machinationes heroicâ virtute animique celſitate ſuperavit. Ut interim ventos, fluctus, procellas, morbos, mortem, peſtes furiaſque Tartareas humana corpora inſidentes ; ea quæ nullo, præterquam divino robore debilitari frangique poſſint ; abſentis etiam ac ſepultæ precibus & promeritis victa profligataque conticeſcam. Nam quid ego de Britannis dicam, quos fuſos, fugatos, mutuâ internecione confectos ab hujus urbis jugulo & cervicibus rejecit, depulit, exterminavit ?

Atenim hujus ſuperiorumque mentione victoriarum ad partem orationis alteram de Regiâ Cœleſtique Radegundis Beneficentiâ ſenſim ac molliſſimè defluxi. Et verò quid prius aut potius huc afferam, quàm quod extremum attigi publicum beneficium, & anniverſariâ pompâ æternitati conſecratum? Quid enim, Auditores, ſupplicatio iſta ſolennis ? quid urbis luſtratio ? quid populi

populi concursus ? quid sacra fercula, ritusque ceteri volunt à piis gratisque majoribus ad vos transmissi ; nisi urbem ope ac beneficio Patronæ Radegundis servatam & liberatam ?

Equidem haud ita sum hospes ac peregrinus, ut nesciam quid augustissimæ primariæque Tutelari hoc speciatim nomine debeat Pictavium. Video, cui claves urbis assignatæ commendatæque sint; cujus in excolendo templo atque simulacro magnificentia certatim Urbi Præfectorum enitescat ; cui pepli, opere materiâque spectabilis, quasi liberale splendidumque vectigal quotannis offeratur. sed annuente tamen ac libente Mariâ beneficium illud amplissimum cum Radegunde communicabo, quæ unà cum Hilario Magno adstitit Optimæ Maximæ Liberatrici; cujus in gremio vixerat; cujus in sinu, in templo à se exædificato, condi se mortuam socrosanctâ obtestatione mandaverat. Ergo Imperatricem cœli terræque potentissimam, Immortalium cohortibus succinctam, & ipsam quavis acie terribiliorem, vobis, Pictavienses, suamet quidem sponte indulgentissimam, sed tamen impensiùs quâ valebat apud eam gratiâ Radegundis conciliavit. Illo, illo tunc præsidio fœdissima exitialisque proditio prodita discussaque est ; præreptæ claves, obstructæ portæ, defensa mœnia: quique in procinctu stabant ad irrumpendum, in urbis vastationem imminentes Angli, objecta cœlestium Patronorum ac Defensorum specie turbati lymphatique in suapte viscera manus gladiosque converterunt.

Quo loco sinite me, Auditores, dum antiquissimæ virtuti vestræ, adversus Britannos fortitudini, in Franciæ Reges fidei, erga Superos pietati gratulor ; simul admonere, ne præclara majorum instituta obsolescere patiamini, ne patrocinii cœlestis hereditatem negligi ; sed ut eam, quæ jam à quatuor seculis ad nostram ætatem perducta est festiva triumphalisque gratiarum

agendarum celebritas, non ullâ ex parte imminutam; ſed ipſo temporis proceſſu confirmatam, ac nova in ſingulos annos acceſſione ſplendoris & religionis amplificatam, ad poſteros diligenter ſanctèque propagetis.

Nec ſemel urbi ſe Tutelarem approbavit Radegundis, Auditores; neque in hoſtes præſentior adfuit, quàm in cives: ſi tamen cives appellandi ſunt, quolibet hoſte infeſtiores; aut homines, cuncto ferarum genere immaniores. Cùm famoſus Thalaſſiarcha totis ſceleratæ in Deum Regemque perduellionis viribus armatus Pictavium circumſideret; admotiſque machinis primam è Radegundæi templi regione mœnibus labem impreſſiſſet: ſenſit, ſenſit impius Hagiomachorum Dux proximum templum, idem urbis certiſſimum eſſe ac validiſſimum propugnaculum. ſenſere Catholici milites, qui ſeſe ad Reginæ Tutelaris aras pro ſalute patriæ devoverant, inde ſibi robur animoſque afflari; non modò ut aggreſſionem illam, atque ut primam, ſic vehementiſſimam recentium agminum impreſſionem, ſed reliquos aſſultus omnes impetuſque feliciſſimè refellerent, eluderent ſolertiſſimè, fortiſſimè infringerent.

Age verò, quantis hoſpitam urbem operibus opibuſque locupletavit Radegundis munificentia, ſive ſacris ædibus regali ſumptu excitatis, ſive Martyrum Lipſanis undique ſumma curâ & religione contractis! Aurum, margaritas, cetera quibus pretium fecit luxus hominum & inſania, depereant arceſſantque vulgò ab Indiis Principes fæminæ; terrarum mariumque jactent ſpolia; mundique illius muliebris commendationem à labore ducant periculoque inſtitorum. Nobilius utique commercium inſtituit pia Regina: Heroum Chriſtianorum exuvias, oſſa tormentis ipſis doloribuſque conſecrata, in votis, in deliciis habet. Hos amat veſtigatque theſauros; Hieroſolymis, Conſtantinopoli colli-

gendos devehendosque curat cineres, cœlum aliquando illustraturos, mortalitatis reliquias, semina æternitatis.

At quo te piaculo prætercam, Orbis terrarum expiatrix, non jam infelix arbos, necis cruciatusque ferale instrumentum, sed vitæ felicitatisque parens, Crux Sanctissima? quæ novæ hujus Helenæ immenso studio & amore expetita; Sigiberti Regis Privigni sui autoritate & legatione ad Imperatorem Justinum II. cum amplo Lipsanorum comitatu impetrata; infulati * Poëtæ carminibus, mox in solennem usum Ecclesiæ diffusis, rite celebrata, æternum Pictavio decus & ornamentum addidisti. Fabuloso Palladio gloriata Troja fuerit; Ancile cœlo delapsum splendidè mendax Roma jactaverit. Tu salutis publicæ pignus mirificum: tu victoriæ divinæ trophæum clarissimum; tu Radegundis in urbem hanc beneficentiæ monimentum omni veneratione cultuque dignissimum.

* S. Fortunati Pictav. Episc.

Jam beneficia in egenos (privatane dicam, quæ viritim singulis conferrentur, an publica quæ calamitosorum innumeros greges comprehenderent?) quis non consequi laudando, sed vel percensere possit numerando? Nunquam illa facultatibus frui regiis sustinuit: sic verò usa est, nihil ut ex omni fortunæ copiâ, nisi benefaciendi materiem usurparet. divisas opes in templa atque in egenos, altera Dei templa, profundebat. spoliabat se aureis gemmatisque vestibus, quibus aras excoleret. neque officiosè tantùm & humaniter homines miseros (quanquam hac Radegundis curâ felices) sed reverenter quoque, prorsus ut res sacras; nec modò ut templa & simulacra, verum etiam ut membra Christi habebat tractabatque: & majestatem cum ad humillima quæque obsequia dejiceret, sordidissimis ministeriis augustâ pietate splendorem allinebat. Vel fœdissimis morbis afflictos prolixè studioseque fovens, abluebat regiis manibus purulenta ulcera; faciebatque interdum

(id quod citra horrorem nec ſpectari tunc potuit ab Reginæ comitibus & ancillis, nec fortaſſe à vobis audiri poterit) ut elephantiacarum mulierum ora ſanie taboque diffluentia exoſcularetur ſuaviſſimè. Tantam inter afferendum inopibus ægriſque ſubſidium ac ſolatium de ſe ipſa victoriam referebat !

Ecqua porrò facundia benignitatem exequatur ſingularem, quæ captivis libertatem, tranquillitatem naufragantibus, ægris ſanitatem, mortuis vitam reſtituit? Quoties verò animos corporáque à Tartareo nexu acerbiſſimaque vexatione vindicavit ? & autoritate quidem tantâ, ut hoſpitem importunum tyrannumque ſuperbiſſimum ac crudeliſſimum, inſultans juguloque pedem imprimens, non faciliùs quàm imperioſiùs abigeret ; nocturnas infernorum monſtrorum catervas, uno luſtralis ſigni ductu trepidas & præcipites Aſceterij muro deturbaret.

Ea vis eſt magnetis, ut cùm ipſe arcanâ quadam illecebrâ ferrum attrahat ; tum quidlibet ex ipſius affrictu poteſtatem eandem in obſequens metallum exerceat. Reginæ ſanctiſſimæ virtus ſanitatem bonaque accerſebat omnia ſimul & mala refutabat arcebatque longiſſimè ; ac rebus etiam viliſſimis eam dotem affundebat, ut quidquid ab Radegunde fuiſſet contactum, adverſus omnes caſus humanos inſtar Alexipharmaci obtineret. Vivit adhuc vigetque vis illa in Tumulo planè Thaumaturgo ; ad quem non hæc modò civitas, ſed ipſa ſuis propè ſedibus convulſa provincia;cuncta, citiùs dixero, Francia confluit, Miſericordiæ aram Athenienſi indulgentiorem prenſatura.

Geſtit oratio jamdiu, Auditores, ad ea venire quæ novitate alliciunt oculos, animum rapiunt majeſtate. Obverſantur Corda Principum auro expreſſa, pij amoris & ſymbola & pignora ; Sereniſſimi Delphini jamtunc in cœleſtem clientelam dati ſpecioſiſſima effigies;

Immortalis Victimæ stata quotannis gemina maximo cum apparatu litatio ; Divæ Reginæ marmoreum ingentis pretii simulacrum. hæc videlicet regalem Christianissimamque pietatem explicant Ludovici, Annæ, Mariæ-Teresiæ.

Vos, vos altaria vetustissima sanctissimaque, appello, quæ toties augusta capita vobis submissa & venerabunda aspexistis ! vos, illustria æternaque obtestor monimenta, quæ initiatis celeberrimo Radegundis Sepulcro Sodalibus adscripta consignataque tanta nomina posteritati ostendetis ! Vos maximè appello, Auditores, qui, sive turbulentis temporibus urbi fidissimæ immorante, sive ultro citroque commeante Principe spectaculum pulcherrimum regalis in Beatissimam Reginam observantiæ, frequentiâ vestrâ studiisque celebrastis. Et adest, non juris quàm Justitiæ consultior ; nec magis in foro quàm in templo, inter liliata subsellia quàm inter aras & delubra, Regiarum Actor causarum, idemque Radegundis & Cultor & Scriptor clarissimus. Ill. V. Joan. Filliæus.

Norat, Auditores, Ludovicus, non hanc modò urbem variis temporibus, obsessam, proditam, occupatam, & à Britannis hostibus & à Calvinianis perduellibus sanctæ Reginæ ope assertam; sed Galliam universam à transmarinæ gentis imperio, aut funesto veriùs latrocinio purgatam ; cum pridie idus Augusti, quo die festæ Radegundi lucis celebritas initur, Cæsaris-Burgo totâque adeò Neustria Angli excesserint. Quare in eum ipsum diem Carolus ille Victor Franciæque Restaurator solennem indixit Pictaviensi civitati pompam & supplicationem, ut eodem tempore, & sanctæ Principis in cœlum, & Anglorum in suam insulam discessus è Francia recolatur.

Audierat Adeodati Mater, laudatissima Regina, palmarium hoc liberatæ receptæque Galliæ beneficium à

Caroli VII. uxore, lectiſſima fæmina, piè agnitum; & quoad vixit, inextinctæ ad Radegundæam cryptam facis teſtimonio declaratum. Sed cui poſt funus ſuum alendæ luci ſumptus conſtituere tunc Regina non potuerat, eam fouere Anna inſtituit Auſtriaca; Mariæ Andinæ in voluntatem ac liberalitatem nunquam intermoriturâ religione ſucceſſit.

Quid, quòd benignam ſibi propriè munificamque cum optima Parente Rex invictiſſimus agnoſcit? ſanitatem Reipublicæ ſaluti pænè fatalem, uterque ſibi è periculoſiſſimis morbis reſtitutam illi ſe debere profitetur: civilem Pacem atque externam; Nuptias & Delphinum Galliæ ſpem ac delicias, ambo cum Maria-Tereſia Regis maximi Conjuge digniſſima, ut amore, ſic pietate concordes Principes Radegundi gratulantur. Nec deſunt ſibi Sereniſſimi Aurelianenſium Duces, quin eandem ſibi Patronam adoptent, ut uno tota Regia præſidio & quodam Majeſtatis numine contineatur.

Sic lumen iſtud ac præſidium ab Aula ſuſcepiſti, Pictonum Auguſta Metropolis; auctius cumulatiùſque Aulæ reddidiſti. O te felicem in primis, quæ à ſapientiſſimo Rege conquiſitam olim Mulierem inveniſti Fortiſſimam, animi celſitate propemodùm ſingularem; quæ Reginam, Regum Patronam, in Principes populoſque Beneficentiſſimam tuis ſedibus excepiſti!

Suas hîc Pyramidas Ægyptus deprimat, ſuum Caria Mauſolæum abjiciat; Regum ambitioſa conditoria, orbiſque terræ miracula. Quid enim tandem inſanæ ſubſtructionum illæ moles, improbi laboris ſumptuſque infiniti monumenta? quantumvis extimâ ſpecie niteant; quamlibet fucatis, gypſatis, conditiſque funerum ſordibus, funeribus tamen impiorum Principum ſquallida, & horrenda magis quàm admiranda monumenta. Hîc ſenſum afflat ſuaviſſimum pietatis & venerationis ſe-

pulcrum planè *gloriosum* Regij corporis, non balsamo ceteroque superbiæ funebris apparatu; sed immortali virtutis honore incorrupti; miraculorum fons perennis & inexhaustus. Nec tam ubertim lampas, ab Radegunde Cruci divinæ accensa, oleo succrescente redundavit; quàm salutiferum hoc monimentum commiserationis perpetuâ, ut ita dicam, exundatione circumquaque diffluit.

Animadvertite, quæso, Auditores, quàm præclarè sibi Radegundis consuluerit, cum à sole in umbram transiit; ab aulâ in Asceterium profugit; rerum terrenarum excussis projectisque sarcinis, & præstigiis voluptatum, ad Crucis amplexum evolavit.

Vitam egisses tu quidem omnibus copiis abundantem & multis invidendam, Regina, si fortunæ tuæ te permisisses: sed brevi formam, honorem, luxum extinxisset gravis & invisa mors. tum eodem tumulo, quo deforme ac tetrum cadaver fuisset contectum, memoria quoque tui, aut certè observatio, itidem ut reliquarum illius sortis Matronarum, obruta jacuisset. Nunc illustrior ex recessu, ex demissione sublimior, omnium in te admirationem laudesque convertisti, sanctissima Heroïna.

Pro fragili & caducâ venustate quam neglexeras, omnique corporis afflictatione attriveras, oris dignitatem humanâ præstantiorem & quæ gloriosam spiraret Anastasin, in morte atque in tumulo aperto explicasti. Solio exscenderas; altaria meruisti. Galliæ imperio cum religiosâ servitute commutato, Antistitæ quoque abdicato munere, in ordinem te gregemque redegeras: numeras in clientibus Reges; & quæ pulverem adytorum abstergere purpura tua gaudebas, Ludovici Reginarumque supplicem purpuram adsterni sæpe tuis altaribus, mancipari sceptra, appendi corda vidisti.

Pio te divortio à mortali Principe sejunxeras; Spon-

ſum adepta es Regum Imperatorem Deum, cujus te amantiſſimè inviſentis veſtigium, cubiculi tui ſaxo impreſſum, hodieque veneramur. Coronam depoſueras baccis unionibuſque micantem; ad *Chriſti diadema* * perveniſti, rerum omnium caput *gemma* ſideribus clarior exornaſti.

* Ex ipſius Chriſti, apparentis Radegundi, effato.

Perge, Tutelaris ac Patrona Beatiſſima, ex arce iſta & faſtigio lucem Beneficentiæ tuæ in omnem partem effundere: Principes populoſque tibi, cultuique tuo arctiùs in dies novis donis adſtringe: Galliam univerſam, ſed hanc maximè urbem, virtutis ac munificentiæ tuæ ſedem, quam ſæpè ſervaſti, æterno patrocinio incolumem florentemque complectere.

Tum verò his laudum tuarum ſtudioſiſſimis Auditoribus, quas habeo nec agere pro merito ac voluntate poſſum, gratias refer, fructus expromptæ in te pietatis, in Oratorem tuum benignitatis. Et hanc tenuitatem officij mei, cum accenſeri Regales aras conveſtientibus ornamentis verba non debeant, ſic tanquam epigraphen marmoreis aureiſque donis ſubjunctam admitte, Religionis in te meæ votique non irriti argumentum.

INCLYTO HEROI NICOLAO COMITI SERINO, TURCARUM TERRORI,

FUNEBRIS PANEGYRICUS

AN. M. DC. LXV.

HEROEM celeberrimum, cujus acerbiſſimum funus publico luctu Chriſtiani, Barbari feſtis ignibus proſecuti ſunt, factorum gloria immortalem produco ex ultimis Pannoniæ oris in hunc cœtum ampliſſimum, conſeſſumque veſtrum, Auditores lectiſſimi; externum hominem, ſed commune Chriſtianæ Reipublicæ decus & ornamentum. Habent peregrina admirabilitatem: vultus alienigenarum habituſque diligentius intuemur, quàm popularium; &, quæ Franciæ laus eſt, hoſpites humanitate complectimur ſingulari. Quòd ſi virtutem vel in hoſte dignam laude judicamus; quis meum de fortiſſimi Viri clariſſimique Imperatoris laudatione conſilium improbarit, ut non continuò virtutis præconio invidere videatur? Præſertim cùm is fuerit in magno Serino amor, ea Gallici nominis exiſtimatio, ut Gallorum auxiliares copias unicè expetierit: quibus ſi fuiſſet inſtructus atque armatus, jam ſibi nec Turcarum vim & impreſſionem reformidandam, neque aliarum præterea gentium ſubſidia requirenda ſentiebat.

Accedit autoritas, quanta poteſt eſſe maxima, præ-

dicandæ fortitudinis illius heroicæ, Regum idem maximus & ſapientiſſimus, unuſque ex omnibus rerum præclarè geſtarum Cenſor ac Judex ſpectatiſſimus; qui non honorificentiſſimis modò verbis expeditiones, pugnas, victorias præſtantiſſimi Ducis in Aula jactavit, verùm etiam tranſmiſſis inſignibus donis ac ſplendidiori omnibus præmiis gratulatione decoravit. Felicem planè Ducem, ac fortunatiorem eximio tanti Principis teſtimonio atque elogio, quàm ſi tota in plauſum & acclamationem effuſa theatra circumſonarent! Quid igitur mihi, Auditores, ſpecioſius ad dicendum contingere potuit, quàm ut interpretem auguſtiſſimi geram oraculi? quod vobis acroama jucundius, quàm ſi Ludoviceæ voci, velut imago, in hoc Regali Athenæo mea reſonet oratio? quid opportunius denique facere licuit, quàm ut hoc * funebri die funebrem inſtituam Panegyricum? neque juſto ſeriorem, cùm hic primus ab illo caſu funeſtiſſimo agendi locus datus ſit, gratique in publicum rei Chriſtianæ propugnatorem animi conteſtandi.

* Solenni defunct. commemor.

Honorem ineſſe lacrymis & voluptatem, vetus eſt pronunciatum. Ego verò non ſquallore, non planctu & lamentatione ſummo Imperatori juſta perſolvenda duxerim, ſed apparatu longè pulcherrimo ac triumphali. Fingite vobis animo, Auditores, diſtinctam hanc aulam ſignis & vexillis militaribus, quæ crebrâ validaque præliorum contentione Turcis eripuit Serinus: trophæa vobis illa, quibus Croatiam Hungariamque illuſtravit, proponite: concentum illum Europæ atque Aſiæ, quo Vir bellicoſiſſimus & multarum palmarum Imperator exornatur, cogitatione gratiſſimâ uſurpate: dum ipſe pro meâ tenuitate laudes perſequar Heroïs invictiſſimi, de Religione, de Imperio egregiè magnificéque promeriti; Chriſtianorum omnium & Principum & Populorum admiratione encomiiſque celebrati.

Sed antequam ad excelsas exaggeratasque Serini virtutes aggredior; quibus quamque generosis radicibus ea bellicis in rebus decora nixa atque excitata sint, indicabo. Equidem, si nihil esset aliud in Serinorum stirpe ac fastis commemorabile, quàm splendor nobilitatis, ditionis amplitudo; facilè morem Oratorum atque institutum omitterem de genere illius, cujus exornationem susceperint, disserendi; neque in tantâ singularium laudum copiâ communibus & usitatis immorarer. Atenim cùm Serinus ejusmodi sit ortus Majoribus, ut hereditariâ fortitudine Terror Barbarorum extiterit; non committam, ut laureatæ imagines honestandæ exequiarum pompæ defuisse videantur. Tametsi nec omnia producenda mihi arbitror Avorum simulacra, ne diutiùs oculos vestros longa series occupet triumphalium virorum. Specimen edam totius gentis; unumque vobis, unde conjecturam de ceteris capiatis, exhibebo Nicolaum Serinum, quem hic noster Avum & nomine & animo & omni virtutum genere prorsùs retulit atque exscripsit. Ac ne illius quidem laudatissimi, & omnium gentium, omnium literarum monimentis ornatissimi Heroïs dignitates, imperia, vitam martiis operibus contextam evolvo: supremum actum duntaxat propono, mortem quâ memoriam sibi gloriamque peperit sempiternam.

Solimanus, longâ jam octoginta ferme annorum ætate in Christianorum direptionibus exercitâ; tot Principum cladibus, tot regnorum excidiis nobilitatus; integrâ viridique senectute acerrimus, Sigetho Pannoniæ oppido supra ducenta armatorum millia admoverat. Locum insidebat munitissimum Serinus; at ipsâ munimentorum varietate & multitudine debilitatum ob exiguam manum præsidiariorum militum; qui omnino trecenti supra duo millia, in duas urbes, totidem arces divisi ac dispersi, nullâ ex parte sufficerent, nisi unus

maximi validiſſimique inſtar præſidij Serinus præfectus obtineret. Hîc ego quid molitiones, aggeres, cuniculos, impetus Barbarorum exequar? cùm prætorianos Turcas urgeret imperioſa atrocis Sultani præſentia; cùm propugnacula cœcis laboribus ſuffoſſa corruerent; cùm innumerabilium immaniſſimorumque tormentorum aſſidua exploſio mœnia labefactaret, turres excuteret, tecta disjiceret. Sileo pulcherrimum jusjurandum, quo ſe Præfectus ſuoſque ante obſidionem religiosè obſtrinxetat; prudentiæ ſcientiæque militaris inſtituta, quibus urbem civitatemque munierat; præſentiſſimum animum, quo ſe periculis objecerat, & concidentibus ſaxis aditum ferro obſtruxerat. Compendio rem tranſigo: ad quindecim aſſultus lectiſſimarum ex universâ Turciâ copiarum ſuſtinuit; & quidem interdum ad ipſas quatuor & viginti continentes horas, dum ex immenſo exercitu ſubinde aliis alij, defeſſis recentes, ſauciis integri ſuccederent: ad triginta hoſtium millia inter propugnationem, in iiſque Baſſas quatuor cecidit; eò Solimanum adegit, ut ægritudine animi veriùs quàm corporis morbo conſumptus obſidioni immoreretur.

Verùm eâ morte à Mahomete purpurato vaferrimè celatâ, ut nulla ejus veſtigia extarent in caſtris; ut ne tenuiſſima quidem tanti caſus aura domeſticos afflaret, nedum ad hoſtes emanaret: numero obrutus Serinus, qui duo propugnatorum millia ducentis oppugnantium millibus opponeret; inflammatâ novâ primùm urbe, veterem diu ſervavit; veteri ùrbe diſturbatâ, arcem majorem eatenus retinuit, viris ignibuſque pertinaciſſimè obluctatus, donec incenſo propugnaculo infinita vis flammæ conſpirantibus ventis ad ſulfurati pulveris acervos perveniſſet. Tum demum ad interiorem arcem extremaſque rerum anguſtias contruſum; annonâ, machinis, militibus, loco denique ad repugnandum, ad

consistendum absumptis, fœdissimè grassante penitusque omnia depascente incendio; quid consilij cepisse suspicamini, Auditores? fugam esse meditatum, ubi nihil esset reliquum fortitudini? deditionem cogitasse? aut (quod maximum à probatissimo Duce expectari possit) omnibus armis instructum, in medias hostium acies sese immisisse, necessitate furentem, desperatione præcipitem? Nihil egit trepidè, inconsultè nihil: mortem ratione digessit; ad decus, egressum è vitâ Sigethoque composuit.

Jam inde à primo designatæ obsidionis rumore, ad victoriam aut necem paratus; posteaquam urbem geminam, arcem utramque, dum stetêre, tutatus est, earum se ruinis jacentium involvere statuit: neque arma ad repellendam mortem, sed telum ad inferendam deligit. Triumpho se accingere credideris: sic ad splendorem excultus; galero ardeatinis pennis adamantibusque insignito pro galeâ, paludamento pro thorace ornatus; claves arcis sinu conditas ad ultimum vitæ spiritum servaturus, erumpit cum aliquot nobilium, frequentissimis cruentisque dimicationibus superstitum, globo; exoneratis interim, quæ restabant, minoribus bombardis ad opportunitatem eruptionis stragemque Barbarorum. Præeunte signo Cæsareo progreditur in pontem, devotus non Diis Manibus, sed vero æternoque, cujus piè magnificéque nomen inclamavit, Servatoris hominum ac Vindicis numini. Gladio inter confertos & undique prementes Janissaros rem ita per dimidiam horam gerit, ut obstupefacti fortitudinis miraculo hostes ultrò ad deditionem invitarent. Quid plura? vivus in Turcarum manus venire non sustinet: gloriosissimis in adverso pectore & capite exceptis vulneribus occumbit; ingens omnibus urbium obsessarum præfectis exemplum ac documentum.

Atenim sibi propriè unicéque natum ac propositum

exemplum hoc domesticum semper arbitratus est noster hic Serinus, Auditores. In Avi simulacrum & imaginem, ut speculum, intento erectoque animo intueri solitus, ad ejus quàm-proximam similitudinem vitæ suæ rationes exegit; neque tam sanguinis, quam heroïcæ virtutis communionem vindicavit. Et verò sic Avum Nepos dignissimus exprimere amavit, ut vel habitu referret; eoque maximè cultu corporis & ornatu, quo mortem illum suam honestasse jam audistis, splendidus in aulâ Viennensi apud Cæsarem versaretur. Id enim ab oculato locupletissimoque teste accepi; Dynasten qui bellico pulvere sordescere pariter ac decorari gauderet, nitidum eundem atque elegantem in palatio; virili tamen & imperatorio quodam luxu, non ad mollitiam & delicias, sed ad magnificentiam & pompæ speciem triumphalis. Eminebat, inquit, serico pileolo ardeatinarum pennarum fasciculus, ex adamantinâ palâ in modum cristæ assurgens: vestis, pro gentis more, fluxa & pretiosa, cui acinaces incumberet aureâ catenâ suspensus. Prorsus ut, qui fortitudine parem in acie haberet neminem, in Purpuratorum cohorte unus omnes formæ amictusque dignitate facilè superaret, nec sine terrore aliquo voluptatem offerret spectantibus.

Quàm acris memoria in optimi Nepotis pectore viveret ac vigeret æmulandi Serini majoris; quàm altè infixi stimuli animum incitarent ad ejus sequenda vestigia honorisque curriculum emetiendum; testis illa planè magnifica vox, quam reddidit Augusto amicè monenti, sibi ut maturè caveret consuleretque, si fortè à Barbaris in suâ arce circumsideretur. Negavit Dux præstantissimus, qui se non sibi, sed reipublicæ natum existimaret, alio se tumulo quàm versis in ipsum mœnibus obtegendum: ita Majorum exemplis admoneri, ut sanguinem suum ad muri labem pro patriâ & Religione profunderet. Quare non est, Auditores, quòd me

quiſquam temere in præclaræ necis commemoratione nimium cenſeat ; longiuſque , nec ſentientem fortaſſe , ipsâ rei admiratione provectum. Nam cùm eam partem laudationis, quæ petitur à Progenitorum virtute & gloriâ, quamque latiſſimè crebri perſequuntur Oratores , univerſam in unius hominis factum famamque contulerim : tum præterquàm quòd ea laude ſtrictim curſimque defunctus ſum , iſtiuſmodi virum ac virtutem expoſui, unde tanquam ex pulcherrimo fonte laudes poſterioris hujus Nicolai Serini uberrimæ profluerent, ac reliqua ſeſe diffunderet oratio.

Num verò, dum Sigethanam propugnationem & palmaria invictiſſimi Præfecti facinora adverſùs Solimanum oculis veſtris ſubjicerem ; cuipiam veſtrûm , Auditores, ſubiit vereri , ut ſatis expectationem avitæque fortitudinis dignitatem nepos quamvis egregius ſuſtinere poſſit ? Adeſte ſecuris animis , & aliquid auditis non inferius accipite. Sigethum ſuperior ille Serinus propugnavit ; hic expugnavit : ille Solimani vitam extinxit; hic mauſolæum ejus ſuperbiſſimum diruit. Quam urbem totis adortus viribus potentiſſimus Imperator , infirmam præſidio , iniquâ tempeſtate pæne proditam , cùm exſiccatæ fervoribus æſtivis paludes facilem ad muros aditum præberent, expugnare tamen perdiu non valuit ; ſed bimeſtri oppugnatione attritus, incœpti tædio ac deſperatione extabuit : eam junior Serinus , jam rebus omnibus inſtructiſſimam, cùm novam, tum veterem urbem , difficillimo anni tempore, paucis ac tumultuariò collectis copiis invaſit , occupavit, diripuit. Divinâ certè providentiâ factum eſt, ut quaſi ex oſſibus Avi & cineribus exortus ultor, cladem Barbaris poſt nonageſimum annum rependeret ; cenotaphiumque infeſtiſſimi Chriſtianis ſacris Tyranni ac trophæum de Pannonicis cladibus & ruinis erectum funditus exſcinderet.

Age ſanè, jacta ceteræ laudationis ſemina colligamus: cumque jam in Arce, in Ponte ac ſtrage Turcarum defixa ad immortalitatem monimenta ſpectaverimus; quid ſimile, quid comparandum in Heroë noſtro animadvertimus?

Seriniam quidem Arcem qui neſciat, hoſpitem eſſe in Europa, ne dicam in orbe terrarum, oporteat. Hoc illud Pannoniæ validiſſimum propugnaculum, Turcicæ potentiæ ac tyrannidis frænum, hoſtium acervatis ſpoliis opulentum, conditoris nomine celebratiſſimum, quis ſatis pro merito commendarit? Quam arcem primùm ſuſcipere ac moliri propè à Canisa ad coërcendas Barbarorum excurſiones, cujus vel conſilij vel magnitudinis animi fuit? ſubſtruere in media inſula, loco paluſtri & ſtagnantibus aquis ferè invio & inacceſſo, cujus artis & prudentiæ? Tantam efficere, quantam nulla vis hoſtium diu aut invadere auſa ſit, aut concutere potuerit; cujus peritiæne dicam, an magnificentiæ? attentatam interdum & ſubito incurſu oppugnatam, disjectis profligatiſque Turcarum copiis, ſolvere metu, periculo liberare; cujus virtutis & vigilantiæ fuiſſe prædicaro? Tantane unius hominis privati vis, opum tanta profuſio; ut ſua ſponte, ſuis impendiis arcem operoſam deſignarit, munierit aggeribus, machinis inſtruxerit, ornarit commeatu; totam Barbariem armatam, efferveſcentem in Romanum Imperium atque erumpentem, cervicibus intercluſam ſuis ſuſtinuerit ac propulſarit?

Graviter omnino tulit Sultanus id ſibi objectum clauſtri: & qui ſummos Chriſtianorum Principes haberet ludibrio, ac liberè in omnem partem vagari omnique vaſtitatis genere ſævire ſoleret; ſibi à Comite præfixas imperij metas, ſcopulumque ad æſtum inſanæ ambitionis retundendum. Quid, quòd ex arce illa in Othomanorum fines atque adeo in Turcicarum provinciarum

ciarum ſinum penitus irrumpere, populationiſque fructus ampliſſimos eò Serinum convehere, nec ferre poterat, nec prohibere? Inde minaces illæ denunciationes, expoſtulationeſque armatæ. in Auguſtum pariter atque in Serinum, (quæ ipſi conjunctio glorioſiſſima extitit) ore furibundo intonabat. inde, cùm ageretur de pace, illud in primis expetitum, Serinia ut arx deleretur. Sentires injecto fræno urgeri ferocitatem, ac compreſſam obluctantemque huc atque illuc ſe torquere & impatientiſſimè agitare. Ubi conditiones iſtiuſmodi ſurdiùs audiuntur, immittitur exercitus, qui captatâ Serini abſentiâ inviſam arcem adoriatur. Sed, ecce tibi, audito adventu hoſtium, repente ingenti voratâ viâ incitatiſſimo curſu Dynaſtes advolat: ipſoque acceſſu ſic percellit, ſic de omni ſtatu dejicit formidabiles copias, vix ut ſe veniſſe, ac videndo viciſſe potuerit gloriari.

Hîc audire mihi quempiam videor obſtrepentem: quam tu arcem canis & venditas, quæ tormentorum vi lacerata, cuniculis ſubruta & convulſa, certè nulla eſt? capta, expilata, ferro flammâque diſſipata evanuit. Quaſi verò ſit aliqua humanorum operum tanta firmitas, quæ non manibus humanis armorumque viribus infringi conficique poſſit. Quin ipſe, quiſquis obloqueris, fatum arcis excidiumque diligentiùs conſideras? agnoſces profectò ex ruinâ magnitudinem; & Seriniam Arcem ſic eſſe disjectam exciſamque à Barbaris, ut ad Autoris Dominique laudem adhuc integra ſtet, conſecuturiſque porrò ætatibus conſtitura ſit, nullâ temporum, nullâ hoſtium injuriâ & labe imminuta. Quis enim arcem, & quâ maximè viâ expugnavit? Primarius imperij Adminiſter Othomanici, qui eo Chriſtianorum vallo everſô prædarumque ex Turcis receptaculo, longiſſimæ atque operoſiſſimæ fructum expeditionis cepiſſe ſibi viſus eſt, avidiſſimoque talium nunciorum Sultano Muſulmanici probrum nominis limi-

temque ſublatum imperij gratulatus.

Gentiles Croatarum copias interim ducebat Serinus, arcis cuſtodiæ præfecto (ut intelligas, quanti Gallicam virtutem ac ſolertiam fecerit) homine Gallo , * nobili expertoque Duce. ipſe , quando nulla permittebatur juſti prælij facultas , in omnem carpendi agminis Turcici occaſionem intentus atque imminens , Muræ fluminis trajectu hoſtes prohibebat; multas armorum ſuorum & corporis objectu provincias tuebatur. nec tamen deerat ſuis in arce ab infinito Turcarum exercitu circumfuſis : opem ferebat laborantibus : arcem ingreſſus, ſemel lunato munimento potitos Barbaros plurimâ cum ſtrage deturbavit. Jam certiſſimum dedecus, præſentiſſimum exitium capiti ſuo impendere ſentiebat Turca Polemarchus ; acinacemque illum gemmis inſignem, anceps munus & terrificum ab Sultano miſſum, ſi parum feliciter dextréque tractaſſet, cervicibus ſe excepturum. Itaque ſummam impreſſionem comparat ; & , antè ſauciato graviter arcis præfecto , atque in proxima Chriſtianorum caſtra deportato (brevi poſt extincto) promovet nubilo tectas copias ; admotiſque ſcalis, furentes ſtrictis gladiis prætorianos in arcem immittit, pænè ſuperato priùs muro, quàm vel aſcendere, vel aliquid meditari, ſive à præſidiariis militibus, ſive à vicino Cæſarianorum exercitu adverterentur.

* Barone d'Avaugour.

O caliginoſum, atrâque notâ digniſſimum diem ; nec magis Dynaſtæ fortiſſimo , quàm univerſæ Croatiæ, Hungariæ , Germaniæ pernicioſum ! Quid primùm conquerar ? quos potiſſimum accuſem ? quò caſtri ad annuam obſidionem tolerandam omni copiâ inſtructiſſimi, reipublicæ Chriſtianæ tam ſalutaris, tam neceſſarij , non diutiùs retenti ac defenſi rationem & culpam, quæ nulla in Serinum cadere poteſt , quò conferam , Auditores ? Repentino atque improviſo oppugnantium cominus Janiſſarorum aſpectu perculſi & panicis qui-

buſdam acti cuſtodes, non pugnam, ſed fugam cogitarunt: ipſaque trepidatione præcluſo effugio, pœnas ignaviæ quas Serino debebant, hoſtibus dederunt.

Equidem alias ſcio ad Cæſarem perlatas querelas: & ſuſpicaces malignique conſiliorum interpretes, de illo belli nodo ac morâ quid ſubodorentur, haud ignoro. Utinam licuiſſet, Auditores, optanti Serino impetum in caſtra hoſtium facere! non ſpiritus illos Martios, non oculorum ardentium conjectum, non vocis Imperatoriæ terrorem, non dextræ fulmina Barbari ſuſtinuiſſent. Atenim negata ſunt, quæ firmando Croatarum ſuorum agmini expetebat tria duntaxat millia, cum Franci nondum adveniſſent, Germanorum. Quòd ſi adfuiſſet flos ille delectus Galliæ; quid iis adjunctis non effeciſſet, cum illos animos, artem illam vimque adhiberent, quibus ſubinde ad Arrabonem fluvium planè fractum eſt robur hoſtilis exercitus? Non arcem unam modò, ſed, fuſis ac fugatis Europæ atque Aſiæ copiis, totam quàm latè patet, Pannoniam ab importuniſſima teterrimaque ſervitute liberaſſet. Verumtamen Cæſariani exercitus Prætori venia danda, quòd expetitas cohortes roganti tradere ad oppugnationem caſtrorum recuſavit: laus tribuenda, quòd Auguſti ſtetit mandatis, neque ullâ ſe ratione abduci paſſus eſt à præſcripta lege diſciplinaque militari. Multa vereri coguntur ii, quibus ſumma commiſſa eſt reipublicæ; ancipites præliorum exitus, cladi connexam ignominiam & calamitatem, urbium expugnationes, direptiones provinciarum. Prudentius nimirum eſt timère, quàm ſperare. Habenda eſt Principibus in conſilio fortuna publica: damno aliquo, gravioris detrimenti periculum aliquando redimendum.

Atque ut illud etiam attingam, quod re ac tempore conjunctum eſt (nihil enim eſt in Serini vita factiſque diſſimulandum) ſolutam Caniſæ obſidionem quis au-

deat reprehendere? id quod & necessitas imperavit; &, si quid est vitio dandum, totum est fortunæ peccatum. Neque enim temerariæ illi (si licet cum profanis loqui) eventuum dominæ ita cum Virtute convenit, ut non assiduè consiliis ejus cœptisque insidietur, ac quidquid potuerit, de gloria decerpat. Non tamen suspensas ex illa Virtus suas rationes habet; apta est ex sese: felicitatem præstare non potest; industriam, vim, constantiam præstat. Ecquam igitur partem omisit Serinus bellicarum artium? quâ providentiâ, quâ celeritate omnia circumquaque populatus, Canisæ oppugnationi incubuit! Jam olim exustis suburbiis proluserat; atque hinc palustribus aquis, illinc artefactis ignibus eluvionem atque incendium pariter urbi immiserat. Quâ constantiâ labori institit; cùm è quatuor strenuis Comitibus, simul arcem obsidentibus, unus acerrimè suos promoverit, dum iniquo & palustri loco in multam noctem fossis insisteret; mediusque militem inter & ducem, testis idem actorque operam non magis exigeret auctoritate, quàm exemplo intenderet! Eò denique civitatem adduxerat, ut suffossis undique mœnibus & propugnaculis ultimum desperationi solatium Canisensis Præfectus appararet, cuniculorum incendiario pulvere se suaque consumpturus.

Canisam cùm dico, Auditores, urbem dico firmissimum Imperij Turcici adversus Hungaros Germanosque munimentum & armamentarium: cujus liberationem usque adeo cordi habuit summus Othomanicorum exercituum Prætor, ut omnia ejus causâ in discrimen se daturum pollicitus, vires omnes ad perrumpenda Christianorum castra nec munitissima contraxerit. Id quidem sapientissimè caverat, majori etiam fortitudine egerat Serinus, ut pontem Essexianum abrumperet ad Barbarorum impetus retardandos. Auditâ collectorum hostium famâ, castris excurrens ipsemet omnia recogno-

vit, impendenti malo occurſurus : quidquid uſquam hoſtile reperit, diſcuſſit ac peſſumdedit. At verò poſtmodum aut minus fidi aut parum ſeduli Curſores, dum urgetur obſidio, Iſmaëlis Baſſæ cum immenſis copiis adventum non ante renunciant, quàm is proximè à Chriſtianorum caſtris abeſſet. Deus immortalis, quæ viri fortis ac ſapientis illa conflictatio fuit! quam acris aſperaque virtutum inter ſe, non pugna quidem, ſed agitatio atque in varias partes diſtractio! cùm hinc Fortitudo hoſti cedere non ſuſtineret; illinc Prudentia cum paucis agminibus effuſam illam cunctæ Barbariæ tempeſtatem expectare omnino prohiberet! Ceſſit demum Fortitudo Prudentiæ, ſine qua non Fortitudo, ſed temeritas fuerit; ſeque ad æquiorem locum & Chriſtianæ Reipublicæ commoda reſervavit.

Alia prætereo conſultò, Auditores, quæ ipſi me ſilente intelligitis: cùm eſſent quatuor pari poteſtate Duces, quàm impedita eſſet obſidio. Illud quidem uſuvenit in re bellica multis Præfectis credita, ut pares inter æmuloſque haud minor ſententiarum inter ſe, quàm cum hoſtibus, armorum, exiſtat contentio. Atque ut invidioſa prætermittam; auxiliorum certè ab Ordinibus Imperij ſubmiſſorum difficultas & cunctatio expectationē Serini, qui ſucceſſum obſidionis in feſtinatione repoſitum habebat, fefellerunt.

Commodiùs dixerit aliquis fortaſſe ac ſpecioſiùs; non Martem illum communem, non Fortunam plurimùm in re bellica potentem; ſed unicum belli præſidem ac moderatorem Deum, cujus maximè gloria in altiſſimorum capitum dejectione triumphet, victoriam naturâ ferocem caſtigare ac reprimere infelici caſu voluiſſe. Et quidem in tanto rerum ſecundarum impetu perpetuaque triumphorum ſerie, quis admonendum infirmitatis humanæ Serinum fuiſſe (ne felicitate nimia & quaſi propria certaque vincendi facultate corrumperetur)

ſubſidij cœleſtis neceſſitatem inſigni exemplo perdocendum quis facilè ſibi non perſuaſerit?

At pius Imperator, veri ſolidique decoris appetens, ab inani faſtu inſolentique elatione alienus, ſatis intelligere ſe oſtendit, unde manaret felicitas, unde victoria deſcenderet; cùm ſuam in arcem redux ab ea, quam mox perſequar, feliciſſimâ excurſione, multiplicique unius expeditionis victoriâ, ſolennes Deo Opt. Max. gratias nulla interpoſitâ morâ venerabundus agere inſtituit; unique omnem illam triumphorum ſegetem, cui debuit, retulit acceptam. Æquiùs igitur, Auditores, convenientiuſque aſſeram, immortalem Dominum, qui ſuos explorare adverſis atque acuere ſoleat, ingenti animo partem deeſſe præcipuam victoriæ materiemque gloriæ non ſuſtinuiſſe; ut qui ſemper eatenus in rebus proſperis & jure cauſæ & virtutis merito volitaſſet, ex altera etiam fortuna ſanctiorem Chriſtianæ militiæ lauream adeptus inviсta patientiâ conſtantiaque triumpharet.

Num vobis, Auditores, in defendendo Serino laborare videor, atque ab ignominia vindicando? Sed quò ſumma denique recidit criminis & calumniæ? Diſceſſit ab arce, quæ vulgo inexpugnabilis haberetur, cùm eam plurimis graviſſimiſque incommodis vexaſſet, ac tantùm non diruiſſet. diſceſſit, ingruente hoſtium inſanâ vi, pertinaciùs inhærere obſidioni tum bellico Senatuſconſulto, tum paucitate militum & conſternatione prohibitus. Felix profectò Imperator, cui tandem ab iniquiſſimis objiici poſſit, non fœda fuga, ſed providus fortiſque inſtructâ acie receptus: non clades prælio accepta; ſed indefeſſo labore mirâque virtute affecta, defectu ac tarditate auxiliorum imperfecta victoria. Hæc una belli offenſio, communis illi cum ſummis ætatum ſuperiorũ, noſtrorumque temporum Ducibus; ac ſanè levior eâ, quæ Archiduci Ferdinando ſub hujus exordium ſeculi contigerat, cùm hanc ipſam urbem magnis validiſque

copiis esset aggressus, obsidionem solvere amissis tormentis & sarcinis coacto: hæc, inquam, una nec gravis offensio, nomen tanti viri non obscuravit; sed fortunati in omnibus, quæ propriis auspiciis liberaque potestate administraret, Imperatoris famam adversitate potiùs ipsâ collustravit. Majorem verò in modum receptus ille utilis accidit Reipublicæ; cùm, disposito ad Muræ oram agmine, Serinus Barbaros Stiriæ, Croatiæ, Carinthiæ vicinisque gentibus minantes ac vastitatem longè latéque importaturos coërcuit; & frustra tentato sæpe transitu, nec sine magna ipsorum clade, interclusit.

Qui me locus, Auditores, admonet, ut plura de celeberrima, cujus suprà mentionem intuli, Essekiana expeditione commemorem. Jactat suum antiquitas verbosa Coclitem Horatium: pontem illum, quem institit, amplissimum gloriæ campum ac theatrum ostentat. Magnū facinus! quis negat? Statorem hunc suum Roma, veriùs quàm Jovem, appellare potuit; qui labentem Rempublicam stitit, Hetruscorum ingruentes copias sistendo. Sed aude, miratrix veterum historia, pontem istum Sublicium cum Essekiano conferre; Thuscos è Lydia profectos, cum Scythica Turcarum immanitate: brevem aliquam moram, adversis hostibus, dum à tergo pons revelleretur; cum acerrima dimicatione pontem invadentis, ferro ignique corrumpentis. Enimverò, sive pontis magnitudinem, sive usum consideremus, Auditores, jam vix decantatos illos Darij, Xerxis, Cæsaris, Trajani pontes, nedum Horatij, cum Essekiano comparandos necesse erit confiteri. Ac ne quis fortè rem à me nimium exaggerari verbis suspicetur; ex jis quæ pauca de molis hujus exædificatione & structura dicturus sum, opus totum æstimet ac metiatur.

Cùm properans ad Sigethanam obsidionem is qui se Regem Regum, Europæ Asiæque Dominum, terræ marisque Possessorem inscribere solitus erat, Hamsæ præ-

tori pontem imponendum insternendumque Dravo flumini mandasset: scribit ad Solimanum, strenuus alioqui vir & ingentium consiliorum administer idoneus; pontem, per altissimum ac rapidissimum Dravum fluvium & refusas ab exundante Dravo paludes, nihilo faciliùs quàm per ipsas nubes agi extruique posse: rem jam sæpè tentatam, semper aquarum violentiâ abruptam & disturbatam. Quid ad hæc superbissimus Tyrannus? mantile ad Hamsam mittit, cujus in orâ mantilis legem aureis literis exararat fatalem; nec verò jis mitiorem legibus, quas olim ab Atheniensi Dracone latas, sanguine perscriptas orator Demades affirmavit: jussa curet utique; ni maturè ac tempori perfecerit, eodem illo mantili ad ejus quem pontis impatientem causabatur, fluvij ripam elisis faucibus suspendendus. Quid non audeat desperatio? quid non labor improbus efficiat? Tam imperiosa diraque denunciatione Hamsa perterritus juxta & incitatus, insanam substructionem totis viribus opibusque aggreditur, operarum quinque & viginti millibus ad ejusmodi molitionem adhibitis; militum ac nobilium hominum vi simul cum plebeia multitudine opificumque catervis enixissimè in id operis incumbente. Ubi trabes tignaque altitudo fluminis ac rapacitas defigi non patitur, navigia validissimo inter se ferrearum catenarum nexu religata constituit: pontem denique instruit latitudine ad quatuordecim cubitos, longitudine ad plura milliaria porrectum.

Nec verò, ut incredibili celeritate perfectum, ita brevi dilapsum est stupendum Turcicæ potentiæ monimentum pariter atque instrumentum. Stetit operosa moles, non paucis diebus, ut veterum illi Persici Romanique pontes; at solido seculo, ab Othomanis summâ curâ diligentiaque conservata; &, si quid interdum aut vetustate labefactatum esset, aut quasi fluctuum arietatione, restituta, interpolata & confirmata: stetit, quoad oppugnaretur à Serino.

Neque otiosus deinceps, quemadmodum ille in Danubio excitatus pons Trajani, & ad ostentationem propositus restitit. Quàm frequens, quàm, non dicam opportunus, sed planè Turcis necessàrius hujus Essekiani pontis usus ad belli commercium, ad transmittendos in Pannoniam exercitus, ad commeatus invehendos, ad urbes provinciasque in officio continendas! Quamobrem plurimo eum lectissimoque præsidio insederant, castellis obvallarant, firmarant repagulis; omni munimentorum ratione instructum, non ab injuria modò, sed à metu etiam injuriæ defendebāt. Adde quòd eò perveniri non poterat sine longissimo in hosticum procursu, sine insidiarum periculo, sine crebro in locis iniquissimis conflictu. Per continuas, nexasque alias ex aliis contentiones ad majus periculum graviоremque contentionem veniendum.

Age nunc, inusitatâ quadam felicitate per tantum hostilis soli tractum incolumes Dux copias traduxerit; commodè pontem oppugnarit, resciderit: quid tum? quâ se viâ expediet? quâ vi, quâ industriâ reditum explicabit? per asperas semitas malignasque valles, per vastos saltus abruptosque montes, per tumentium restagnantiumque obices fluviorum & sexcenta incommoda remetiendum iter, atque in singulos motus pro capite dimicandum. Christianis nulla certè fœdior in Pannonia clades, quàm ad Essekium contigerat; cùm ornatissimum exercitum Barbari, & quidem incruentâ victoriâ (rem ante illud tempus nostris inexpertam) iniquitate locorum oppresserant. Miserandum in modum Ferdinandi milites circumventi, dissipati; alij paludibus hausti limoque obruti, telis alij ad victorum satietatem concisi periere. An. M. D. XXXVII.

Adest, vices Deo mutante, adest qui labem illam Christiani nominis inveteratam atque inolitam sanguine hostium eluat; trophæumque sibi in superiorum

Ducum & Imperatorum ſepulcris conſtituat. Ille, ille pons magnitudine immenſus, munitione præſidioque invictus (cui reficiendo atque inſtaurando ſex ipſos menſes à Turcis impendendos fuiſſe narrant) à Serino abruptus & comminutus, perpetuum extabit ejus conſilij ſapientiſſimi, excurſionis mirificæ, incredibiliſque virtutis monimentum. Altæ illæ paludes & lubricæ oræ quæ oppugnantem non retardarunt, quæ cruore hoſtium redundarunt; quæ fragmentis fumantibus membriſque tantæ molis ſparſæ, opertæ, obſtructæ, immanis ſpeciem naufragij miſto inter aquas incendio retulerunt: montes illi, quos ultro citroque commeans ſuperavit; campi ac ſaltus, quos expeditiſſimè peragravit; fluvij, quos ne leviſſimo quidem accepto damno trajecit, imperatorias Serini virtutes mutæ ipſæ regiones prædicabunt. Et tanta quidem Eſſekianæ illius expeditionis fama gloriaque extitit; ut hanc nominatim Rex in victoriæ ſinu genitus adultuſque, nec tam Regiis inſignibus quàm triumphis auguſtus, illuſtri præconio commendare; & cùm ipſe pulcherrimum omnium ſit exemplar, aulicæ tamen Nobilitati celebrem excurſum ac receptum, victoriamque in paucis memorandam ultro ad æmulationem proponere admirationemque non dubitarit.

Reliquum eſt, ut paſſim editam ſtragem vaſtitatemque provinciis Turcarum illatam, ad implenda Heroïs noſtri encomia, generatim obeamus. Date hanc mihi veniam, Auditores, ut quaſi ad caput ſe reflectat oratio, eaque ſubnectat, quæ differre hactenus coëgit ipſa rerum inter ſe implicatio.

Erat illud in more poſitum inſtitutoque veterum Germanorum, ſi Tacito credimus, ut Duces ex virtute ſumerent. Id adeò factum à Pannonibus eſt, ut bello inſtante barbarico Imperatorem ſibi Nicolaum Serinum, non ex dignitate quâ eminebat generis, verùm ex ſingulari, quâ præcellebat virtute, communibus votis à

Cæſare impetrarent. Belli molem gravitatemque periculi, quam nullâ ſatis oratione conſequi atque explicare poſſim, verbo complectar, Auditores, ſi modò autorem belli, calamitatis fontem caputque Turcam dixero. Ubi fatale hoc funeſtumque nomen aures veſtras percuſſit; ecquid continuò immenſam potentiam, quæ Aſiam, Europam, Africam uno imperio devinxerit; barbariem omni immanitate teterrimam, & inexpiabili ac pluſquam hoſtili in Chriſtianos odio bacchantem, cogitatione informaſtis? Hic ille prædo regnorum & inſatiabilis helluo, magnâ jam parte devoratâ terrarum, avidiùs orbi reliquo inhians; cum Daciam jamdiu ſpe ac deſignatione occupaſſet, in eam demortuo mutatoque ſubinde Regulo, ſic tanquam in caducam & vacuam hereditatem involarat. Jam arce Varadinâ & Nehuſaliâ, velut januâ effractâ revulsâque, minis, torroribus, populationibus omnia miſcebat. ferale Othomanorum ſignum Adrianopoli fuerat elatum Mahometico ac deteſtando ritu, fanaticiſque in Chriſtianos diris intortis. fervebant inſani apparatus; influebant in Pannoniam innumerabiles copiæ: tormentorum omniſque generis machinarũ tractu ingemiſcebant flumina, campi contremiſcebant.

Magnum, uſqueeò formidoloſis temporibus, fuit, ductum exercitûs, nec numero militum, neque commeatu ſatis inſtructi, adverſus potentiſſimum Barbarum non recuſare. Quid Serinus? ita bellicum ſuſcepit magiſtratum & imperium, ut, inter obligandam Cæſari fidem, omnem curam adhibiturum ſe ſpoponderit, ut Magni Veziri caput ad Auguſti pedes reportaret. Nec verò magnificentiùs dixit, quàm acturus fuerit; dediſſet modò ſe ille in diſcrimen, & manus cum Serino auſus fuiſſet conferre. Eandem profectò vim ſenſiſſet, quam expertus aliàs Baſſa fuerat adornatæ Seriniam in arcem expeditionis ductor, fatali Comitis invictiſſimi dextrâ proſtratus, vidiſſet opimis ſpoliis ovantem Serinum

Vienna ; & caput belli, ab emerito Duce amputatum, plausu tota fuisset Pannonia prosecuta.

Sui securus, ne quâ parte timori esset obnoxius, uxorem liberosque in sinum deponit ejus Reipublicæ, quicum societatem consiliorum bellique in Turcas fœdus conjunxisset. quæ quidem tanti Viri pignora summo cum honore apud Venetos habita, nec sine amplissimis donis ac muneribus postea sunt remissa. Tum fortissimus Imperator eâ curâ solutus, totusque in publicam Christianorum causam incumbens, id etiam piè splendidéque excogitavit, ut solenni jurejurando sese ad aras obstringeret ; præsentique, cui præliaturus erat Deo, planè devoveret.

Eant nunc Romani Decij, ridiculis juxta & impiis cerimoniis ac superstitionibus execrati veriùs quam consecrati. Hic supremo Imperatori & Præsidi victoriarum Deo sacramentum coram sanctissimo Eucharistiæ mysterio dicit: inde animos, inde vires accipit, &
Machab. l. II. c. XV. largissima stipendia. Ac si Judæ illi Machabæo visus olim fuit Vates gloriosissimus, sanctum gladium, munus à Deo porrigere, quo gladio adversarios dejiceret Israëlis ; ecquid novo Heroï, pro aris pugnaturo, ex aris arma suppeditata creditis, Auditores, quibus hostes capitales Christianæ Religionis cæderet ac profligaret; pios jampridem crudelissimè vexatos & graviora passuros tegeret ac vindicaret; *Dei præsentiâ magnificè delectatus*, Deo duce & comite cunctis humanis viribus superior?

Majore profectò quadam vi præditum & animatum esse oportuit, qui tanta non modò supra spem gerendorum, sed ultra gestorum fidem præstiterit. Parum illi fuit hosticos limites perrumpere: in Othomanicarum provinciarum sinum ac gremium penetravit. sua in Barbaros exempla convertit sævitie necessariâ : Quinquecclesiensem urbem amplam & opulentam, quæ simulatâ deditione turmam è Serinianis interceperat, exussit:

vaſtitatem ad quadraginta leucas Sigetho & Caniſæ circumtulit. Tardior eſt mea Serini progreſſu oratio. agmen non ducit; ſed rapit: neque ille curſus eſt victoriæ, ſed volatus.

Ut aſſiduas Turcis Tartariſque ab ſummo Duce illatas paſſim clades omittam; una inſtar omnium expeditio fuerit. Mediâ & ſcilicet aſperrimâ,ut iis oris,hieme, dum alij nullo ſatis tecto vim frigoris defendunt,incenſus animo Serinus in ſubditas Mahometanis regiones irrumpit. poſt exciſum immanem illum Eſſekij pontem, plurimas urbes quà vi, quà deditione occupat: multas conſumit igni; præſidium aliis imponit: ſupra ſex Tartarorum ac Turcarum millia concidit; innumeros in captivitatem abripit. Quid terna equorum, vicena pecorum abacta millia percenſeam? quid ſupra quadragena ænea tormenta, ſigna & vexilla creberrima,è quibus ſeptena in ſpecimen tranſmiſſa ad Cæſarem? vel gregarij & tenuiſſimi quique milites prædâ locupletati, cùm quæ quiſque ex hoſtico rapuiſſet, ea publico magnificoque Serini conceſſu,propria ut jure optimo parta obtineret. Denique, ut rem præcidam, mille hoſtium vicos & oppida Serinus unâ hieme, nec totâ inflammavit; totamque adeo Turcicam in Pannonia ditionem deformavit incendiis,cædibus funeſtavit. O Virum Huniadis & Scanderbegis accenſendum! ô celeritatis, magnificentiæ, fortitudinis prodigia & miracula!

Illud tamen,quanquam ad exitum feſtinat oratio,tranſilire, Auditores, nullo modo poſſum, quod Serino ad urbem Caniſam, quò ipſemet ante obſidionem explorandi causâ acceſſerat, inſigne ad ſtuporem accidit: ubi duodecim tantum equitibus ſtipatus,in ſilva à pluribus Turcarum cohortibus circumcluſus eſt. Quid ageret in iis deprehenſa Virtus anguſtiis? Scimus iniquo & ſaltuoſo loco interceptum Romanum Conſulem jugum non detrectaſſe; circumventum ab Fabio Maximo An-

nibalem, vix aſtu & ſtratagemate evaſiſſe; Marcellum, illum imperij Romani gladium, cùm ſpeculatoris munere Dux ipſe fungeretur, exceptum inſidiis, miserè cum ſuis trucidatum. Serinus neque ignominiam ſervitute ſubiit, nec incolumitatem dolo quæſivit, neque inſidiatorum impetu vitam amiſit: verùm, ſubmiſſo divinitus Croatarum manipulo, in circumfuſam multitudinem erumpens, ſibi Turcarum cæde libertatem, vitam, gloriam aſſeruit. Et quidem in latronum illorum agmine fuit, qui loricâ invictâ & impenetrabili plagas omnes captus eluderet; ut bovis inſtar mactari hominem neceſſe fuerit. Atque is adeo certus ad prædam, ut rebatur, in caſſes delapſam accurrerat, ut laqueum ingentem è ſerico contortum attuliſſet ad vinciendum Serinum, quem Sultanus proſcripſiſſet infinito propoſito pretio, ſi quis vivum mortuumve exhibuiſſet. Ita quem ferro vincere non valebat, auro oppugnabat.

At verò, dum taciti liberato Serino gratulamini, acerbâ ſanè recordatione conturbor, Auditores. Silva illa, ubi ſolus fermè Barbarorum copiis obſeſſus, extremum necis & ſervitutis diſcrimen adierat, id obtrudit quod à me vos dudum expectare videmini; ego invitus ac reluctans, vix adducor ut admittam animo, nedum oratione expromam. Cogitatione, mihi credite, perhorreſco; cùm Imperatorem omnibus virtutum numeris & partibus abſolutum; poſt Sigethanas, Eſſekianas expeditiones; poſt æquatas pugnis victorias, poſt urbes gentesque uno armorum impetu & continenti ſerie triumphorum domitas; illum Pannoniæ Vindicem, illum Chriſtianæ reipublicæ Aſſertorem; quem modò è ſilva, ſic tanquam leonem in canes venaticos, in confertos hoſtes erumpentem ſternentemque cataphractos Barbaros vidimus, atroci tragicoque exitu ab apro oppreſſum necatumque cerno.

Tot igitur pericula evaſerat? toties è medio igni ac

ferro ſalvus & incolumis redierat? toties Othomanos fuderat, fugarat, ceciderat, ut apri mole obrutus, morſu cruentatus, infeliciſſimam mortem oppeteret? Quàm optaret in hoſtilium caſtrorum oppugnatione animam & ſanguinem profudiſſe! quàm dignum ſuo genere tumulum in urbium arciumque ruinis inveniſſet! Nunc bello abſtinere per inducias coactus, atque á Mahometanorum vexatione temperare; dum paria cum bello facit aprorum acerrimâ venatione, ſauciam feram inſectatus per confragoſa ſilvarum, vix equo deſiliit ad conficiendam acinace belluam; cùm illa, ad innatam feritatem accedente vulnerum dolore, in rabiem acta, furioſo inſultu dejicit venatorem; incumbenſque totâ mole corporis, victorem iteratis in collo dentibus indigniſſimè jugulat; idque tandem aſſequitur, quo fruſtra hoſtium vel eluſa vel infracta tela adſpirarant.

Hiccine tibi, Serine fortiſſime, ad necem campus gloriæ ſervabatur, ſilva & ſolitudo? hiccine hoſtis, cujus dignitate ultimam calamitatem levares, aper debebatur? hoccine præmium ardor iſte ulciſcendæ profligandæque impietatis? hoc iſta ſolennis ad aras capitis tui devotio? hoc egregia virtus tot laboribus exhauſtis pro Chriſtiani nominis gloriâ meruerunt? O caſum acerbum Pannoniæ, gravem Germaniæ, piis omnibus luctuoſum! uni Turcarum genti lætum, ac ſanè multis in urbibus feſtorum ignium pompâ celebratum! Cùm viderent Pannonici Baſſæ adhuc fumantes vaſtiſſimæ populationis reliquias & horrenda buſta regionum; non potuerunt non geſtire lætitiâ, extincto illo fulmine, cujus impetu conquaſſata, protrita, incenſa circùm omnia ſquallebant. Sublato illo ſcuto, ineluctabili veriùs propugnaculo Romani imperij, gaudiis omnibus triumpharunt.

Eſt illud tamen ſolatium in malis, quòd talem ac tantum virum vir nullus ſuperare potuit; nec niſi victor

vulnerati morientiſque portenti caſu eliſus occubuit. Vixit carus ſuis, magnus etiam ſummis; Regum Imperatorumque gratulationibus ac donis cultus & ornatus; Chriſtianorum omnium & ſermonibus & ſcriptis, nec verò minùs Tartarorum ac Turcarum terrore, fugâ, exitio illuſtratus. Deerat jam exercendæ virtuti bellicæ materies; imperatoriis artibus explicandis campus interclusus. evocatus eſt ab Cœleſti Duce & Principe, poſt immenſos labores, ad certam honeſtiſſimamque quietem; poſt pugnas innumerabiles & victorias, ad palmam & coronam immortalem. Providentiam rerum omnium dominam & moderatricem ſapientiſſimam rite caſtéque veneremur: ac rei Chriſtianæ commodatum ſervatumque ut populos ſervaret, quoad belli Turcici neceſſitas poſtulavit, memori pioque animo gratulemur. Non aliquâ fortunæ invidiâ mors illi prærepta eſt glorioſa; ſed arcano altiorique Numinis conſilio vita quàm-breviſſimo doloris ſenſu repetita, ſeu potiùs cum beatiſſimo ævo commutata.

Quòd ſi longiùs proſpicientes, Chriſtianis rebus à perfidia timemus Barbarorum; non totus obiit Serinus, Auditores: vivit adhuc ſpiratque in Filio, florentiſſimo maximæque expectationis juvene, qui jam ſe abundè Venetorum ſapientiſſimæ Reipublicæ approbavit. Certè cùm domos ſtirpeſque Deus aliis alias dotibus notarit & inſignierit; Serinorum gentem eximio, ut Chriſtianè loquimur, *Spiritu fortitudinis* armaſſe videtur ac decoraſſe, ut excubent in Sancti limitibus Imperij; furoremque Turcicum oppoſitu ſuorum pectorum à Pannonia, Germania, ceteriſque nationibus Chriſtianis, transfuſa Majorum in Poſteros virtute, avertant. Hanc illis propriam laudem perpetuamque, Auditores, precemur; ut Mahometanorum Terrores iidem ſint & Orbis Chriſtiani Deliciæ, belli præſidia & pacis ornamenta.

Videſis, Lector, noſtra de Serinis Comitibus carmina l.2. Heroïcō; ubi miſera viciſſitudo rerum attingitur.

LEONARDI FRIZON

E SOCIET. JESU

OPERA POETICA;

LIBRI XXIV.

Tomus Posterior.



PARISIIS,
Apud SIMONEM BENARD, viâ Jacobea è regione Collegii Claromontani Societatis JESU.

M. DC. LXXV.

Cum Regis Privilegio.

POEMATUM
PARS TERTIA,
LYRICON
LIBRI SEX.

ERUDITO LECTORI.

PRÆFATIONEM huic ego posteriori tomo non præfigam, Erudite Lector, iis dissimilem, quibus partes Operum Poëticorum singulas prætexere institui. Satis amplè videlicet à primo jam vestibulo prolocutus in universam meam Poësin, de Lyrica breviter subjiciam; cùm multa sit in his libris omnibus argumentorum varietas; tum in hac parte tantam esse, quantam ipso titulo indicent Odæ propè ducentæ. Stesichorus quàm sit ingenio validus, materiæ quoque ostendunt, maxima bella & clarissimos canentem duces, & epici carminis onera lyrâ sustinentem; *ut ait Quintilianus. at ipse, meam infirmitatem ne granditas & pondus argumentorum detegat obruatque, pertimesco. Ac primus quidem liber in rebus temporum nostrorum maximis & splendidissimis totus occupatur; iisdem ceteri libri persperguntur. Secundus Transfugium ab Aula, sacræque Solitudinis delicias exhibet. Theandrica Parthenicáque, jam libris heroi numeri tribus affecta, quartus quintusque perficiunt. Atque hi tres, qui pietatis nomine suspecti cuipiam esse possint austeritatis minùs Poëticæ, alio quovis argumento suaviores fortasse non surdo atque hebeti palato reperientur. Sed reliquis copiosiores tertius ac sextus, magisque miscelli sunt; & verò nonnulla cum aliis libris habent argumenta communia. Neque id tamen imprudenter factum argues pro tua sapientia, Lector, si attenderis, & quædam inter ipsam editionem enata, ut odas tres de rebus ab invictiss. Principe Condæo gestis in Belgio; & inscriptioni peculiari cujusque libri non eam inesse vim, ut neget alibi quidquam extare, quod ad hunc locum facilè revocetur. quin & gratiora occurrent quæ non sperabantur argumenta. Lyricæ autem Poësi quæ sit præcipua subjecta materies, præclarè docuit Horatius, ubi scripsit* Musam dedisse fidibus Divos, puerosque Deorum; *ac Pinda-*

rum Deos Regesque canere, Deorum sanguinem. *& ipse Flaccus quoties in Apollinem & Dianam, aliaque Numina profana odas hymnosve modulatus est! Ita divinis rebus, at veris & Christianis, servientem lyram cælo inserui, sideribus consecravi. atenim de piis carminibus abunde in præfatione generali. Jam Lyricorum principi ducique sic institi, non ut* centones *consuerem, crebrasve parodias; sed ut formam exprimerem Poëticam. Idque sine gloriatione (neque enim hoc ingenii, sed voluntatis curæque negotium est) à me præstitum dicere licet, quod à nemine præterea factum memini; ut his Lyricon libris sex (qui variè inter se referuntur, sibique & argumentis concinunt, & multiplici genere carminis respondent) odarum ab Horatio usurpatarum modos & omnes tractarem & solos. nam quæ sunt diversæ formæ lyrica, in extremum rejeci librum Silvarum. Epodos autem proprio libro distinguere non placuit, sed tribus libris posterioribus spargere, varias ob rationes, ac nominatim Theandricon Partheniconque membra ne distraherem. Accedit, quòd nec Flaccus ipse librum illum suum Epodon ex omni parte à superioribus libris distinxit.*

Pro carmine demum Seculari Epicitharisma succinui Delphino Sereniss. ut à quo Lyrica auspicatissimè cœperant, eidē officii debitâ constantiâ desinerent; Principi, qui jam seculi non tantùm certissima spes, verùm & gloria, summi Parentis ad votum crescit, ad Galliæ totiusque adeo nominis Christiani felicitatem. Adjeci nobilissimos fortunæ publicæ felicitatisque artifices duos, assidua cura intentos huic seculi fingendo elaborandoque præsidio & miraculo.

TERTIÆ PARTIS ERRATA
ſic emenda.

PAgina 20. *verſ.* 17. Salus.
Pagina 25. *verſ* 24. Lodoix.
Pagina 27. *verſ.* 27. priùs.
Pagina 30. *verſ.* 7. folium.
Pagina 39. *verſ.* 19. & *pagina* 44. *verſ.* 31. Lodoïx.
Pagina 41. *verſ.* 27. trepidante.
Pagina 52. *verſ.* 6. amore.
Pagina 58. *in* 2. *titulo*, XXIII.
Pagina 61. *verſ.* 18. metanda.
Pagina 71. 73. 75. *inſcribe*, Liber II.
Pagina 112. *verſ.* 3. Herois.
Pagina 118. *verſ. ult.* victor.
Pagina 123. *verſ.* 6. vincere, *lege*, frangere.
Pagina 132. *verſ.* 15. Et mixtæ.
Pagina 139. *verſ.* 22. uberes.
Pagina 140. *verſ.* 25. redimit. *ibid.* honoribus.
Pagina 142. *verſ.* 19. Decerpeſque, tuis quidquid.
Pagina 144. *verſ.* 32. tradidit. & *verſ.* 33. afflavit.
Pagina 172. *verſ.* 2. iniqua. & *verſu* 5. ſtrinxit.
Ibidem verſ. 14. ſuorum. & *verſ.* 15. hoſpitiíve.
Pagina 174. *verſ.* 7. fervent. & *verſ.* 12. genitore.
Pagina 175. *verſ.* 26. coronæ.
Pagina 176. *verſ. ult.* quærit.
Pagina 177. *verſ.* 5. *lege*; paciferam, ceu pia Magdalis,
Pagina 200. *verſ.* 4. revireſcit, *lege*, juveneſcit.
Pagina 216. *verſ.* 23. luſtralis.
Pagina 233. *verſ. penult.* jubet.
Pagina 279. *verſ.* 28. ſplendidius.
Pagina 292. *verſ.* 25. inſultans.
Ibidem verſ. 29. nitenti.

Pagina 301. *verſ. ult.* face.
Pagina 315. *verſ. ult.* petat.
Pagina 321. *verſ.* 4. copias.
Pagina 331. *verſ.* 8. Purpureum.

Ad emendationem erratorum Quartæ Partis hæc adde.

Pagina 442. *verſ.* 16. rigidi. *&* *verſ,* 17. voces,

Si qua occurrent alia inemendata, feſtinationi recognoſcentis operam Typographicam variiſque caſibus ea condonabis pro tuâ humanitate, Lector; pro tua eruditione corriges.

FACULTAS P. PROVINCIALIS Societ. JESU in Aquitania.

CUM aliquot Societatis noſtræ Theologi legerint *Opera Poëtica & Orationes Panegyricas* P. LEONARDI FRIZON ex eadem Societate; eáque cenſuerint ob materiæ dignitatem elegantiamque formæ poſſe ad utilitatem publicam typis excudi; poteſtate ad id nobis factâ à Patre noſtro Joanne-Paulo Oliva Generali Præpoſito, facultatem Autori concedimus Opera illa ſua Poëtica & Oratoria in lucem emittendi. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & officii noſtri ſigillo munitas dedimus, Burdigalæ 19. Martii, an. 1674.

MERCURIUS VERDIER.

SUMMA REGII PRIVILEGII.

CHRISTIANISSIMI Regis autoritate patentibuſque litteris cautum eſt, ne quis *Opera Poëtica & Orationes Panegyricas* P. LEONARDI FRIZON è Societate JESU, abſque ipſius autoris conſenſu, excudat excudendave curet, aut ullo modo effingat intra quindecim proximos annos à die primæ impreſſionis expletæ numerandos. Qui ſecus faxit, indicta pœna confiſcationis librorum coercebitur, aliáque multâ Regio diplomate contentâ. Datum Pariſiis die 27. Junii, an. 1675. Sic ſignatum, de mandato Regis, GUITONNEAU.

Perfecta hæc prima editio fuit die 14. Augusti, an. 1675.



LYRICON
LIBER I.
DE PRINCIPIBUS
AC REBUS ÆTATIS NOSTRÆ CLARISSIMIS.

AD
SERENISSIMUM DELPHINUM
ODE I.

AN. M. DC. LXI.



Auguste Divûm Sanguis, & aureo
Formoſe Delphin ſidere clarior,
Terriſque latè, duplicique
Oceano dare jura natus!
Dum te ſuperbis in penetralibus
Aulæ recentem denſa clientium
Corona, adorataſque geſtit
Officiis celebrare Cunas:

A

Miris ovantem lætitiis Chorum
Admitte, Princeps, candida quas tibi
Siſtitque commendatque Muſas
Pax tenero ſocias Alumno.
Gravi frementes murmure buccinæ
Optata turbis gaudia nuncient:
Aures Puelli delicatas
Ne ſonitu quatiant moleſto.
Mulcere blandis aſſiduæ lyris
Amant Camœnæ; jamque tuas, Puer
Divine, laudes, jam beatos
Voce hilari modulantur ortus.
Non ſic ahenis edita molibus
Longè audiendum ferre tonitrua
Nomen per auras, non faventes
Sic populi valuere plauſus.
Et, artefactis quæ micat ignibus
Turrita feſti machina gaudij,
Nigrante mox buſto fatiſcit
Sordida, pulvereoque fumo.
At orbi & ævo Pierides canunt;
Phœboque amicæ, luminibus Duces
Ornant inextinctis, & Umbras
Morte obitâ ſuper aſtra tollunt.
Agnoſce jamnunc artifices tuæ,
DELPHINE, laudis. quo Genitor ſolet,
Condiſce jam vultu labores
Ingenuos recreare Vatum.
Utrumque mixtis Magne refers Puer
Notis Parentem: nec dubiis faves
Micans ocellis, & potenti
Plectra cies animoſa nutu.
Ut illa blandæ forma ferociæ
Arridet! ut circumflua lilia,
Gemmiſque florentes, & auro,

Prænituit facies amictus!
O nate Divis auspicibus Puer,
Quem Pax & almo cana Fides sinu
Suscepit, ac Ludis frementem
Gaudia concelebrant per Aulam!
Astræa te circum, & niveis comes
Plaudit choreas Gloria Gratiis,
Et juncta Majestas Lepôri, &
Purpurei volitant Amores.
Huc & Napæas, & Dryadas rapit
Ardens cupido, rustica Numina.
Sed fulgor ardentes repressit
Tot decorum: solitâque major,
Et par Olympo Regia summovet.
Stupore DELPHINUM, ac tacito colunt
Pudore; suspensâque Phœbi
Aure bibunt geniale carmen.
Qui Patris altum magnanimi decus,
Martis triumphos, Pacis adoream,
Laurosque consertas olivâ
Extulerat, Paphiâque myrto;
Te, dulce pignus, te columen canit
Secli ruentis, lux hominum, Puer,
Divûmque munus. jam tenellæ
Nectit Honos diadema fronti.
Apollinares docta sequi modos,
DELPHINE, primum * Gallia fervidi
Vectigal æternique cultûs
Obsequio properat fideli.

Cal. Nov. Cœlitum omnium festo solennem diem habuit natalé in regio Fontis Bellaquei castro.

* Genethliaco, l. 4. Heroicon.

LUDOVICI MAGNI
NOVA BELLI DISCIPLINA.
ODE II.

JAM, conſorte ſui Rege periculi,
Spretâ morte ferox miles, & inclyto
Quidvis auſpicio fervidus aggredi,
Sudoremque alacer ſanguine miſcuit.
Spectatore animos Principe ſentiat
Et vires pariter creſcere prodiga
Vitæ Nobilitas; quid, ſocio & Duce?
Urget terribili regia vox tubâ
Et cantu lituorum acrior æreo;
Exemplumque acuit voce potentius.
Hinc ardor Procerum, militis hinc vigor.
Oppugnanda vocant mœnia? cominus
Nudo proſiluit Gallus acinace.
Flexu nec vario protegit aggerum
Acceſſus tacitos, lentaque prælia.
Curet quis ſolitos obſidij gradus,
Ingens BORBONIDES dum regit horridos
Aſſultus; laceris ingruere arcibus,
Lunatíve operis difficiles moras
Et prætenta docens rumpere cornua;
Auguſtumque caput, more gregarij,
Cœcis, ah nimiùm, caſibus ingerit?
Obſtent vorticibus ſpumea flumina;
Adverſoque minax ſtet Batavus ſolo,
Et denſam objiciat Franciadis necem
Sparſo per medios ſulfure gurgites,
Plumbi cum volucris grandine flammeâ.
Ivit flos equitum, quà ſolitæ rates;

Et Rheni tumido victor ab alveo,
Nequicquam oppositos, scilicet & loco
Præfissos, Batavûm dispulit ordines.
Ipso fulmineus nomine LUDOVIX
Æratas acies, hostica robora,
Castrorumque obices stravit & urbium.

INVICTISSIMO HEROI LUDOVICO BORBONIO PRIMO STIRPIS REGIÆ PRINCIPI CONDÆO, SUB IPSUM EXPEDITIONIS BELLICÆ TEMPUS EX GRAVI MORBO DECUMBENTI,

ODE III.

QUÆ te secundis invida Galliæ
Fortuna rebus, prælia dum paras,
Tentare, Princeps, insolentis
Audet atrox per acuta morbi?
Illa, illa Belgis scilicet hostibus
Amica pugnat vis nimio potens
Dolore: CONDÆUM, quod armis
Haud licitum, scelerata vincit.
Ergo vel ipso nomine gentibus
Longè tremendum sternere ovat Ducem,
Heu, sæva labes! Nec minacem
Ferre Viri potuere vultum,
Fractura ahenas mœnia machinas,
Tot septa circùm Vesala molibus,
Fossisque & undis, occupato
Providus obsequio Batavus.

Non usitati Martis imagine
Ultro subibant prætrepidæ obvio
Arces triumpho : jam superbas
Ambitio rapiebat urbes.
Victore tanto dulce capi decus.
Ac fulminantis Tholusiâ plagâ
Herois, ah, lævam cruento
Ni laceram violasset ictu,
Plumboque & igni vulneris artifex
Glans dira, cæcus quam mediâ furor
In strage displosit ; reclusis
Amstela nil remorata valvis,
Tendens inermes suppliciter manus,
Francos vocabat. Plus globulus, seges
Quàm cuncta telorum, peregit,
Aut Isalæ fluviale vallum,
Arausicani viribus agminis,
Ductisque Druso gurgitibus ferox,
Aut ipse torvo Rhenus amne
Cæsareis metuendus armis.
Nunc & Batavis, nunc & Ibericis,
Immitis, acer, subsidio venit
Morbus catervis, Martiumque
Apta lues cohibere fulmen.
Latè paventis turbida Belgij
Per arva cæso jam toties fugam
Suadens Leoni terror, & jam
Teutonicas Aquilæ per auras
Tantis repulsæ motibus, & graves
Victrice plagas jam toties manu
Passæ, remisit ; jamque Rheni
Liberiùs volitat per oras.
Gaudetis, hostes ! sic bene publicis
Curis medetur BORBONIDÆ labor,
Unius & languore visa

Auſtriacis revalere virtus.
At, ecce, membris tetra fugit lues.
Tot ille Victor ſplendidus agminum,
Tot urbium, Princeps, furentem
Et valuit ſuperare morbum.
Timete faſtûs hoſtica vindicem,
Crebroque notam fulmine dexteram
Timete, propugnacla, caſtra,
Agmina. Jam validus reſurgit
Heros, & armis expedit inclytas
Vireſque & Artes; ingenium ſagax,
MAGNOQUE ſacrum LUDOVICO
Conſiliique animique robur.
Tu verò amantis prælia Franciæ,
Princeps, & arcis lux Heliconiæ,
Qui noſtra dignatus requiris
Carmina, præcipitemque Muſam;
Hæc gratulantis ſuſcipe munera
Blandus Poëtæ. Pignore jam tibi
Devinctus, auguſtos amico
Præcinit augurio triumphos.

AD SERENISSIMUM HENRICUM BORBONIUM, ENGUINEUM DUCEM,

BURGUNDIÆ COMITIA DIVIONE HABENTEM, AFFLICTA PARISIIS VALETUDINE INVICTISS. PRINCIPIS CONDÆI, PATRIS,

ODE IV.

HEROIS Soboles, Patri
Heros aſſimilis, ſeu vocat horridæ

Clarus militiæ labor,
Seu doctum placidæ Palladis otium!
Ah, quid te patrio procul
Aspectu rapidis curribus abstulit?
En suspensa periculo,
Languens, ægra metu, magna Lutetia,
CONDÆIQUE doloribus:
Curis Aula simul tristibus æstuat;
Morbo sollicita ingemit
Consors emerito Gallia Principi.
At tu, deliciæ Patris,
Ingentisque animæ dimidium avolas;
Pars & carior altera,
Inter fata jacentem aspera deseris!
Sic, quæ dulcia vincula
Sanctus nectit Amor, quæ Pietas fovet,
Pulchri vincula sanguinis
Sic divellit Honos imperiosior?
Ibas haud medicabili,
Dux, confixa gerens vulnere pectora,
Res quò publica Principem
Regalisque sacrum fas agit obsequî.
Quin testem ipse gravi fugit
Te morbo Genitor, conscius indolis.
Visu scilicet acrior
Urat, languidior quì subit auribus
Cor sensus penetrabile,
Amotâ leviùs Prole dolet Parens.
Heu quò vis recidit virûm!
Ut gaudet Proceres Numen, & arduos
Rerum sternere vertices,
Mortalesque sui pulveris admonet!
Urbes ille potens manu,
Gentes & rapido dejicere impetu,
Sævis ecce doloribus

Princeps ac miſeris diriguit modis.
Et tantum potuit malus
Stringens articulos humor, & intimis
Flammas oſſibus implicans;
Invictumque domat morbus iners Ducem!
At ſtratis animus tamen
Membris exuperans, acer & igneus,
Duræque impatiens moræ,
Gradivum meditans imminet hoſtibus.
Nec tam fervida febrium
Torquet membra lues, quàm ſtudii ferox
Ardor belligeri, novos
Armorum ad ſtrepitus corda micantia.
Jam vernus rediit tepor;
Turmas jam reſides tympana concitant:
Vitâ Gloria carior
Regiſque & Patriæ BORBONIDEN rapit.
Morbi ſed retinacula
Erumpentem animum lenta premunt, neque
Accingi violentia
Ferro terribilem dira ſinit manum.
Haud ignobilis otii
Paſſus ſegnitiem; quod ſupereſt, libris
Longos interea dies,
Noctes & ſolidas condere amat vigor
Celſi ſplendidus ingenî,
Doctrinæque avidus, nec ſaturabilis.
Et jam bella ſonantibus
Aures hiſtoriis commodat, aulicis
Et jam dividit artibus
Indefeſſa ſuas mens agitans faces.
Hæc morbo requies adeſt,
Priſcorum monimenta, & variæ recens
Artis quæ labor extudit,
Lenimen rigidis ſuave laboribus.

Ingratâ ſileam lyrâ,
Queis Muſas facilis ſpargit honoribus?
Paſci carmine lætior,
Vel Silvas tenues obvius excipit;
Communemque probat ſibi
Tecum, HENRICE, novæ laudis adoream.
Hinc vati calor additus;
Summis qui rudior laudibus artifex,
Obliquâ timidè * fugâ
Veſtras ille priùs carpere laureas
Auſus, nunc etiam leves
Cantu delicias tentat idoneo.
Tandem victus, iô, cadit
Morbus, Franciadûm nec tulit anxia
Divis vota faventibus:
Diffugitque Metus, publicus & Dolor.
Nunc Soteria Soſpiti
Muſæ Pieriis accelerent modis:
Nunc Mavortia claſſica,
Lætis & reſonent tympana plauſibus.
Jam Sol dulciùs enitet;
Formoſam faciem gratior explicat
Natura; & cupidis fremit
Certans officiis Aula, Lutetia,
Quanta eſt Francia: nec minùs,
Franci quidquid amans nominis, accinit
Grates Cœlitibus pias,
Palmarique vovet ſecula Principi.
Tu pars optima gaudii,
Salvo Pegaſeis huc age curribus,
Princeps, huc revola Patri:
Accreſcant cumulo mutua gaudia.
Burgundæ ſtupuit Ducem
Flos gentis, Procerum lumina; Regio
Quantus munere, quàm Patris

* In Silva ad Cleobulum.

Inſtar, magnifici ſplendidus eloquî,
Pronis auribus influas,
Regi ſubſidium ſtrenuus appares.
Huc, optate, novas redi
Laudes uſque ferens. Mox aliam redux,
Obſeſſamque periculis
Belgas in medios corripies viam.
Quò te Regis aget decus,
Ibis dura alacer quælibet aggredi.
Jam latè trepidantibus
Terris, imperio clarus, & impetu
Ardens fulmineo, tuas
Infer Dux acies. Auſpicio Patris
Exemploque, per hoſtium
Stragem purpureas collige laureas.
Rurſus cum Patre ſoſpitem
Feſtis excipiat Gallia cantibus.

VENETORUM

HELLESPONTIACA VICTORIA

DUCE LAURENTIO MARCELLO.

ODE V.

UT laureatæ creſcit adoreæ
Felix acervus! nempe ſequacium
Nectit triumphorum catenam
Relligio; Venetaſque Ponto
Referre palmas lætior advolat,
Jam non inermis, jam bene ſordida
Cruore Turcarum recenti,
Barbariæ domitrix virago.
Quà Pontus Helles, aggere nautico
Junctus, paventi Perſida Græciæ
Infudit, inſanique vaſtum

Ferre jugum gemuit Tyranni;
Ibant latenti ſub ratibus freto
Byzantiorum examina militum,
Cretæque ſupremum ferebant
Exitium; properare Baſſa,
Fauceſque juſſo vincere Dardanas,
Quas bellicoſi viribus Hadriæ
Obſedit, Ægæo imminentem
Certa Getam prohibere Virtus.
Tu Chriſtianæ murus aheneus,
Scutumque gentis non ſuperabile;
Ac publicæ Europes Salutis,
Gens Venetûm, Fideique Cuſtos!
Ite, ite fortes æquoris incolæ
(Undas, & auras conciliat Fides,
Cælique turmas) ite toto
In jugulum Mahometis enſe.
Vel ſi trecentæ portubus hoſticis
Naves agantur cum fremitu ſali, &
Labore ventorum, atque arenas
Janiſaris Libycas adæquent.
Virtute conſtat, non numero virûm
Fortuna pugnæ. ſic Marathonii
Campi docebunt: Xerxe teſtis
Nobilior Salamis fugato.
Armenta Lunæ ſternite inertia,
Marci Leones! ſpargite, rumpite;
Fretumque, phocaſque, & carinas
Sanguineis cumulate acervis.
Neptuniorum Martia militum
Experta fœdis pectora cladibus
Horrebat, oblatamque pugnam
Threïcius fugiebat hoſtis.
Ergo in receſſus abdere ſe freti,
Amare littus, fulmineis ubi

Eroæ, Abydenæque turres
Molibus intonuere in altum;
Puppesque amicas præsidio tegunt,
Arcent Latinas missilibus globis.
At nulla præsentis moratur
Euganeos facies pericli.
Circumsonantum per medios volant
Nimbos pilarum, sulfureas neces:
Ardente nec fractos procellâ
Fluctibus explicuere cursus.
It Mocenicus turbinis in modum;
Classemque vectus trans Othomanicam;
Angusta victrici carinâ
Occupat, & trepido receptum
Præcludit hosti. Tum Melitensium
Devota sacræ militiæ cohors,
Remisque velisque insequentum,
Per domitas equitavit undas.
Fauces easdem jam tenet agminis
Dux Hadriani, Thracibus acrior
Instare; Marcellique nomen,
Atque animum referens Quirini,
Qualis Sicano victor in æquore
Spectatus olim. Quis latebræ locus,
Fugæve, Thraces? quid recessus
Iste maris, rapidaque ripæ
Flammâ furentes? quid speculæ juvant,
Brevique propugnacula Nereo
Imposta, & ignitum carinis
Naufragium Hadriacis minata?
Perrupit omnes Euganeus vias;
Prorasque proris, & manibus manus
Confert; inaccessumque littus
Belligero populatur igni.
Fatale telum, sæva necessitas,

Turcas obarmat. Christiadas agit
Invicta virtus, & coruscis
Septa Fides Superûm catervis.
Iô Triumphe! velivolos, age,
Inscende currus; cæruleas comæ
Accinge frondes, quas rubenti
Coralio bene Creta nectat.
Phryxæi iniquos antè sinus freti
Tentare inaudax, vicit in hosticâ
Latinus undâ; barbaramque
Jam Tenedos patefecit arcem.
At decolori Pontus inhorruit
Fluctu cruentus. densa cadavera,
Arcusque lunatasque peltas
Miscet agens, lacerasque puppes.
Vix tale quondam Threicio decus
Ex hoste partum, cùm Tagus Hadriæ,
Tibrique junctus, fœderatam
Marte pio dedit ire classem
Naupacti ad oras. Bassa breves fugâ
Classis superbæ relliquias rapit.
Fugêre bisseptem triremes:
At reliquas inimicus hausit;
Quo nullus usquam lætior ardeat,
Ignisve, pontusve; aut spoliis ovans
Victor, celebrandæ reservat
Per populos monimenta pugnæ.
Tibine tantæ præmia laureæ,
Haud parte ab omni Christiadis favens
Fortuna, Marcelle, invidebat
Fulmine percutiens caduco;
Ne gratulantum muneribus Patrum,
Ducisque pulchris laudibus auctior,
Dum Fama victorem sonaret,
Ad patrios veherere portus?

At, si relatæ non licuit frui
Honore palmæ; major Olympia
Per templa ducetur triumphus;
Digna tuis statuente Christo
Trophæa factis. Hic tua, næniâ
Indigna, Pæan funera concinet:
Rostrata, pro tristi cupresso,
Palma teget tumulum virentem.
Feres perennis lumina Gloriæ
Pro luce, cujus glans fragilem ignea
Effôdit orbem, Mocenice,
Difficilem ut penetrare Ponti
Sinum docebas. clavum agè debitum,
Non imperandi tu rudis artium,
Victoriæ Princeps, capesse,
Laurigeram moderare Classem.
Nec te triumphi prætereat decus,
Virtutis ingens Farnesiæ jubar,
Horati: Alexandrique avitam
Vise mari retulisse laudem.
Iô, Getarum strage superbior,
Iô Triumphe! (sic meruit Fides
Invicta) navali piorum
Tempora cinge Ducum corona.

MORS LAUREATA LAZARI MOCENICI VENETÆ CLASSIS PRÆFECTI.

ODE VI.

Turcas navali prælio Laurent. Marcellus ad Hellespontis fauces an. 1656. profligarat: eaque in pugna Mocenicus jam privatus (cui Marcellus in maritimam præfecturam successerat) egregiam Reipublicæ navarat operam, oculumque amiserat ignitæ glandis ictu effossum: ac Marcello in ipsa victoria extincto, iterum classis delectus Imperator Lemnon ac Tenedon ceperat. sed parem cum Marcello fortunam expertus; dum Barbaros eodem, quo anno superiori, loco funderet; tormentario globo in sulfurati pulveris acervum illapso, cum navi prætoria interiit bis victor.

TERRIS exiliens, aërias secat
Mors falcata vias: ebria sanguine,
Flammis cincta, ferox, nec sine laurea
Sigæo involitat freto.
Hellespontiacum, Barbariæ novâ
Mocenicus ovans clade iterat sinum:
Lemnonque ac Tenedon, quâ peperit manu,
Belli præmia protegit.
Quantus se ille Duci, tot decorum capax,
Angusto explicuit campus in æquore!
Quantis attonitum ferrea miscuit
Tempestas mare fluctibus!
Hinc Europæ oculos, hinc Asiæ tenent
Conserta in medio prælia gurgite:
Hinc Æther Veneto militat; hinc Scythæ
Orcus cum Furiis adest.

Sed

Sed quid belligeri claſſica Tænari
Poſſint fulmineas in Superûm manus?
Marcus fracta Erebi, ceu rapidus leo,
Turpi monſtra dedit fugæ.
Marci per medios auſpicio Getas,
Mocenice, ruis: nec tua, qui rates
Diſperſit ſocias, corda movet Getis
Conjuratæ Hiemis furor.
Totis Ottomani viribus imperî
Dux oras pelagi maximus inſidet:
Turritis coiit Dardanium in fretum,
Quanta eſt, Turcia claſſibus.
Ferro ignique manus innumeræ premunt:
Tu devota neci pectora martiæ
Offers, tela volans inter ahenea,
Terræque & pelagi minas.
Quò tanto raperis concitus impetu,
Heros? ah! patriæ, parce, periculo
Ne fortis nimiùm, gaudia funebri
Planctu civica deteras.
Infeſto propior deſine littori
Disjectis Arabum incumbere puppibus:
Marcellique memor, Barbaricis cave
Dum circumtonat ignibus.
Quis tormenta ferus repperit ænea,
Haud invento animum mollior artifex?
In morteſne parum vulnificus chalybs
Et ferri fuerat rigor?
Cyclopum horriſono, crediderim, ſpecu
Artis letiferæ condidicit modos,
Gentes qui docuit martia fuſili
Ære accendere fulmina.
Nam quo ſe clypeo provida muniat
Virtus, alitibus cùm petitur globis,
Qui perrumpere ament ſtantia ferreis

Propugnacula mœnibus?
Ardens ſulfureo dum pila turbine,
Et cœcis glomerans aëra nubibus
Ventos antevolat; perdidit in malo
Terror præcipiti fugam.
Marcellum, ah! Venetos certior in Duces
Victorem abſtulerat; nunc etiam tuum,
Mocenice, caput vis rapit acrior,
Lauros promeritum novas.
Pugnæ ſorte pari redditus & dolor,
Et ſollenne decus. Plumbea nec ſatis
Antehac glans oculo ſæviit eruto!
Tanti vix Tenedos fuit.
Quo centumgeminus conciderit Gigas;
Telum flammivomis molibus editum
Nitrati ut cumulo pulveris incidit,
Navis diffidit alveum:
Prætoremque ſuæ fragminibus ratis
Involvens, piceo jam medium rogo
Effert, ſanguineo jam temere freto
Vulcanus lacerum abjicit.
Sublimem fugiens aura perhorruit
Jactatumque Ducem fluctibus igneis:
Victorem trepido ſpumea vortice
Tethys deciduum tremit.
Nocturno haud aliter cernitur æthere
Sidus præcipitans ducere flammeos
Tractus, & liquidas imbriferi Jovis
Signare augurio vias.
Heu! magnæ ſpolium ſic animæ cadit:
Et nunc Odryſios inter acinaces,
Contoſque & pharetras, ſignaque bellica, &
Remos tranſtraque fluctuat.
At leſſum prohibet certa Ducis comes
Virtus. Degeneri ne querimoniâ

Herois meritâ laude ſuperſtitis
Victricem increpita necem.
Sic effata, ſacro ſplendida funeri
Pompæ non ſolitæ fercula congerit,
Exceptum armiſono corpus ab æquore
Reddens Hadriacæ rati.
Sævis & ſuus eſt vulneribus decor.
Dignum horrore coli, ſemirutum caput,
Armatam retinens ore ferociam,
Spirantes animi notas.
Tum caram placido Diva fovens ſinu
Mentem ſidereis intulit arcibus,
Queis Chriſto emeriti ſigna micantia
Heroës ſuper explicant.
Illic victa premens monſtra Georgius,
Et qui Mauritium circumeunt Ducem
Thebani Socii; quotque aliis piæ
Geſtus militiæ labor.
Cincti purpureis tempora laureis
Læto concelebrant prælia carmine.
Palmâ dextra viret fortis Olympicâ
Et pictus trabeæ nitor.
Felix morte obitâ victor, iô, chorum
Mocenicus init, non ſine plauſibus
Gratantum Superûm; clarus & aureis
Armis vincit Oriona.
Illic & rutilis auget honoribus
Heroas Venetos, quos animus flagrans
Bellatrixque Fides vexit ad æthera,
Marco haud indecores duci.
Marcello graditur præcipuè comes;
Lunamque Odryſiam ſub pedibus videt;
Raucarumque terit fulmina nubium
Et Martis dubias vices.

ALEXANDRO VII.

PONTIFICI MAXIMO

Cum ipsi Autor Fidei Triumphum dicaret.

ODE VII.

O Qui ſupremæ tergemino potens
Regno tiaræ ſidera contines,
Terraſque, Alexander, Deique
Vindicibus loca feta flammis;
Quem, dedicatis pingue liquoribus
Trans aſtra tollens Relligio caput,
Omniſque Virtutum corona,
Pieridum chorus omnis ambit!
Tuis triumphans auſpiciis Fides
Nunc evolutis nubibus emicat,
Romamque victrix laureato
Per populos volat acta curru.
Sceptro abdicato magnificè tuos
Chriſtinam ovantem dejicit ad pedes,
Geſtitque regalem beato
In gremio poſuiſſe laurum.
Hanc Spes, & albo conſpicuam Salu
Velo ſequuntur, non ſine Gratiis:
Auroque præfixis, & igni
Caſtus Amor jaculis coruſcat.
At implicatis horrida viperis
Fugit rubentem fulmine dexteram,
Et nocte ſe condit profundâ
Hæreſis, atque Acheronte toto.
Quod vivis, una eſt, quodque agitas, Fides.
Vim contra, & hoſtis multiplicis dolos
Servare inoffenſam laboras

Christiadûm, sine fraude, terris.
Sanctis ut altè Montibus insides
Custos; in omnem lynceus excubas
Europam, & instantes procellas
Sidereâ specularis arce;
Ne Turca Cretæ relliquias breves,
Agrosque & urbes Dalmatiæ voret:
Tandemque deprensos Quirites
Cornibus impediat dolosis,
Quæ Luna in Orbem crescere sedula,
Pejor cometis sanguineum rubet;
Ventosque, & immanes tumultus
Hadriacis minitatur undis.
Pacisque eodem pectore concipis,
Bellique curas, quale decet, sacri,
Vocando civiles in hostem
Auspicio meliore pugnas.
Viros, triremes largior, & tuos
Præbere Divos, Euganeis opem
Hortaris, exemploque adurges
Christicolas properare Reges.
Cælo evocandi certior auxilî,
Bene-ominatas suppliciter manus
Tollis Quirino colle Moses,
Belligerâ pietate vincis.
Sigæa, testor vos, freta, nobilis
Theatra pugnæ. fumat adhuc Thetis
Ægæa, Turcarumque latè
Spumeo atrox recalet cruore.
Neque occupatam turbine Martio
Jacere passus Sarmatiam, graves
Sacrorum, Alexander, ruinas
Subsidio relevas amico.
Commissa nulli, quàm tibi, pulchriùs,
Divina rugis Sponsa cadentibus

Custos montium, Alexandri lemma ex D. Malach.

Primæ reflorescit juventæ
In speciem sine labe Virgo.
Non tu profanis spargere sumptibus
Gazam sacratam prodigus, aut sacros
Avarus in sumptus, profusis
Sanctũ agitas opibus Triumphum.
Hæc nempe tanto debita Præsuli,
Servata tanto laurea. Chisius
Adhuc, & Arcani Minister
Magnificis segetem Triumphi
Curis pararas. Ac meritum probat,
Cùm rite * sacro perlita balsamo
CHRISTINA ALEXANDRÆ decorum
Nomen amat, MARIÆQUE nectit.

* In Sacram. Confirmat. Maria-Alexandra cognominari voluit.

AD CHRISTINAM

SUECIÆ REGINAM SERENISSIMAM,

De sua Romam triumphali profectione.

ODE VIII.

AULÆ deliciis marcida pectora
Æterno jaceant in latebris situ,
Informemque sepulcro
Vitam turrigero premant;
Quales Memnoniis gentibus imperant
Reges lucifugi, Barbaricum genus,
Indignique videri, &
Lucem cernere publicam.
Gustavi Sobolem non ita turpibus
Involvi tenebris degenerem juvat,
Nec mutare superbo
Mollem carcere Regiam.
Haud tu fœmineo ingloria pectore,
Majoresque viris, Virgo, animos gerens,

Regni culmine Sueci
Calcato altior emines.
Arctoi neque te ſepta palatii,
Immenſæve labor detinuit viæ:
Terras curris, & undas,
Quò dux cumque Deus vocat.
Germanos levibus tu populos rotis,
Et Scaldis peragras littora Belgici.
Subſedêre nivali
Alpes attonitæ jugo:
Nec Pœni memores Hannibalis notas,
Nec mox aërios, quos vagus Hercules
Impreſſit, nebuloſis
Oſtentant ſcopulis gradus.
Tranſcenſu meliùs nempe ſuperbiunt,
Heroina, tuo; magnaque poſteris,
Quæ veſtigia adorant,
Vix credentibus offerent.
Dein pictâ Eridanum claſſe perambulas,
Apennina volans dorſa micas ſuper:
Emenſamque triumpho
Lætas Auſoniæ plagas
Roma excepit ovans, nunc quoque gentium
Princeps, quamquã aquilæ fulmen, & imperî,
Quo Germania gaudet,
Amiſit veteris decus.
Numquam ſanguineis Martia præliis
Urbs, quantùm placidis Chriſtiadûm ſacris,
Latum jura per Orbem
Vano ſub Jove protulit.
Major Cæſareo nomine Pontifex
Terris imperium longius explicat:
Pro ſceptris gerit alti
Claves ætheris arbitras.
Sed nec laurigeros dum Capitolio

Curru Roma duces invehit aureo,
Pompam vidit honori,
Heroina, tuo parem.
Pompæ materies, ac decoris caput,
Incorrupta Fides: palmaque ſanctior
Aris inſita fulget
Victâ nobilis Hæreſi.

AD EANDEM
DE SUO IN GALLIAM ADVENTU.
ODE IX.

SACRORUM domino ſat Latio datum;
Necdum expleta licèt Roma, cupidine
Ardens uſque tuendi,
Longis ambit honoribus.
Fido nota vocat fœdere Gallia,
Parnaſſi ingenuis notior artibus,
CHRISTINAMQUE ſonare
Muſis docta clientibus.
Ceu Phœbus liquidum permeat æthera,
Et mundum radiis luſtrat, & arduas
Splendens axe viator
Mutat Signiferi domos:
Tu, quam non patriis Suecia finibus
Cepit (magna aliis, ſed dominâ minor)
Regno, Auguſta, relicto,
Europæ varias obis
Illuſtraſque plagas, publica Gentium
Lux, & Caſtalii gloria ſeculi:
Optato quid amantem
Fraudes munere Galliam?
Spargit mortiferam Parthenope luem
Latè per populos. Deſere, deſere

Terras peste nocentes,
Cælo debita Gallico.
Fluctus, ne dubita, scinde Ligusticos;
Applaudunt virides Nereidum Chori,
Festivisque triremem
Læti flexibus ambiunt.
Phocœæ rutilant tecta Coloniæ:
Turritos agedum Massiliæ subi
Portus, unde salutans
Tormentis fragor intonat.
Quantis exiliens Francia gaudiis
Illustrem hospitio suscipit Advenam!
Quam Regalis ubique
Pompæ lux oculos ferit!
Te Princeps meritis officiis colit
Legatus celebri Regius agmine,
Reginasque triumpho
Nomen ducere idoneum;
Florens Austrasio sanguine Guisius,
Cui junctæ Charites, Aulicus & Lepos,
Hyblæoque madentis
Linguæ copia nectare.
Nec Francas Italis cedere honoribus
Fert urbes Ludovix. Jam video procul
Extra mœnia fusis
Campos fervere civibus:
Jamque alas equitum, jam peditum globos
Ludicrâ innocui Martis imagine
Ferri, non sine grato
Spectantis populi metu.
Toto signa volant aëre serica;
Pennis conspicui versicoloribus,
Auratisque coruscant
Telis cum duce milites.
Claris rauca tubis tympana concinunt;

Murales reboant pulvere machinæ,
Confusæque tumultus
Pulcher lætitiæ fremit.
Procedunt meritis, ac trabeis graves,
Gratanturque Patres Regificum decus,
Quo, Christina, inhiantes
Urbes hospitio beas.
Te, major Tiberi, cæruleus Liger,
Te ridens niveis Sequana liliis;
Phœbi Regia poscit
Te formosa Lutetia.
Famâ, perge, venis major, & artium
Princeps, & soliis altior, & sacro
Jam divina triumpho,
Quem Romana tulit Fides.

FIDEI
EX CHRISTINA TRIUMPHANTI,
ODE X.

IO, triumphis læta recentibus,
Interpres almi, Dia Fides, Patris,
Qui visu inaccessam profano
Lucem habitat, solioque circum
Fundit tenebras, septaque nubium:
Virgo, cruentâ quam bene purpurâ
Nigramque, formosamque Christus
Induit, edomitisque jussit
Regnare terris. Te Capitolii
Æterna sedes, relligionibus
Purgata fœdis; te coronæ
Cæsareæ, positoque fastu
Ad ima strati Regum apices colunt:
Gentesque ab ortu Solis, ad Herculis

Quæcumque porrectæ columnas,
Supplicibus venerantur aris.
Miratur Orbis, ſponte jugum novæ
Sub legis actus. Suada tibi loquax
Ceſſitque, & arguti Lycei
Conticuit ſtupefacta turba.
Quanquam impolito dogmata non pri u
Audita ſermone objiceres Sophis;
Truncoque ſuſpenſi colendum
Numinis opprobrium ſonares.
Delubra & aras vertis inanium
Victrix Deorum. purpureæ Crucis
Sublime defigis profanas
Inter ovans Labaron ruinas.
Vis illa Cæli (nec dubiis, Fides,
Signis, agentem numine conſcio
Deum probabas) voce motos
In freta præcipitare montes,
Sanare morbos, tela retundere,
Extinguere ignes, obſtruere efferos
Rictus leonum, cumque Letho
Tartareas ſuperare vires.
Inter catenas libera, ſordibus
Nunquàm obſoleſcis carceris; & probro
Decôra, tormentis beata,
Ipſa tuis opulenta damnis,
Per crebra vivax funera, Martyrum
Fecunda gaudes ſanguine, & altius
Præſtas Tyrannorum furore
Virginibus puerisque robur.
Vibrantis inſtar fulguris emicas
Sione ab altâ: ſic rapidâ plagam
Longe per omnem luce curris,
Diſcutiens tenebras Averni.
Vocem Tonantis non fragili ſono

Mittis, remotos usque sub Hesperi
Fines, & Austrinum sub axem,
Ac gelidos Boreæ Triones.
Tu Christiano Dux populo, Fides;
Abramidarum qualis iit Pharos,
Nubes biformis. Quin tu Hebræis
Sternere iter; pelagique secti
Transferre siccum castra per alveum,
Hostes refusis mergere fluctibus
Conspecta; manantesque lacte, &
Melle piis aperire terras.
Utcumque vivâ lampade prænites,
Hæret columnæ Spes, & Amor comes:
Tædam igne flagrantem coruscat
Sidereas imitante flammas.
Magistra Virtutum, & decorum parens,
Puroque mentis conscia lumini,
Sensusque Naturamque supra
Ætherium in penetrale tendis.
Scitis Sophorum certior, unicè
Gaudes Magistri fallere nescii
Secura verbo. nec profana
Stant solido ex adamante fata.
Frustra rebellantum Hæreseon dies
Commenta delet. Tu viridi, Fides,
Firmata clarescis senectâ, &
Pontificum serie perenni.
Oracla dotes, Sancta, canunt tuas:
Flos & virorum moribus integer,
Clarusque doctrinâ; Patrumque
Quidquid habent meliora secla;
Tuis, Olympi filia, militant
Delecta castris agmina: liliis,
Laurisque præcinctas, & astris
Nexilibus retulere frontes.

Percussa tantæ laudis imagine
Christina, Sueci gloria nominis,
Novos adornavit Triumphos,
Diva, tibi, celebresque pompas.
Supplex coronam, & sceptrum adamantinum
Laureti ad aras, Christiparæ dicat,
Palmasque, felicesque lauros,
Hæreseos monimenta victæ;
Quæ non malignis dentibus invida
Corrumpat Ætas; non Aquilonibus
Armata tempestas revellat,
Non trifidus labefactet ignis.
Quantum illa mœrorem intulit hostibus,
Quantamque cladem! jam populus frequens,
Magnique Luthero ejerato
Regia signa Duces sequuntur.
Ecquid moretur? non Pudor improbus,
Non cœcus Error, non brevium tenax
Opum Cupido. Sueca Amazon
Vana docet superare monstra.
Ergo catervatim Ausonii Patris
In verba nuper Teutonas hospites
Jurare, Romanamque vidit
Parthenope geminare pompam.
Augustus & jam Sultzbachius piæ
Vestigia implet grandia Virginis.
Tantas Alexandro Triones
Primitias, Fideique sacrant.
Nec vos triumphum pœniteat sequi,
Calviniani relliquiæ Gregis,
Dum Gallicas vivum per urbes
Advehitur Fidei trophæum.

ARMANDI JOANNIS PLESSÆI CARDINALIS RICHELII LIBER POLEMICUS

Ad revocandos in Ecclesiam Heterodoxos.

ODE XI.

POSTHUMA bella ciet mirantibus incruenta terris
Cæli triumpho jam superbus Heros.
Felix ille quidem regalibus antè victor armis
Stravit rebelles Hæresis catervas.
Cætera si taceant; Neptunia non satis Richelî
Rupella nomen laureasque cantet?
Sed propria hæc laurus, solium sibi nullus unde carpat,
Ducisve jactet militisve partes.
Tota sua est, Martis neque pulvere sordidata laurus,
Labore parta mentis erudito.
Bellonæ medio Scriptor velut otiosus æstu,
Et Pacis inter arma fovit Artes.
Ingenio alta quies, dum tympana buccinæque circùm
Vastoque tormenta obstrepunt fragore.
Illum in castra Fides, Pietas, Themis, additæque sacris
Musis Olympi Gratiæ sequuntur.
Christicolæ mores sic *perficit*, elegante pennâ
In astra tollens, invidens Averno.
Sic Romana vagos, cælestibus expeditus armis,
Ad signa Princeps *Transfugas reducit.*
Docta *Carentonii* præludia senserant *Ministri*,
Omen supremæ visa ferre cladis.
Victis, turrigeras quorum eruit acer ultor arces,
Armandus offert hîc Salutis aram.
Oceano extructos supereminet hoc opus labores:
Hoc purpuratæ Gloriæ trophæum.

LUDOVICI XIII. JUSTI, PII, VICTORIS TRIUMPHALI MEMORIÆ.

Cùm an. M. DC. LXVI. Templum, cujus ipſe, redux ab expugnata Rupella, primum lapidem jecerat an. M. DC. XXIX. jam perfectum ornatumque MARIÆ VICTRICI dedicaretur.

ODE XII.

SECLIS amicum, nec violabile
Stabit trophæi Borbonii decus,
Nimboſa dum ſtabit Pyrene
Magnanimo ſuperata Regi;
Dum fronte Olympum terrificâ minax
Invadet Alpis: quo bene provida
Natura vallo, deſtinatam
Imperio Auſoniam, Comatæ
Formidoloſo gentis ab impetu
Munivit. At vim quæ mora Gallicam
Objecta ſiſtat? non fragoſus
Saxa rotans ſcopuloſque torrens;
Non frigus æternum, & rigidæ nives
Cæloque miſtæ; aut vallibus horridis
Patentia in præceps ſepulcra, &
Vix aquilis juga tranſeunda.
Per inviorum confraga montium,
Ceu prata Virtus mollia permeat,
Colleſve formoſi ſupinos
Tiburis, aut nemoroſa Tempe.
Virtus periclis lætior emicat,

Rebusque robur ducit ab arduis.
    Nec solus Alcides, & audax
        Hannibal aërias ferentur
Transcendere arces. Ivit, aheneas
Moles agendo, fulminis æmulus
    Bellator, & longè tremendis
        Intonuit Lodoicus armis.
Coràm ipse primos instruere ordines;
Pugnæ ipse princeps, ore, manu suos
    Urgere gaudens, perque anhelus
        Nubivagas volitare turmas.
Segusionis dira repagula,
Ferroque vastisque aspera cautibus,
    Disjecit, insultare nimbis
        Victor ovans, trepidisque castris.
Casale captum nec potuit capi.
Terrore magni nominis haud semel
    Servatum, & Hispanos labores
        Risit & indecores receptus.
Vis jura firmat. Mantua Francico
Asserta in hostes Austriadas Duci.
    Regis triumphos, mox amicum
        Allobroges subiere fœdus.
Exin revulsâ Ruscino januâ
Latè trementem pandit Iberiam;
    Perrupta ut olim Pigneroli
        Claustra, Italæ patuere fauces.
Quid Atrebatum mœnia, Belgici
Dicam Leonis rapta cubilia?
    Quid clara Germanas per oras
        Palmiferi monumenta Regis?
Cadente Nancejum Austrasiâ rapit;
Sedana cursu robora proterit:
    Rhenumque captivo Mosellæ
        Adjicit, Alsatiam Brisaco.

Fractos

Fractos sed amnes, & domitis stupens
Trophæa ripis prosequor! en, mari
Depacta, jamdudum vagantem
Prodigia increpitant Camœnam.
Ducto æstuosas aggere per vias
Obstructa Rupellæ Oceanus freta
Sensit, reluctantique frustra
Sustinuit juga dura collo.
Frustra procelloso infremuit sinu;
Tumensque spumansque, & socios vocans
In bella ventos, & furentum
Agmina conglomerans aquarum.
Terrâ potitum denique Principem
Et ipse adorans, imperiosum onus
Demulsit; ac, pulso Britanno,
Fræna pati docuit Rebelles.
Ergo illa Regum spernere contumax
Divûmque leges, illa diu ferox
Rupella, telluris superba
Præsidiis pelagique, cessit.
Artis stupendo tandem operi suos
Insana fastus mœnia, funditus
Excisa, summisere, Francis
Dignæ animis opibusque moli.
Quanquam caducis non opibus stetit
Superba moles, non animis virûm.
Vim tanta cœlestem probavit
Machina, bellipotensque Numen.
Dux belli, & autor consilii, Deus,
Suæ ipse vindex causæ agit, & pios
Juvat labores, sæva Regi
Prosubigens elementa Christus.
Florent amicâ Virgine lilia,
Suspensa nutu quam domino colit
Victoria; & plausis MARIAM

Advolitans comitatur alis.
Agnovit altam Borbonides opem,
Lustrale in urbis compita ferculum
Secutus; augustamque pompam
Rex humili celebrat triumpho.
Tunc erutarum informibus arcium
Surgunt acervis splendida Numini
Trophæa; Rupellæque prisco
Templa micant renovata ritu.
Tunc auspicatâ magnificum imbuit
Dextrâ laborem; dum pia Virgini
Victor Patronæ, sumptuosas,
Digna refert monumenta, grates.
Augusta primi quam lapidis manus
Jactu dicarat, crevit ad æthera
Tot ducta in annos, Conditori
Posthuma laus, operosa moles.
Nunc Templa sacrant Regia Præsules:
Infusa fervet supplice civitas
Pompâ; vaporatumque thuris
Nube locum facibus coronat,
Gemmisque & auro sidereus nitor:
Tubisque plectrisque, & liquido virûm
MARIA concentu, MARIA
Regifico venerata cultu.
Discant, MARIÆ quid valeat favor,
Ducesque Regesque. Et solidam cliens
Mox Galliam Divæ sacravit
Rex memori celebrandus ævo.

ANNÆ AUGUSTÆ,

CHRISTIANISSIMI REGIS PARENTI, DE PRÆCLARA PUERITIÆ REGIÆ REGNIQUE ADMINISTRATIONE.

ODE XIII.

O Lux Auſtriaci ſanguinis ! ô decus
Ingens Borboniis addita liliis !
Regum Progenies, Nupta, Soror, Parens,
Cognatum Superis caput !
Tu donum referens, Anna, ſuum Deo,
Gaudes magnifico ſplendida fœnore,
Et congeſta refers munera Filio,
Suppleſque officiis Patrem.
Materno Pietas ex utero comes,
Et canæ Fidei Relligio tenax
Accrevit Puero, ſedulà dum tuis
Natum moribus imbuis.
Formæ ſidereis floret honoribus,
Vultuſque imperio par animum refert,
Majeſtaſque ſuæ conſcia purpuræ,
Vivis conſita liliis.
Felix Prole Parens, an magis aureâ
Felix Matre Puer ? mutua gaudia
Certant, & paribus blanditiis Amor
Alternas geminat vices.
Nec tantùm placido Mater in otio
Formaſti Sobolem ; crebra laboribus
Duraſti tenerum, nec metuens tubas
Armorumque pericula.
Implumes aquilæ ceu ſuper incubans
Pullos cura fovet : mox, ubi puberes

Alas ſuccutiunt, in vacuum evolans
Nido provocat aëra;
Et ſublime docet rumpere iter ferox
Nubes per medias, atraque fulmina:
Et Reges avium fingit, & arduo
Exercet propior Jovi.
Sic tu ſexum animo vincere fortior,
Eduxti Puerum rebus in aſperis,
Longas ire vias, Martis opus grave
Primâ ferre puertiâ,
Civileſque acies vincere & hoſticas;
Caſtrorum ô eadem Mater, & obſequî
Regalis memorem concilians Deum,
Ariſque eliciens opem!
Palmas uſque tibi ſic meritæ novas
Bellator referat, pulchrior aſpici,
Utcunque os calido flumine regius
Sudor pulvereum lavit.
Mox pacem cupidus, quam patriæ dedit,
Europæ ſolidam condat; & impios,
Tot jam perdomitis gentibus, acrior
Thracas marte petat ſacro.
Tunc Francum Solymæ regia Vindicem,
Tarpeioque jugo Golgotha clarior
Perfuſam Odryſio ſanguine lauream
Auguſto excipiet ſinu.

REGIA SOTERIA

AN. CIↃ. IↃC. LVIII.

AD FRANCIAM

DE LUDOVICI VICTORIS gravi periculosoque morbo.

ODE XIV.

PÆANE ovantes junge lyræ modos,
Et martiales, Francia, laureas:
Defuncta fatali periclo,
Magnifici rea surge voti.
Converte in hostem luctificos metus,
Gravesque curas, queis modò saucia
Regem ambiebas, jam propinquo
Ægra jacens simul ipsa letho.
Communis, eheu, quàm tenui salus
Filo pependit! terret adhuc minax
Imago cladis: mens refugit;
Attonitos vibrat horror artus.
Quàm pænè mersum funere vidimus
Recens trophæum! diriguit metu
Gradivus: effluxit sarissa;
Puniceæ cecidere cristæ.
Invisa lauros trudere pallidas
Cœpit cupressus: tunc pede languido
Victoria hæsit. tunc & hostis
Arma novo stupefacta casu.
Jam fusa campis agmina Belgii;
Dunkerqua Iberis rapta leonibus:
At hoste Rex fracto tremendus,
En, medio immoritur triumpho.

Illum æstuosis turbida febribus
Vis carpit : illi nec rapidum levat
Aut umbra palmarum calorem,
Liligeræ decus aut coronæ.
Non forma Eoo sidere clarior,
Non flos juventæ purpureus, neque
Cognata Majestas Olympo
Implacidum repulere Morbum.
Frustra superbos ænea robora
Postes obarmant, & vigilum cohors:
Ahena nec fatum retardant
Claustra, nec Helvetius satelles.
Mors prædâ onustos expoliat duces,
Vanamque pompæ mutat imaginem;
Axem triumphalem pheretro
Vertit, ebur tumulo curule.
In pulverem, ex quo primum homini genus,
Jussos resolvi non revocabilis
Lex urget; & noxam parentis
Terrigenûm luit omnis ordo.
Addicta letho turba semel, patet
Casus in omnes. hunc gladius metit;
Hunc fluctus haurit. flamma, plumbum,
Cuncta, avidæ data tela Morti.
Pars prima cladis quisque tamen suæ,
Mortem armat in se corpore noxio.
Casasque pastorum pererrat,
Morbus atrox, luparasque Regum.
Tuum ille totis, Francia, viribus
Caput petebat : magnanimum labor
Feralis excepit laborem;
Bella domi graviora Martem.
Nam militari pulvere sordidus,
Pacisque mixtas ore ferens notas,
* Neptuniæ Princeps revicta

* Dunkerquæ.

Mœnia pervolitarat urbis,
Hîc jura captis debita civibus
Sancit Britanni fœderis arbiter;
Vindexque libertatis Heros,
Relligio, tua ſacra firmat.
Caſtrenſi arenâ vix reducem, aulicam
Sedem ad Caleti, protinus occupat
Inſana Febris; ſævit, ardet,
Ceu ſpoliis inhians opimis.
Immane, quantum eſt auſa lues nefas.
Sacrum veneno nec timuit lues
Rubente funeſtare corpus,
Et niveos violavit artus.
O quæ doloris lethiferi ſeges!
Hoc, quem medentum vulnificæ manus
Hauſere, quot quæri cruore
Francigenis potuere regna!

quam ad urbẽ recens expugnatam cum Ludov. excurriſſet, morbo inde contracto graviſſimè Caleti conflictatus eſt.

AD
CHRISTIANISSIMUM REGEM,
DE SUA IN MORBO EXIMIA PIETATE, Fortunæ vitæque contemptu.
ODE XV.

IMAGO ſummi vivida Numinis,
Mortale numen, quis, LUDOVIX, tibi
Tunc ſenſus, heroïque virtus
Pectoris, indomitumque robur?
Nil te fugacis Gloria moverat
Regni, aut Voluptas. Omnia, ſplendidum
Inane, claræ viſa menti,
Aura levis, tenuiſque fumus.
Imaginoſi qualia faſcinant
Senſus inertes gaudia ſomnii;

Errore vel grato morantur
Picta vagæ ſimulacra ſcenæ.
Ludicra rerum deſpicis arduus;
Nec te virentis blandus amor tenet
Ætatis, & vitæ cupido;
Finitimæ neque mortis horror.
Mors nudo & abſens nomine vulneret
Formidoloſos, barbara quos colit
Aurora, Reges; & nefandum
Verba tegant ſinuoſa monſtrum.
Tu neſcienti obrepere ſubdolam
Mortem vetabas; præcipere obvius,
Totamque metiri irretorto
Viſu avidus, ſolidaque mente.
Scit, regiarum teſtis idoneus
Laudum, Adminiſter, purpureo ſinu
Qui Principem educens alumnum
Conſiliis, animiſque finxit.
Morbi inter æſtus, non tamen immemor
Fatalis horæ, jam ſuus, & polo
Erectus, ac major dolore,
BORBONIDES ſua fata vincit.
Sicco perennes lumine lacrymas
Spectat ſuorum, immobilis unicè,
Qui fletur; æternamque verſat
Morte vigil properante ſortem.
Ah, pervicacis cedite, cedite
Venena Morbi. Jam Pietas moram
Fatis, & incenſo medelam
Attulit ætheriam dolori.
Votis calentes aſſiduis Deus
Reſpexit aras, dum populos rapit
Templiſque certatim affluentes
Regiæ amor cruciat ſalutis.
Quin ipſe ad aras victima, regii

Apud Tunquinenſes præſente Rege nefas mortem appellare proprio nomine.
Exegit Rex æger, ſibi ut maturè diſcrimen extremũ denunciaretur.

Solvit pericli grande piaculum;
Stetitque delubro ſub alto
Propoſitus, panacea, Chriſtus.
Quid, Soſpitator cùm pavidam Deus
Intravit Aulam? viſeret ut gravis
Levamen ad Morbi vocantem,
Sidereâ Deus arce venit.
Non ille amictu luminis aureo,
Sed orbe paſſus triticeo tegi:
Præſens & auguſtos honores
Diſſimulat ſine fraude Numen.
Sublustri in umbrâ viſum acuit Fides.
Agnovit, & Rex pectore candido
Totaque adoratum recepit
Mente humilis, famulumque geſſit
Mox æſtuanti pax animo redit,
Quieſque membris. Scilicet hoſpitis
Tanti ſub adventum remiſit
Tetra lues, Dominumque ſenſit.
Vis inde morborum emicuit potens;
Mortali ut olim plurima corpore
Manabat in turbam ſequacem,
Omnigenas medicata peſtes.
Vis alma ſenſim Pæoniis favet
Infuſa ſuccis. Non hominis manu
Mors fracta, non artis magiſtræ
Parta Salus trepidente curâ.
Votis redemptam fruge Opifer dedit
Mirâ Salutem. Major agit Deus;
Regemque majora ad trophæa,
Quem patriæ dedit, ipſe ſervat.

Ultro divinam expetiit Euchariſtiam; ac diem, cœleſti cibo refectus, multò quietiorem habuit.

REGINÆ MATRI

OB SANITATI RESTITUTUM ADEODATUM GRATULATIO.

ODE XVI.

REGINA, sævis parce doloribus
Secura Nati. sollicitam diu
Ah, Mortis elato sub ictu
Jam nimium est tremuisse Matrem.
Cadente Nato, noctem oculis procùl,
Procùl quietem pectore pervigil
Arcebat acri cura morsu:
Ipsa dies sine luce fluxit.
Exesa curis, te dapibus negas;
Salso cruentum flumine flebilis
Pascis dolorem, visa caræ
ANNA supermoritura proli.
Affixa Regis perpetuùm toro
Sic allaboras! Collige te, Parens
Augusta, nunc tandem: revixit
Matris honos, timor antè, Natus.
Sic ille pictæ candidus areæ
Rex, imbre largo fessam ubi lilium
Cæleste cervicem reclinat;
Flora comas laniata mœret.
Nubes iniquas, invida sidera,
Ferumque culpans increpitat Jovem,
Quòd Veris, heu, lætos honores
Fœdat hiems populante nimbo.
At, imbre pulso, firmam ubi lilium
Cervicem apricâ sustulit areâ,
Blandâque majestate risit;

Flora comas religare gaudet.
Tunc Sol amicus, tunc Zephyri placent:
Laudat ſereni tunc faciem Jovis,
Gratatur & ſalvos honores
Nympha avidis relegens ocellis.
Ut mollis argenti ille nitet calix,
Lactive puro concolor, aut nivi!
Jam forma poſt triſtes procellas
Gratior & ſpecies relucet.
Ergo (profana abſiſtite nomina)
Votiva felix dona Parens, age,
Chriſtoque tutelæque Regni
Solvere Chriſtiparæ memento.
Tecum Philippus geſtiet, altera
Spes ille Matris, gloria Franciæ;
Cui vita Germani, coronâ
Dulcior, obſequiumque regno.
Proh mira Fratrum gratia! perdius,
Pernoxque (tantum verus Amor poteſt)
Andinus iratum premebat
Supplicibus lacrymis Tonantem.
Privatæ amantem legis, & arbitri,
Fratrum quietâ lite modeſtiam
Cyri ſuper ſceptro vetuſtas
Jactet, Achæmeniâque gazâ.
Hac regnat Aulâ pulchriùs indoles
Fraterna, & omni fortior ambitu
Natura; Fortunæque calcat
Illecebras, tumidoſque faſtus.
En, ANNA, morum, queis geminam parens
Prolem imbuiſti, præmia colligis;
Gaudeſque concordi tuorum
Fœdere, pacificoque nexu.
Uterque, certans officiis, tibi
Natus, nec unquam degener approbat,

Sereniſſ. Philippi, tunc Andium Ducis, in Regem fratrẽ amor.

Quid ſanguis, & materna poſſit
In teneros pietas amores.
Lux alta magni, Julius, imperî,
Fidumque Regi pectus, & aſperos
Lætoſque per caſus probatum,
Quos animo celebrat triumphos!
Quid Aula, luctu ſordida publico,
Quos deinde cultus induet aurea?
Quas caſtra, florentiſque ſigna
Militiæ paritura lauros?
Jam tota feſtis emicat ignibus,
Jam tota ovanti carmine perſonat,
Grataſque ſollennem per urbes
Gallia Lætitiam reducit.
Hygia Morbos, & trepidos fugat
Longè Dolores. Regis, iò, Salus,
Quot Gallus hoſtili ſuperbos
Clade tulit, ſuperat Triumphos.

LUDOVICO REVALESCENTI

ODE XVII.

Actum fuerat de vehiculo, in cubiculi ſpeciem conformato, quo revaleſcens Ludov. molliſſimè deportaretur à ſtipatoribus.

QUO Dædalei te novus ingenî
Labor, ſuperbæ regia machinæ,
Portabit à morbo recentem,
Lux patriæ rediviva, Princeps?
Prætorianos gloria milites
Urit vehendi. Pondere quæ premit
Impoſta Majeſtas anhelos,
Claro eadem reficit labore.
An & quadrigæ jam patiens tibi
Corpus, viarum nec metuens, torum
Rejecit, ac tecum Salutem
Rheda feret, populique vota?
I, molliores quò, LUDOVIX, vocant

Auræ volentem : ſeu tibi Lalii
Amœna, Vicennæve Saltus,
Seu lepidi placuere Fontes.
Quocumque perges, huc ô Eteſiæ,
Huc mitis Æſtas. frangat & igneum
Virgo leonem : nil minetur,
Et rabiem Procyon remittat.
Hîc ſe innocentis Regia Gaudii,
Hic Franca Tempe lætiùs explicant :
Vireſque detritas labore
Otia reſtituent amica.
Ruri invidentis regna Lutetiæ,
Suis revulſæ jam propè ſedibus,
Quot regiam optarunt ſalutem,
Tot reditum precibus repoſcunt.
Adverſa nudant, proſpera quos ſolent
Celare ſenſus. jam tibi civium
Gratare jam certos amores,
Corda virûm retegente morbo.
Effuſa ſoſpes gaudia conſpicis ?
Francos per omnes qui præiit Dolor,
Fidem ille præſtruxit ſecutæ
Lætitiæ, fugiente morbo.
Damno excitatur ; ſegnior eſt Amor
Securus uſu. Cara periculum
Commendat ; & præſens carendi
Sollicitos timor addit ignes.
Cultu & Tuorum jam mediâ redis
E morte notus dignior. hîc fides
Probata morum ; clariorque
Morbo animus, pietaſque fulſit.
Deliria inter, nil niſi Celticos
Spiras triumphos, grataque prælia :
Ad te reverſus, nil Olympum
Præter amas, Superûmque pacem.

Nunc lapsa tecum volve pericula,
Prudens futuri, jamque tuis mori
Doctus periclis; redde grates
Cælitibus, patriæque curas.
Semel fugatam non fugies tamen,
Invicte, Mortem, tempore cùm suo
Recurret olim. Nunc superstes
Vita novis geminanda factis.
Quodcumque retro vitæ abiit, tenet
Mors; & peractos nil revocat dies.
Impende, cui debes, salutem:
Vive Deo, patriæque, Princeps.
Mentem caduco corpore segrega;
Cæloque, terris altior, immine:
Et pacis, & belli labores
Sic tacita meditare in umbra.
Terrâque, pontoque interea tibi
Trophæa crescent undique sospiti:
Palmisque, Vicennæ sub arces,
Fertilibus nova silva surget.
Salute cari gaudia Principis
Concepta miles nunc alacri manu
Effundit infirmos in hostes,
Damnum avidus reparare morbi.
Tu mox receptis viribus integer
Sanabis ægræ vulnera patriæ:
Errore firmabis labantem
Perdomito Fidei columnam.
Pacemque, bello quam cupidus petis,
Præfers triumpho, victor, &, hostibus
Æquam subactis ferre legem,
Otia Christicolis reduces.
Huc belli, & idem Justitiæ potens
Exemplo adurget magnifico Pater.
Nomenque, Virtutemque servas;

Cœpta pii Genitoris imple.
Adeſt, Parenti Cælituum favor
Expertus olim, Regem ubi territus
Jam morte anhelantem propinquâ
Vidit Arar, lacrymiſque fluxit.
Poſtquam tremendas Herculeo gradu
Subegit Alpes, fulminis in modum
Nimboſque perrumpens, & armis
Feta ruens ſcopuliſque clauſtra:
Lauris onuſtum non ſuperabilis
Heroa morbus ſtravit; & igneo
Cedebat æſtu, qui frementes
Oceani domitarat undas.
At naſcituro provida, Rex, tibi,
Funus paventi provida Galliæ,
Tunc viſa ſuſtentare vitam
Sidera præcipitante fato.
Sacrâ refectus convaluit dape;
Novaſque pingui lætus adoreâ
Surrexit ad pugnas, & altos
Auſpicio Superûm triumphos.
Patri quod unum defuit inclyto,
Cœleſte Pacis perficies opus.
Servata in uſus vita ſacros,
Grande Deo repetente fœnus.

Ludovicus XIII. Lugduni periculosè decubuerat an. 1630. ſuſceptaque convaluerat Euchariſtiâ.

EIDEM CHRISTIANISS. REGI

Pro Societatis Jesu in Venetam ditionem confecta per Legatum revocatione.

ODE XVIII.

Non ſemper tumidis Hadria fluctibus
Spumantes agitat cum fremitu minas;
Infeſtamque procellâ

Præcludit tatibus viam.
Auſtros cùm revocat mollior Æolus,
Et clauſis hiemes montibus obruit,
Emittitque nitentes
Puro vere Favonios;
Stratas riſus aquas mulcet amœnior;
Decurrunt liquido marmore navitæ;
Lætas portus amico
Puppes jam recipit ſinu.
Sic Ignatiadas publica Res diu
Excluſos Venetis finibus advocat,
Fracto mitior æſtu,
Iræ nec veteris memor.
Perfectum arbitriis grande tuis opus;
Rex Auguſte; pii nec tibi muneris
Partem, ſponte ſecuto,
Romanus Pater invidet.
At non liligeris hæc nova Regibus
Venit, nec ſubitas cura dedit preces.
Longum cauſa laborem
Sacri moverat Agminis.
Et, pacis, dubium, major honoribus;
An belli titulis, Borbonius Pater;
Et qui deinde ſecutus
Princeps, Juſtitiæ potens:
Ambo ſollicitis, haud ſemel, invia
Aggreſſi ſtudiis clauſtra revellere,
Obſtructamque ſeveris
Urbem pandere legibus.
Fruſtra. namque tibi, Rex, memorabilem
Servabant Superi laudis adoream.
Tempeſtiva negatos
Conceſſit reditus dies.
Rerum certa ſuus fata regit tenor.
Quod poſcebat Avus, quod Pater, elicis:

Legatuſque

Legatuſque repulſæ
Præcidit ſimilem moram.
Felix clade cohors, Regia quam levat
Transfuſa in ſobolem cura parentium!
Lævâ quam pius ornat
Jactatam invidiâ favor!
Sacris Otmanidûm ferrea pandere
HENRICUS valuit regna coloniis;
Et Chalcedone ſedem
Fixit Chriſtifero gregi.
Pacato volitant per freta Boſphoro,
Primævamque ferunt in populos Fidem.
Romæ diſcidit olim,
Heu, jam barbara Græcia,
Et fœdâ miſeros implicuit lue
Errorum populos. nunc DIONYSIUM,
Et, quam Gallia debet,
Graiis reſtituit Fidem.
Ægæo inſtabiles Cycladas æquore;
Nec non igniferis horrida quas vadis,
Emergente profundo,
Tethys protulit inſulas;
Tractus & Syrios, pinguem & Ioniam
Puris miſſa colit relligionibus
Loiolæa propago,
Tanti numine Principis.
Certum Ignatiadis præſidium domi
Hic idem ſtatuit, cùm Furor impius,
Tortoſque Hæreſis angues,
Atraſque incuteret faces.
Quin tractanda animæ vulnera credidit;
Et quæ Corda pius viva dedit, nece
Idem functa ſacravit
Mauſolæum animans Amor.
Nec Magni Soboles Borbonidæ minor,

Auxit mox patriæ munera gratiæ ;
Quæ tu , Maxime Regum ,
Acceſſu cumulas novo.

SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ

Ob revocatam Societatem Jesu.

ODE XIX.

Regina, celſum quæ caput Hadriæ
Turrita tollens marmoreo ſinu ,
Neptunios Trojæ labores
Vincis , Apollineoſque muros ;
Terris & undis imperio potens ,
Inſanientis cornua Boſphori ,
Vireſque Byzantî ſuperbas
Frangere , Barbaricæque Lunæ !
Tibi Lacænæ fama vetus rei ,
Regina , cedit ; cedit & Atticæ
Confeſſa vinci ; nec Senatum
Martius æquiparare Collis
Auſit verendis cum Duce Patribus.
Nec ipſa , quanquam Regibus æmulos
Diviſque Conſcriptos ſtupebat ,
Roma tuos ſuperet Catones.
Non hîc beatâ partum opulentiâ
Jactare nomen ; non Italis decus
Auctum triumphis , & vetuſtas
Fert animus revocare palmas,
Quas tranſmarinis Relligio parit
Aſſerta bellis. Quid Syrias loquar
Pugnas , & inſignes trophæis
Euganeis Orientis oras ?
Nunc & furorem , vimque Othomanicam,
Invicta tanto pondere , ſuſtines ;

Et sola communem repellis,
Christiadûm velut agger, hostem.
Sed altiori carmine, nec lyrâ,
Famæ sed omni bellica laus tubâ
Sonanda vênit, sæpe iniquo
Antè mihi tenuata plectro.
IGNATIANÆ quid sacra debeant,
Dicam, Cohortis; quam propriis volens,
Et rite purgatam, reponis
Sedibus, ac solito flagrantem
Reddis labori: publica cui Salus,
Summique in omnem Gloria Numinis
Spectata partem. Sic Parenti
Magnanimo, placitumque Natis.
LOIOLA lecti Dux bonus agminis,
Non ille vobis cum socia manu
Ignotus olim, dum benignam
Egregius colit hospes urbem.
Istinc solutâ vector inops rate,
Mortalis ivit conscia Numinis
Ad arva, & imbuti cruore
Lustrifico juga sancta montis.
Istic, phaselo navifragas putri
Remensus undas, moribus imbuit
Plebemque Patresque, & coruscos
Sparsit agens pietatis ignes.
Noctis per umbram vox quoque Numinis
Audita, servum quærere pauperem
Jubentis: & nudâ cubantem
Nactus humo, gelidumque Egenum
Marci ante valvas, Patritius domo
Civis recepit. Neu grave deforet
Omen futuri; posterorum
Fata suo Pater aspra visus
Signasse casu: quippe calumniis

Fœdè petitus, difficili tamen
Emerſit illæſus procellâ,
Clarior & rediit periclo.
Queis non egenos officiis, inops
Et ipſe; quo non cum Sociis pio
Amore complexus jacentes,
Et ſtudio recreavit ægros?
Magno ſecundus XAVERIUS Duci
Quantus refulſit! pleno avidus bibit
Dirum ore tabum. Dedicatus
Haud meliùs labra carbo purget;
Linguamque ſeri temporis augurem,
Quæ Chriſtum Eois gentibus intulit.
Torrente nunc tetros Voluptas
Nectareo bene penſat hauſtus.
Veſtro eruditi pulvere Cælites:
Iſto explicavit ſe, VENETI, Patrum
Virtus theatro, mox per Orbem
Belligero ſpatiata curſu.
Heroa nuſquam degeneres agunt
Exempla Natos. ilicet ordinem
Rectum, & vaganti fræna ponent
Tramite in ancipiti juventæ.
Doctrina mores format, & integri
Legem pudoris. Palladiâ nitet,
Segeſque virtutum palæſtrâ
In patriæ decus alta ſurgit.
Quo pubis illos lubrica pectora
Firmare cultu, fingere cereas
Mentes renarrem? quas profanis
Cum ſtudiis pietatis artes?
Jam templa felix ætherii ſatus
Verbi replebit: jam populus frequens
Rituſque ſacros, nec caducæ
Præſidia excipiet ſalutis.

Et inter audax classica, qui sacro
Devota bello pectora militum
Procuret, exultat Sodalis
Vim socians, Superosque ducit
Commilitones. Ausoniam Fidem
Graiis remiscens involitat plagis
Jesu maniplus. crescat urbis
Imperium, Fideique crescat.

CYPRIANI SPECULA,

SEU

LABORANTIS SECULI CONTEMPLATIO

An. CIↃ. IↃC. LVII.

ODE XX.

Ascende, quò te Punicus evocat,
Donate, Præsul: montis in arduum
Subductus eluctare culmen,
Nostri etiam Speculator ævi.
Hinc Argus olim mysticus Africæ,
Longè trahentis funera seculi
Latéque prospectum petebat
Acri acie radioque mentis.
Heu quanta fati nubila flebiles
Mersere terras! ah miserum chaos!
O fluctuantum scena rerum!
Proh Stygiæ facies Erynnis!
Obsessa cernas arva latronibus;
Infesta cernas æquora, & undique
Horrore castrorum cruento
Sparsa trucis monumenta belli.
Privata mitto crimina, publici
Censor furoris. Sanguine mutuo
Et cæde confusâ redundat

Alluditur ad epist. S. Cypriani Donato inscriptam, & ad Isaiæ caput XXI.

Orbis atrox, ſcelerumque tota
Jam mole certat. Francigenûm, Dolor,
Obvolve clades; ne patriæ (ſatis
Externa colluſtraſſe) tactu
Vulnera dilaceres acerbo.
Procella quo ſe Bætica littore
Franget? quid auro turbidus æſtuat
Tagus? quid averſus remugit
Mincius, Eridanuſque diſcors?
Quid tauriformi Viſtula concitus
Vultu minatur? Vandalici jugum
Superbus excuſſiſſe Regis,
Armiſonâ modulatur undâ
Grates Gedano. Sed quis erit modus
Tot luctuoſæ Sarmatiæ malis?
Victoſne poſt Suecos pericla
Silvicolis iterata Dacis?
Gotho imminentem colligit impetum;
Balthinque Cimber fervidus inſilit.
Boruſſiæ infundenda, tractus
Moſcua Livonicos inundat.
Iô, furentes Cæſareâ domo
Reſtingue flammas, Auſtria. Regiæ
Jam parte conſumptâ, Viennam
Corripiet populator ignis.
Funeſtus, eheu, quot lacrymas tibi
Portendit ardor! ſcilicet Imperî
Flagrantis, extinctique fato
Omen habet grave Ferdinandi.
At, ecce, verſum jam ſolium excitat,
Regalem Olivæ fronde Britannia
Nectens coronam; ſed rebellis
Prodigio tremefacta turbæ.
Fecunda monſtris Tænara pullulant.
Jactata terris Occiduis Fides

Transmigrat Auroram. ferorum
Nil Japonum laniena terret,
Dum regna pandant Sinica Tartari.
Europa telis induitur suis,
Gentesque cognatas in arma
Hesperii rapuere Reges.
Nec Christiani gratia nominis
Pacavit iras? Barbarus ingruit
Marique terrâque, hinc Zacyntho,
Dalmaticæ hinc metuendus oræ.
Gustavus alter cuncta sub ultimam
Permiscet Arcton. dira tepentibus
Grassata tempestas ab Austris
Ausonias viduavit urbes.
Secli misertus, jam speculam fugis,
Donate? fletum parturiens dolor
In corda sævit. jam Videntis
Genua labant, animusque linquit.

LUDOVICO XIV.

SEDANENSIS COLLEGII SOCIETATIS JESU REGALI MUNIFICENTIA FUNDATORI.

ODE XXI.

ORBI tremendum nomen, & Arbiter
Auguste rerum, Cœlituum genus;
Sceptrumque, & altam, LUDOÏCE,
Exuperans animis coronam!
Thracum furores frangis, & Imperî
Vindex paventem protegis Austriam;
Cogisque Chattorum rebelles
Jura pati Dominumque turbas.
Ubique curam plurimus explicas
Sacris laborans: porgis ab Hespero

Erfordia Francicis armis Elect. Moguntino asserta.

Manus ad Auroram; ultimiſque
Francigenæ ſociantur Indis.

Templa Calvinianorum excifa, cùm tota paſſim Galliâ, tum verò in Dynaſtia Sedanenſi plurima.

Calviniani ſepta ruunt gregis.
Sic expiatam ſplendida Galliam
Strages levavit: non-caducæ
Sic ſtatui monimenta laudis,
Et Chriſtiano ſurgere Principi
Trophæa gaudent. Nec minùs & pias
Moliris, Ædilique dignas
Rege domos, Superûmque cultu.
Quot erudito pulvere ferveant,
Aperta narrem curricula ingenî,
Morum palæſtras? tardiori
Cuncta nefas peragrare verſu.
Stet meta Sedanum, inſuperabilis
Arx illa bello, quæ caput arduum
Intentat aſtris, quantùm in auras
Ætherias, media inter actæ
Moles ſuperbo nubila vertice;
Tantùm refoſſo præcipites ſolo
Minantur, abruptæ dehiſcunt
Gurgite circumeunte cautes.
Hîc auſpicatum Gymnaſii decus
Regalis; & nunc Aonidum choro
Amica Gradivi pateſcunt
Caſtra, pio ſociata Phœbo.
Dum ſtructa ſaxo cornua & aggeres,
Tutiſque propugnacula mœnibus
Labore creſcunt pertinaci,
Arma virûm furiaſque contra;
Arx, ecce, Françis addita finibus,
Et non inermis præſidii Cohors,
Erroris infeſtam profani
Disjiciet ſcelerumque labem.
Quid Ludoïço quæ proavo dicans,

Rex, templa delubro objicis impio,
Sanctos receptus, & paranti
Transfugium loca fida turbæ?
Quin mista Francæ Belgica confluet
Pubes juventæ. nobile gentibus
Artesque Virtutesque pandit
Regifici hospitium Lycei.
Ergo & benigni munera Principis,
Et vota sanci grata Sodalium,
Quicunque cœlestem fatigant
Militiam, tua, CHRISTE, signa
Crucemque toto, quà geminus patet,
Mundo secuti; Nomine quos tuo
Ductuque dignatos & armis
Tartareum extimulas in hostem.
Neque improbas spes, esse jube ratas,
Rex summe Regum! Pax redeat sacris;
Sceptroque componat sub eodem
Una Fides Pietasque Gallos.
Orbi regendo crescat idoneus,
At serus heres, flos tener imperî
DELPHINUS, Augustoque Princeps
Longa Patri societ trophæa.

LUDOVICI DELPHINI PALÆSTRA, SEU REGIÆ PUERITIÆ EXERCITATIONES.

Præcentio ad Sereniss. Principem.

ODE XXII.

QUALEM, purpurei sideris excitus
Ortu, nec-timidâ præcinui lyrâ,
Jam DELPHINE refers : augurio fidem
Sancis, & citharæ jam superas modos.
Toto quàm species Regia corpore
Florens attonitis obvia sensibus,
Permulcetque oculos, cordaque pellicit!
Quàm, DELPHINE, tuæ vivida lumina
Spirantis Clarium mentis Apollinem!
Quàm vibrant animi Martia fulgura!
Hæc Vatem rapiunt : nec dubias alit
Tanto spes Genitor pignore, conscius
Quid virtus valeat sanguinis inclyti,
Heroæque animæ cultus & indolis.

EXERCITATIO GEOGRAPHICA.

ODE XXII.

NON te, Auguste Puer, deliciis capit
Et molli vacuum detinet otio
Miris Laja nitens compta leporibus,
Aut quæ Versalias Gratia prætulit

Vinceno nemori, Bellaqueo lari.
Belgarum domitor ceu rigidas Pater
Dextrâ tendit ovans carpere laureas,
Et fines gladio promovet imperî;
Gestis nobilium tu quoque gloriâ
Palmaris studiorum, acris & ingenî
Progressu rapido fervidus emicas.
  Primis ingenuas lusibus imbuis
Artes: & facili quæ populos manus
Ductu circumaget, jam radio volat
Axes per geminos; ac sua dædalas
Latè per tabulas regna patentia
Designare sagax, oppida & insulas,
Terrasque Oceano consociabiles,
Et cursus fluviorum, & juga montium.
Hîc Isthmon bimarem, flāmiferam hîc Pharō;
Hîc saltus Libycos, hîc Brasilos notas:
Vastis quæ regio mœnibus ambiat
Sinas, aëriis obsita cautibus;
Extremos hominum quæ Japonas plaga,
Nostris oppositos calcibus, urgeat.
Euro jam Zephyrum, jam Boream Noto,
Francos & Canadæ jungis & Indiæ.
  I, docto studii concitus impetu,
Ride, Auguste Puer, quas vagus Hercules
Metas Hesperiâ fixit & Africâ.

HISTORICA EXERCITATIO.

ODE XXIV.

QUÆ gratis oculos picta coloribus
Demulcent, animos muta docent loca:
Mille inscripta notas, seu solidum globum
Librat cardinibus terra volubilis;
Seu molem attenuans, latiùs explicat,

Adversisque simul partibus obviis
Totam se nitido porrigit æquore.
Sic & nuda juvat nomina gentium,
Regnorumque situs discere. at inclyta
Dant brutis animam facta virûm locis.
Externas peragrans ingenio plagas,
Princeps, longa memor secla recolligis;
Regnandique duces Historias, virûm
Insignes animos, grandia nomina,
Pleno magnificè prosequeris gradu.
Ævo nempe tibi sistis ab ultimo
Gentes sceptriferas, Assyrium genus,
Medorum sobolem, Persica stemmata.
Quos victrix Macetûm robore Græcia,
Quos septemgeminis ardua collibus
Mundi Roma potens extulit; arbitros
Terrarum omnigenas haud rudis æmulus
Chartis excutiens, vincere jam paras.
Gallis ante alios Regibus immines;
Sublimes Atavos suspicis: & libris
Quæ spectata, refers lumina moribus.
At vastos nimiùm parce vagantibus
Annales studiis volvere Principum.
Uni sollicitus rite vaca Patri.
Hic, Heroa tibi secula contrahens
Ac veris superans dotibus, excitet.
Curas hinc vigiles, corda sagacia,
Pacis disce vias, militiæ modos.
Regi fida comes Relligio sacrum
Tanto læta caput vindice sustulit.
Mirantur Dominum cum populis duces,
Quantus consilio, quantus agat manu.
Hunc unus, reliquis haud imitabilem,
Tu non-degeneri proximus indole
Et laudum titulis omnibus exhibe.

POLEMICA EXERCITATIO.

ODE XXV.

QUANQUAM emissa semel carceribus volat
Ætas, par Zephyris, nec patiens moræ;
Quam testudineo repere, LUDOVIX,
Tractu visa tibi, laudis & invida,
Annorum series; dum petit ignei
Martem vis animi, blandaque & acribus
Raptans illecebris obvia Gloria!
At tu magnanimam siste cupidinem,
Aut solare, levi quà specie licet.
Artis belligeræ jam decus occupas,
Haud segni meditans Pacis in otio,
Quî partes obeas militis ac Ducis:
Seu commissa palam prælia dant pedem;
Dant conferre manum; dira tonantibus
Aut torquere jubent fulmina machinis:
Seu grassans tacitâ fraude cuniculus
Muris exitium parturit & viris.
Quo metandu situ castra; quis aggerum
Vallorumque modus. sive aciem struas;
Densis quæ potior forma cohortibus
Armorum varios explicet ordines,
Campo si pateant æquora libero:
Sin saltûs latebras, horrida vel juga
Hostes insideant, sive palustribus
Intersepta locis agmina muniant;
Quâ vi, quo subiens dejicias dolo.
Hæc, annos superans, ilicet omnia
Jamnunc ingenio Belliger arripis.
Et plura, & breviùs discis, ubi arduum,
Princeps, te referens erigis ad Patrem.

Ut ductor rapidi ſtrenuus agminis
Totum affixus equo conficias diem,
Et noctem ſolidam ſub Jove tranſigas;
Æſtus ſole graves, acre feras gelu:
Nec tantùm patiens pulveris aut nivis,
Nubes ſulfureas inter & igneos
Sævis obſidiis pervolites globos.
Quâ Magnum attonitus vi Batavus ducem,
Quâ turbatus Iber ſenſerat, aſperis
Trajecti validum incumbere mœnibus;
Aut quâ terribilem mole Veſuntio
Vidit Sequanicos diruere aggeres.
Non tu ſolùm oculis arma vel auribus
Captans, ac docili pectore bellicum
Jam tirocinium ponere geſtiens;
Dudum primitias parvus, equo ferox,
Luſtrum inter patrium, fortia ludicra,
Libaſti placitâ Martis imagine;
Et ſtrictâ ipſe tuas cuſpide copias
Præfulgens alacer, jamque animis Ducem
Et curis agitans, imperii capax.
Effuſis Proceres, ac populi fremunt
Certatim ſtudiis. Aula Parentibus
Gratata & Soboli, plauſibus aſſonat.
Belli quid reliquas effigies ſequar?
Aut ut vis teneri corporis aſpero
Venatu & rigidis aucta laboribus?
Ut cælo exanimas dejicit alites
Flammatis jaculans dextera glandibus?
Sic Bellonæ habilem rite probas manum
Dianæ ſtudiis; funera & hoſtibus,
Crebris innocuus cædibus apparas.
Ceu cladem in Phrygiæ natus, & Ilio
Fatalis didicit militiam puer,
Venando Æacides membraque roborans

Audacesque animos. Hectoreæ neci
Cæsis lustra feris per nemoralia
Prælusit validi fervor Achillei.
Quò, DELPHINE, tuis laudibus imparem
Ad scenam referor, ludicra prælia?
Regales animos pascere inanibus
Umbris & specie dum placidâ fugis,
Veri Martis amans, Famæ inhians Puer;
Instas belligero fervidior Patri,
Ducat, quò studium fert generosius.
Agnoscit propriam Martius indolem,
Nec votis Genitor grandibus abnuit.
Ergo magnanimus castra petis Puer,
Victis, læta ferens omina, Sequanis.
Magni Dola Patris fracta laboribus,
Princeps, ecce tuos ante cadit pedes.
Jamnunc pulchra tuis laurea gressibus
Subnascens, tenero quid capiti parat!
Quàm claræ auspicium surgit adoreæ!

Sereniss. Delphini primum ad castra aditum excepit Dolæ deditio.

POETICA EXERCITATIO.

ODE XXVI.

REBUS certa suis tempora dividit,
Describitque ratas officiis vices,
Blandis dura levans, seria ludicris
Intexens variæ lex Sapientiæ.
Hæc, DELPHINE, tuas digerit ordine
Exercetque operas. Mentis, & impigri
Alternant numeros munia corporis.
Membris dum requies, ingenio labor
Et laudis solidæ læta subit seges.
Ac dum terrificos ære cavo sonos,
Quamvis pugnæ avido, classica differunt;
Dulces interea Castalidum lyræ,

Cælesti meritum quæ sociant choro,
Doctis apta canunt auribus. & suum
Tali stat pretium, stat decus otio.
  Quondam & post Danaos Romulei Duces
Sævis militiæ functa laboribus
Hac demum requie pectora leniunt.
Victarum exuvias claraque gentium
Musis emeriti nomina consecrant,
Ambo Scipiadæ; principe Julio
Omnis Cæsareæ progenies domûs.
Et, rerum dominis addita fascibus,
Campo lecta rubens laurea Martio,
Parnasso enituit lætiùs insita,
Sacris Pegasidum sparsa liquoribus.
  Suaves tu numeros doctus Horatii,
Nasonisque modos, & gravis aurea
Lætâ mente foves pignora Virgilî.
Vel silvas fragili cantet arundine;
Non indigna tuis cantat amoribus.
Et te arbusta juvant; & properat tuas,
Princeps, grata comas cingere laurea.
Totis mella tibi pura fluunt libris.
Jucundo neque abest utile. temperat
Miris juncta modis splendidus artifex.
Arvis edomitis imperitat Maro?
Vinci nempe docet cuncta laboribus.
Ridens ipsa Lepos arva perambulat,
Hac mollita manu, quæ rigidos vepres
Et rupes violis conserit & rosis;
Parnasso statuit jura bivertici.
Acres fingit equos, pulvere qui sacro
Grajarum referant præmia frondium?
Ferventes spatio multus Olympico
Spectator celebras sponte ruentium
Pugnas alipedum, non sine gloriæ

Sensu.

Sensu. tangit honos & fera pectora.
Virtus pro stimulo est; ardor & æmulus
Urit palmæ agitans nobilis ambitu.
  Quid, cùm Dardaniden altior intonat
Vates, Cæsareæ gentis originem?
Pelidæ assiduus facta revolvere,
Æternæ monumenta inclyta fabulæ,
Pellæus Juvenis non ita fortibus
Exarsit studiis; ut tibi bellicos
Accendens animos, cordaque Martia
Exemplis resonans grandibus incitat
Præco Pierius; quem tua, vel parem,
(Si quem fortè darent Numina) dignior
Quondam Trojugenâ, fama reposceret.

REGIARUM EXERCITATIONUM
PRÆSIDIA ET ORNAMENTA.
ODE XXVII.

PRinceps major Avis (plaudite, Galliæ)
Naturæque opibus dives, & ardui
Fortunam exuperans dotibus ingenî,
Heros laurigeris fingitur Artibus.
  Divis orte Puer rite faventibus,
Spes ô Franciadûm! secula Filio
Decurrent patriis condita legibus,
Ac vi terrificâ, quam Pietas regit,
Ultrixque ensiferâ juncta Themis manu.
Lætas certus aget res decoris tenor,
Fortunæque inhibens Prosperitas rotam.
Curâ macte Patris, quâ tibi providus
Morumque artifices addit idoneos
Doctrinæque, Puer Regie! tu novâ
Virtute, & placitis macte laboribus.

Privatâ neque tu laude, nec impari
Contentus titulo, publica munera
Tractas, officiis nec pueriliter
Respondes Procerum. Quàm jubare ingenî!
Oris quàm specie Regificâ stupent
Legati, & decoris mira canunt tui
Suspensis timidè credita gentibus!

Sic Magnus patrio sanguine Ludovix
Natum ad summa vocans, egregiis simul
Exemplis habilem perficit. huc Amor,
Huc Regalis Honos assimilem Patri
Te, Delphine, rapit: Gallicus & suis
Defixam radiis Sol aquilam probat.
Aut pictâ croceis nube coloribus
Formam congeminans exprimit auream;
Solemque ætherio Sol speculo creat.
Clarâ quantus agens ipse puertiâ,
Sensu jamque gravis, nil pueri sonans;
Qualem nunc populi suspiciunt, virum
Jamtum prætulerat Semideis parem:
Talem te solio spectat idoneum,
Vivâque ipse sui gaudet imagine.

Sic pulchris geminæ Palladis artibus
Orbi conspicuus, scilicet unicè
Te versans animo, vixque memor sui,
Te Dux alloquio format, & incubans
Curis magnificè dulcibus excolit,
Cui commissa tuæ regna puertiæ.
Felicem assiduâ perpoliens manu
Naturam, in patrias crescere spes docet;
Bellonæ pariter clarus adoreâ
Princeps, & placidæ Pacis honoribus
Surgas ut solio major ad æthera.
Justi quæ referant præmia posteri;
Quo confixa probri stigmate inertia;

Virtutem excipiat quæ decoris ſeges ;
Blandis uſque monens vocibus influit.
Quid Præſes ſtudiorum , eloquii potens ;
Et puro ingenii quem lita lumine
Ornarunt monumenta ; & reſonans libris ,
Poſt ſuggeſta , procùl Suada volantibus ?
Rivis ambroſiæ fuſa perennibus
Latè per populos , flumina tu prior
Et vivis avidus fontibus hauſeris.
Nec tanti ſua pars muneris , inclytum
Doctrina & meritis , Huetiaden fugit.
An , quos Borbonii gloria ſanguinis ,
Conſors & ſtudii gratia Principes
Annectit , ſileam ? ceu duo lacteos
Attollunt apices ſplendida lilia,
Hortis , aſtra ſoli , conſita Regiis.
Tum delecta cohors , flos tibi Gallicus ;
Lætos ingenuis partibus aſſeclas ,
Quos , Delphine , tibi dat comites Honos ;
Felices Pueri circùm hilares micant,
Accenſaſque tuis luminibus faces
Phœbeiſque agitant ignibus Aulici.
Perge , Auguſte Puer ! ſic tua gaudia ,
Caſti delicias ſemper ama Chori ;
Exemploque præi ſumma petentibus
Montis lauriferi Nobilibus juga.
Quanquàm Francigenûm diſſita finibus ,
Et jam vaſta loquor quid loca, Græciæ
Nudis ſaxa jugis triſte rigentia ?
Francæ clara patent limina Regiæ ,
Et doctis inhiant hoſpita Vatibus.


IN CELSISSIMI PRINCIPIS FERDIN. FURSTENBERGII, PADERBORNENSIS EPISCOPI, COADJUTORIS MONASTERIENSIS, HONORIFICENTISSIMAS AD AUTOREM LITTERAS.

ODE XXVIII.

NAM quid, ſerenis miſſa Trionibus,
Fers laureatis, Gratia, litteris?
O luce Phœbeâ renidens
Charta ſacræ perarata dextræ!
Salve benigni ſplendide Principis
Labor; neque uno Regia nomine,
Lactiſque melliſque & beatis
Ambroſiæ lita charta ſuccis.
Te Suada, laudum nobilis artifex,
Et ipſa finxit Gratia, clarius
Auroque & Indorum ſuperbis
Eloquium meditata baccis.
Tot illa, & ultro munera Regiæ
Aggeſta Muſæ, nec fuerant ſatis?
Tot mentis altæ, tanta cordis
Palladio monumenta cultu?
Quàm ſumptuoſis magnifici libet
Donis Patroni, Littera, gratior,
Spirans amorem, prodigumque
Immerito ſtudium clienti.
Faſtidioſam, Præſul, inertiam
Secli repenſas. Principibus viris
Placere, ſed rerum peritis,

Hoc decoris caput, hic triumphus.
En, tu ille Parnasso altior, & Chori
Summus per orbem Phœbigenæ Arbiter,
FERNANDE, regnas, Artiumque
Neuhusiâ dominaris aulâ.
Nec tota, si quem fervida plausibus
Theatra circùm perpetuis sonent,
Favoris æquarint honorem,
Magne, tui, solidæque laudis.





LYRICON
LIBER II.
SACRUM AB AULA TRANSFUGIUM, ASCETICAQUE SOLITUDO.

DEO OPT. MAX.
ODE I.


EBITA ſanctos operum labores
Laude libamus tibi, Summe rerum
Autor & Cuſtos, dominoq; torquens
Omnia nutu.
Ante quem curvātur Atlantes Orbis;
Et ſacro permiſtus amor tremori
Vibrat immenſo Geniûm miniſtras
Ordine turmas.
Fervido pennæ ſonuere plauſu;
Ora ſublimi ſonuere cantu:
Unde ter-ſanctum venerata Numen
Aſtra reſultant.

Stantis æternùm Sator alme Verbi;
Editum fluxâ ſine voce Verbum;
Mutuis ardens radiis, duorum
Unica Flamma!
Cuncta, Mens mundi, penetras & ambis,
Intimùm præſens, & ubique tota;
Splendidis latè manifeſta ſignis
Publica Cauſa.
Aſt inacceſſæ latebroſa ſepto
Lucis; & ſenſum, tibi rite ſoli
Nota Majeſtas, animique acuta
Tela refringis.
Audiunt ſævi tua fræna Venti;
Vaſta præfixas metuunt arenas
Agmina undarum; tenuere juſſos
Sidera curſus.
Supplices cogis populos ad aras;
Arduos ſceptro ſubigis Tyrannos;
Fulmine ultricis tremefacta dextræ
Tartara mactas.
Gratiâ mentes renovas, & altè
Erigens viſu ſatias beato;
Gloriâ Virtutem, opulenta donis
Dona coronas.
Tu fugâ blandi ſuperare fraudem
Edoces hoſtis, Stygiumque robur:
In tuam vanâ profugos ab Aulâ
Aſſeris Aulam.

IN SACROS TRANSFUGAS.

ODE II.

AULA beatos cedere Transfugis
Quos non inaudax, providus & timor
Adegit, Heroum ſuperbas

Fert animus celebrare laudes.
Pars artis ingens belligeræ, probat
Ducem Receptus; si validum sagax
Elusit hostem, si periclo
Incolumes retulit catervas.
Æterna quid cùm Pax animam, loco
Ereptam iniquo, suscipit & Salus,
Vulgique secluso tumultu
Blanda quies & amica Divis?
Sin pugna restat; mystica suggerit
Cælum arma: & ipso castra situ minas
Rident & assultus inanes
Tartarei inviolata belli.
Stat ære vallum; fulmine plurimus
Coruscat agger: vis cadit hostica;
Pompasque despectans, triumphat
Splendidiùs super astra victor.
Signa evolantes ad sacra Transfugas
Pæan sequatur. Vos, tacito pios
Stupore mirati Receptus,
Mox alacri resonate plausu.

JOSAPHATUS

AULAM FUGIENS.

ODE III.

HEU longa blandi tædia carceris,
Gravisque dudum sarcina purpuræ
Sordentis, & probro remista,
Gloria, magnificæque nugæ!
Fastigiatis ardua molibus
Castra incolentes, turrigerâ domo
Fulmen perhorrescant. Tonantem
Inde nefas propiùs lacessit.

Aulæ timendâ luridus imminet
Flammâ Cometes : inſtabilis rotam
Fortuna volvit ; & dolorum
Fluxa trahit ſeriem Voluptas.
Illa , illa denſis obſita vepribus ,
Utcunque baccis picta renideant ,
Formoſa regalem cruentant
Sceptra manum, diadema frontem.
Et auſa cœptam non bene amantibus
Fugam morari Patria brachiis ;
Nexuque gaudentem expedito
Triſtibus illaqueare curis !
Fruſtra moleſtæ non revocabilem
Prenſatis urbes : præpetis in modum
Accinctus evaſi columbæ ,
Cui celeres timor urget alas.
Nobis , Abenner, parta ſimul quies.
Vinclis ſolutus corporis evolas ;
Magnoque ſuccedens Olympo
Regna , Pater , meliora carpis.
Curarum amaris fluctibus enato ,
Juſſas reponens imperii vices ;
Tutique , ſuccedens Eremo ,
Jam ſedeo ſtatione portûs.
Nodum , ecce , voti reſcidit & moram
Mors , Patre rapto. Nil ego civibus ,
Nil rebus humanis , & Aulæ
Debuerim , emeritus Parenti.
Pium eſſe nec me jam Pietas vetat ;
Ceu , dum caducæ inſignia Gloriæ ,
Ah , durus Heredi coacto ,
Exueres , ſpoliiſque Mortem
Fraudans opimis. Ad Superos viam ,
Regale Nato tradere onus celer
Moliris , ac ſerò petitam

Rite brevi peragis volatu.
Patri ſuperſtes, commorior libens.
Corona, ſceptrumque & ſolium vale.
Æterna mortalis capeſſo.
Dulce mihi ſpecus eſt ſepulcrum.

JOSAPHATUS IN EREMO.

ODE IV.

Fidi receſſus, umbriferi lares,
Deſerta ſacris culta Sodalibus,
Salvete. ô arcanis Eremum
Deliciis opibuſque fetam!
Pulſo beatè vivitur Ambitu,
Luxu reciſo. Me rigida endromys
Ornatque & armat: limpidumque
Fonte bibo ſaliente nectar.
Non paſcor auro? ſcilicet & fame
Intactus auri, nec pretio gulam
Irrito: cæleſtemque agreſtes
Ambroſiam ſapuere fructus.
Ecquid renidet lætiùs igneum
Mundi lacunar, quàm laquearia
Cruſtata flaventi metallo,
Cœruleo ſaturata fuco?
Fragrante ſi non in violâ torus,
Roſâque & oſtro; nec vigilem coquunt
Curæ incubantes: aut ſopora
Vita perit malè feriato.
Si non ad altum plurimus excubat
Limen ſatelles; ſollicitam obſident
Nec denſa ſpeluncam pericla,
Vi procul inſidiiſque tutam.
Antrum coronat, Numine conſcio
Dulcem latebram, Cœligenûm cohors,

Decuſque tutamenque ; Averni
Lucifugis metuenda monſtris.
Jam ſpes Eremus , nec ſolido ſatis
Regno empta , vicit ; Gratia ubi rudem
Virtuſque dilecto Saluſque
Hoſpitio recreant Alumnum.
Ergo maligni , ferro avidæ manus
Terrena puncti ſegmina diſtrahant ;
Sæviſque convellant procellis
Belligeræ Oceanum carinæ.
Gangeſque & Indus gemmea flumina
Volvant avaris , quos teretis capit
Nitor lapilli , quos ſuperbi
Aut ebeno aut elephante poſtes.
Fictâ Aulicorum laude ferocior
Sibi ipſe plaudat , nobile qui ſuis
Ludibrium , & vulgi frementis
Indomito laceratur ore.
Me nec protervis ambiit artibus
Inane jactans obſequium cliens :
Nec vexat armatis paventem
Turbida plebs odiis Tyrannum.
Pax alta ſilvis : gratus & otio
Seſe haud inerti conſociat labor ;
Vilemque dedignata glebam
Mens ſuperos inhiavit orbes.
Abſunt procellæ , fœdaque nubila.
Titane puro candidus it dies ,
Natura dum latè patenti
Pictam aperit faciem theatro.
Nox pura fulget , ſupplicibus favens
Votis , amico fida ſilentio :
Viſumque mites inter umbras
Suavius irradiare Numen.
Heic nulla Siren , blanda freti lues ,

Captat doloſo carmine credulum;
Triſtemve contemptu fatigat
Aucupium popularis auræ.
At innocentes undique perſonant
Ruris Camœnæ. Me volucer chorus
Parentis in laudes ſupremi
Excitat, Aligeriſque miſcet.
Totus caducâ ſpiritus eminet
Compage membrorum; ac tenui, fugax
In aſtra, vix filo illigatus
Emicat, ætherioque geſtit
Jamnunc Olympo perpetuam ſibi
Metatus aulam pro fragili casâ:
Paulique & Antonî trophæis
Ardet ovans ſociare palmas.
Seceſſu Eremum Chriſtus ut imbuit;
Sparſit rigentes illecebris locos:
Veſtigia impreſſit, piorum
Magnanimo relegenda greſſu.
Exemplum adoro, nec timidus ſequor.
Regno abdicato ſuave feram jugum,
Deique Barlamique pendens
Lege magiſteriiſque Tiro.

D. RADEGUNDIS

PIUM DIVORTIUM.

ODE V.

QUAS accendit Hymen purpureus faces,
Altæ luminibus non ſine Gloriæ,
Ceu tædas Radegundis
Horret funereas ſequi.
Pignus connubii quem digito annulum
Inſertavit Amor; collaque gemmeum

Ad ſtellata monile,
Nexum mancipii putat.
Ah, victoris Heri ferre gemens juga
(Ferro nec leviùs vincla jugalia,
Auro illuſa, premebant)
Aulamque & thalamum fugit.
Quid, Medarde, moras ambiguus trahis?
Flavas jam ſecuit ſponte ſuâ comas,
Abjecitque ſuperbi
Ornatum diadematis.
Poſcenti dubitas reddere Numini,
Spargunt ætheriis quam Charites roſis;
Caſtoque igne flagrantem
Sponſam obnubere flameo?
Quæ conjunxit homo, nunc dirimit Deus;
Nec diviſa ſibi pectora vindicat:
Cordis regna pudici
Certo jam ſolio tenet.
At tu ſollicitâ quò trepidam fugâ,
Clotari, revocas mobilis & ferox?
Conceſſoque receſſu,
Facti cur piget inclyti?
Sta; fruſtra rapido, dure vir, agmine
Fruſtra præcipitas; jamque pedem pede
Urges fervidus, & jam
Injecture manum, advolas.
Deprenſæ fer opem (territa clamitat)
Raptori pavidam ſubtrahe, nec tibi
Vano more ſacratam,
Præſens auxilio Deus!
Arctum vitæ inii, te duce, tramitem;
Auſpex conſilii protege, ſi meos
Nondum exoſus amores,
Sponſe & Rex melior tuam.
Oranti neque abeſt ille viæ comes;

Aſſertamque ſibi prodigio Deus
Silveſcentis amicâ
Sementis latebrâ tegit.
Miratur ſubitas agricola, & ſatu
Effuſas ſegetes. ipſe adeò ſtupet;
Qui, nudus modò, avenæ
Fluctu campus inhorruit.
Hîc, quam Rex calido afflabat anhelitu,
Dilapſam ex oculis & manibus petit;
Inventamque requirit
Oſtento attonitus novo.
Spes fluxas queritur, votaque inania:
Qualis, cervæ inhians, teſqua per avia
Si fruſtrata ſequentem eſt,
Prædæ mœret inops Lacon.
Sic deſideriis æſtuat; &, levis
Ut ſomni vacuâ eluſus imagine,
Rex veſtigia preſſit,
Anceps, vix ſibi credulus.
Longas eſſe manus credite Principum:
Major Longimanos dextera comprimit,
Vallum effingere ahenum
Vel culmo fragili potens.
Tum verò profugam, non ſine Numine,
Franco objecta peti relligio vetat;
Ingentiſque tenacem
Tradit propoſiti Deo.
Illam, ſidereas concutiens faces,
Læto ducit Hymen carmine ſanctior:
Auguſtoque perennes
Jungit fœdere nuptias.
Lectarum trahere examina Virginum
Princeps ardet ovans; Gallica nobiles
Quot non Aula Puellas
Reginæ priùs addidit:

Puris quæ ſaturas rite liquoribus,
Vivo pervigiles lumine lampadas
Sponſi, nocte ſerenâ,
Geſtant ad Superi toros.

ARSENIUS

AB AULA IN SOLITUDINEM CÆLESTI VOCE EVOCATUS.

ODE VI.

NON ſurda votis anxius, Arſeni,
Dudum fatigas ſidera: ſupplici
Reſpondet oraclum, ſalutis
Ecce viam, reſonans Olympo.
Mirâ per auras voce receptui
Audis canentem? Corda avidus Deo
Præbe loquenti: tum ſequaces
Finge animos, volucreſque greſſus.
Fugâ ſalutem, dum licet, occupa,
Fugâ triumphum. rumpe moras, age,
Aulæ tenaces rumpe nexus:
Collige te, tacitiſque vitam
Manda latebris. Deſere, deſere
Humana, pulchro ſi pius ambitu
Divina anhelas; & vocantes,
I, Superos ſequere expeditus.
Permitte vanis vana, negotio
Curas in uno figere providus;
Vagaſque partes, diſſipatum
Coge animi trepidantis agmen.
Fuge, ô, fugaces res prior, & caput
Actutum iniquis ſubtrahe caſibus.
Hæc ſumma. Jam ſtricto minatur
Threïcius gladio ſatelles,

Ingratus, eheu, nec pueriliter
Dolenſque & audens Arcadius nefas,
Atrox cruentam tiro fraudem
Barbaricâ meditatur irâ,
Peſtem magiſtro. Tu mediis iners
Ceſſas periclis! an fragilis vitri
Splendore deluſus, vel oſtri
Viſum habetem capiente fuco?
Ubique cœcis inſidiæ dolis.
Quid lentus hæres? proripe te fugâ;
Aulæque deſertor, quieto
In te animo penitùs recede.
Labore multo nempe odium paras:
Pœnas amicis tot ſtudiis graves
Accerſis; infauſtoque dirum
Officio extimulas furorem.
Soluta poſtquam debita Cæſari;
Deo viciſſim nunc ſolidum & tibi
Te redde: ſacrabiſque curas,
Nec vacuos pretio labores.
Byzantiorum concilio Patrum
Adlecte fruſtra, nunc melioribus
Vacare conſultis memento,
Ipſe tibi ſapiens Senatus.
Magno Parenti degener, impius
Puer Magiſtro, ſceptra ubi ceperit
Auguſtus, Eoum virili
Imperium moderatus ævo;
Te te ille (quem nunc exitio petit)
Abſtruſum Eremo, nec facilem tegi,
Coletque Legatiſque ſupplex
Thebaïdos celebrabit oras.
Securus illic dulcibus afflues
Æterna quærens gaudia lacrymis,
Majorque fulgens ab receſſu, &
Cæſareos ſuperans honores.

ALOYSIUS GONZAGA
S. R. I. PRINCEPS
Religioso Tirocinio se addicens.

ODE VII.

JAM vincla tandem rupimus aurea:
Tandem beatâ pauperie frui
Concessum; & optatas piorum
Jam teneo, mea regna, sedes.
Mecum esse, mecum vivere nunc licet;
Curasque Olympo tollere, sordidâ
Terrâ revulsas. Hîc silentem
Alloquio Deus ipse mulcet.
O meta votorum! ô Charitum Domus!
Denso furentis turbine Tartari
Concussa, sed major procellis,
Arx solido bene fixa saxo!
Huc evolavi, certus ubi meæ
Nidus quieti. Nec gelido magis
Gaudet fluento, quem per altos
Præcipitem nemorum recessus;
Montesque vallesque ignea vis rapit
Cervum, volucri jam similem feram;
Collecta dum torvos anhelo
In colubros sitis ardet ore.
Non hîc venenis dulcibus ebria
Pestis, Voluptas. Ambitus exulat,
Dolusque, Luxusque, & nefandus
Arma Furor quatiens cruenta.
Heu tetra rerum nubila, & horridas
Monstra inter umbras! luctiferum Chaos;
Quantumque vel Memphi profanæ,

Vel Stygio incubuit barathro!
Æſtu procaci lubrica volvitur
Fortuna : & Aulæ limina triſtibus
Curæ catervatim frementes
Excubiis ſcopuloſa ſervant.
Quò bracteatæ lumina Gloriæ
Offers, tuorum Mantua cantibus
Evecta Cycnorum ſub auras,
Dives avis, opulenta natis?
Auguſta cedant ſtemmata, purpuræ,
Faſces, coronæ. Mors Ducibus ferox
Inſultat, extinguens Honorum
Funereâ breve fulgur umbrâ.
Marcere lauros pulvere ſordidas,
Sterni coloſſos, exuviis graves
Fatiſcere arcus, & caduci
Fracta vides monimenta faſtûs.
Victrice felix vel ſolidum manu
Lucratus Orbem; ludibrium hoſtibus
Si mox Avernis, ferreoque
Mancipium recidas Tyranno:
Ventoſa quid te Fama, quid inclyti
Terras per omnes vis juvet Imperî?
Tunc Principem immanes catenæ
Excipiant, rapidæque flammæ.
Suprema jamnunc præcipe tempora;
Occurre fatis : ſubtrahe perfidæ
Te Sortis, ac Lethi minantis
Arbitrio; fragileſque cælo
Reconde gazas. Pignora ſic refer,
Parcos in uſus credita, Numini:
Et ſarcinis acer repoſtis
Arduum iter levior capeſſe.
Calles per arctos ire juvat, pede
Raro notatos. Irriguo micant

Vestigia Heroum cruore
Per rigidos animosa sentes.
Aspræ laborem meta levat viæ:
Mollit, supremo quæ radiat jugo,
Corona rupes. Hâc piorum
Signa gradu sequar irretorto.
Sceptro abdicato, vile tulit pedum,
E Rege Pastor: queis onus Imperî
Sedere visum, Carlomannus
Fessam humeris subiit bidentem.
Regni quid Heres Trinacrii potens?
Suavi coronam posthabuit jugo?
Sacramque projecto redemit
Pauperiem Lodoïcus auro.
Et tu, Beatis æmule Mentibus,
Ignatiano confere te gregi,
Gonzaga (tot læto Sodales
Antevolant acuuntque cursu)
Sortem superbam, donaque Cæsaris,
Pericla prudens splendida fortiter
Fugisse. Fraternis opimus
Castilio data præda curis.
Odi coruscæ insignia purpuræ,
Dum nuda tingit membra Dei cruor:
Christique me involvo decoris
Sordibus, opprobriisque jacto.
Jesum togatæ militiæ Ducem
Secuta gressu magnanimo Cohors,
In bella Tironem recepit
Sidereis agitanda telis.
Non Taurus illam, non Rhodopeïæ
Morantur arces; non Libycæ tenent
Syrtes, nec immensum utriusque
Terruit Oceani profundum.
Ignota priscis nomina seculis,

Marchionatu Castilionensi cessit fratri.

Vel Stygio incubuit barathro!
Æstu procaci lubrica volvitur
Fortuna : & Aulæ limina tristibus
Curæ catervatim frementes
Excubiis scopulosa servant.
Quò bracteatæ lumina Gloriæ
Offers, tuorum Mantua cantibus
Evecta Cycnorum sub auras,
Dives avis, opulenta natis?
Augusta cedant stemmata, purpuræ,
Fasces, coronæ. Mors Ducibus ferox
Insultat, extinguens Honorum
Funereâ breve fulgur umbrâ.
Marcere lauros pulvere sordidas,
Sterni colossos, exuviis graves
Fatiscere arcus, & caduci
Fracta vides monimenta fastûs.
Victrice felix vel solidum manu
Lucratus Orbem; ludibrium hostibus
Si mox Avernis, ferreoque
Mancipium recidas Tyranno:
Ventosa quid te Fama, quid inclyti
Terras per omnes vis juvet Imperî?
Tunc Principem immanes catenæ
Excipiant, rapidæque flammæ.
Suprema jamnunc præcipe tempora;
Occurre fatis: subtrahe perfidæ
Te Sortis, ac Lethi minantis
Arbitrio; fragilesque cælo
Reconde gazas. Pignora sic refer,
Parcos in usus credita, Numini:
Et sarcinis acer repostis
Arduum iter levior capesse.
Calles per arctos ire juvat, pede
Raro notatos. Irriguo micant

Veſtigia Heroum cruore
Per rigidos animoſa ſentes.
Aſpræ laborem meta levat viæ :
Mollit, ſupremo quæ radiat jugo,
Corona rupes. Hâc piorum
Signa gradu ſequar irretorto.
Sceptro abdicato, vile tulit pedum,
E Rege Paſtor : queis onus Imperî
Sedere viſum, Carlomannus
Feſſam humeris ſubiit bidentem.
Regni quid Heres Trinacrii potens ?
Suavi coronam poſthabuit jugo ?
Sacramque projecto redemit
Pauperiem Lodoïcus auro.
Et tu, Beatis æmule Mentibus,
Ignatiano conſere te gregi,
Gonzaga (tot læto Sodales
Antevolant acuuntque curſu)
Sortem ſuperbam, donaque Cæſaris,
Pericla prudens ſplendida fortiter
Fugiſſe. Fraternis opimus
Caſtilio data præda curis.
Marchionatu Caſtilionenſi ceſſit fratri.
Odi coruſcæ inſignia purpuræ,
Dum nuda tingit membra Dei cruor :
Chriſtique me involvo decoris
Sordibus, opprobriiſque jacto.
Jesum togatæ militiæ Ducem
Secuta greſſu magnanimo Cohors,
In bella Tironem recepit
Sidereis agitanda telis.
Non Taurus illam, non Rhodopeïæ
Morantur arces ; non Libycæ tenent
Syrtes, nec immenſum utriuſque
Terruit Oceani profundum.
Ignota priſcis nomina ſeculis,

Genteſque Chriſti ſub juga barbaras
Vocavit; & pulchro rubentes
Sanguine ovat retuliſſe palmas.
Hæc me, peroſum degeneres moras,
In caſtra blandis imperiis agit
Dux ipſe Chriſtus : cingit armis
Ipſe ſuis, animiſque firmat.

FRANCISCUS BORGIA

AB ISABELLÆ AUGUSTÆ PHERETRO AD IMMORTALIS DOMINI FAMULATUM SE TRANSFERT.

ODE VIII.

EN, quò Terrigenûm Gloria, quò brevis
Majeſtas recidit ! Cæſaris, ah, jaces
Conjux, imperii ſidus, & alterum
Aulæ Numen Ibericæ !
Quò fugit ſpecies, quò decus aureum ?
Regnans ore tener purpureo lepos,
Spiranteſque roſæ, vivaque lilia,
Et quas jactat Amor faces ?
Florentis cecidit purpura gratiæ;
Letali facies diriguit gelu;
Succeſſit placitis horror amoribus;
Nox regale premit jubar.
Dejectam ſolio ſarcophagus tulit.
Heu, qualem exhibuit, quàm ſibi diſparem!
Informem, horrificam vidimus : & gradu
Vix ipſe, atque animo ſteti,
Dum cedit trepidè cuncta retro cohors.
Quam, plenam illecebris antè rapacibus,
Certatim officiis ambiit ; ultimùm
Spectare impatiens fugit.

Anceps, attonitus, funereâ metum
Ignoti facie corporis hauseram,
Monstri nescio quid pænè ego credulus
Augustæ vice subditum.
At mors delicias orbis, & inclytum
Mutarat facie monstriferâ decus:
Mortis ludibrium regia cesserat
Fœdæ forma tyrannidi,
Hoc ergo celebrat nuper Iberia!
Hoc mundus coluit! splendidus hinc mihi
Captatus cupidis obsequiis Favor!
Ah, sortis piget Aulicæ.
O curæ fragiles! ô miser ambitus!
Nunc, nunc indecoris servitii pudet.
Haud ultrà, morituro assecla Principi,
Scenæ Borgia serviam.
I trans Herculeos, Carole, limites;
Europâ, Libyâ congere laureas:
Non caræ licitum flectere Conjugi
Legem, non tibi, ferream.
Nec vi belligeram Cæsareâ manum,
Nec formidat opes duplicis Indiæ
Mors, terræ spoliis & pelagi gravem
Proturbare superbior.
Dum ludos agitat Regia publicos:
Extremum solitus carpere gaudium;
Importunus, atrox, in medium irruit
Luctus Lætitiæ chorum.
Et nunc quid putrido pompa cadaveri?
Quid Regum monimenta, & Parius lapis,
Suggestuque sonans proderit arduo
Clari buccina nominis?
Heu sordes, tenebræ, virus, & infimo
Confundens Proceres triste chaos gregi!
Huc demum recidit Gloria Principum!

Toleti, inter ipsa Castellæ comitia, Imperatoriæq; spectacula magnificentiæ, Augusta extincta est.

Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Eccli. 6.

Pulvis pulvere ſolvitur.
At tu quid dubitas, Borgia? quin graves
Maturè pedicas providus excutis?
Mortalis Domini ſi bene pœnitet,
Aulam ſtrenuus evola.
Sacras, eia, volens indue compedes;
Collum rite ſacris inſere torquibus:
Regno ſervitium pulchrius occupa,
Uni vivere amans Deo.

IDEM VIR SANCTISSIMUS

Ex immani ſacrorum ſtrage per Gallias ab Hæreticis edita, mortis cauſam contrahit.

ODE IX.

Non, vagus cæco per operta motu
Cùm quatit terras, neque cùm profundo
Incubat ventus, tumidoque pulſat
Sidera fluctu;
Non ſinu accenſos glomerantis ignes
Montis, aut nubis fragor æſtuoſæ,
Hæreſin fœdo trepidam tumultu
Vincere certet.
Conſcias nec te peragrare viſu
Teutonum gentes jubeo, aut Britannos,
Sæva quos turbis propè funeravit
Dira cruentis.
Cerne civili toties labantem
Galliam motu; ſacra cum profanis
Miſta, diviſos odiis penates,
Oppida caſtris.
Tetra quàm rerum facies! ubique
Ignis & ferrum, pavor atque luctus;
Omne tormenti genus, omne lethi;
Faſque nefaſque.

Phœbi ad occaſum Latio verendus
Ire Legato comes , ac ſalubris
Conſilî notas adhibere juſſus
BORGIA vires ;
Franca dum longo terit arva curſu ;
Vidit horrendæ monimenta cladis ,
Squallidas urbes , & acerba verſis
Rudera templis.
Vidit , heu , labes ſcelerum ; ac ſuperbas
Regiæ quondam pietatis aras ,
Tunc & informes cinere & favillâ
Planxit acervos.
Corda ſed quantus gemebunda magni
BORGIÆ effôdit dolor , ut , litandis
Fervidus ſacris , laceræ ruinas
Inſtitit ædis !
Triſte ſordentem , ſuperâque dudum
Victimâ caſſam peregrinus aram
Diluit Myſtes lacrymis , & almo
Expiat igni.
Frigidus primùm rigor , inde totos
Ardor invaſit violentus artus :
Concidunt vires , ſuperant propinquæ
Semina mortis.
Febris haud æſtus , ſed Amoris inſtat.
Criminum ſenſu , tragicæque cladis ,
Icta mens vaſtum duplicat per ægra
Membra dolorem.
Dum profanatas gemit inter aras ,
Hoſtiam cædens placitam Tonanti ,
Ipſe procumbit pia conſecrato
Victima fato.

IN EFFIGIEM D. FRANCISCI BORGIÆ

CORAM SS. EUCHARISTIA SUPPLICANTIS

ODE X.

QUEM ſtellantibus elicit
Templis Relligio voce potens ſacrâ,
Terras hoſpes init Deus,
Mortaleſque colit, queis colitur, domos.
Purâ ſe nebulâ tegit,
Prodit Sol radiis myſticus aureis;
Viva luce micans flagrat,
Et FRANCISCI animis torridus influit.
En, flammæ veteris memor,
Æternas habitu BORGIA ſupplici,
Ceu quondam, excubias agit,
Aras devenerans, par Superis Cliens;
Aſpectuque avido rapit
Præſentem nivea ſub ſpecie Deum.
Proh qualem ſe adytis Pater,
Auguſtis operans ritibus, intulit!
Quantas pectora, ſuavibus
Spirabant lacrymis irriguas faces!
Tecti Numinis hoſpita,
Circùm fulmineis obſita nubibus,
Sinæ regna biverticis
Viſus Legiferum ſcandere poſt Ducem,
Horrore intremuit ſacro,
Altari ſubiens, contiguus Polo.
At non hîc tonitru minax
Ales, nec tabulis jura rigentibus.
Condenſo Aligerûm globo
Septum Numen adeſt, ignipotens Amor.

Cogitabat mõtem Sinam Borgia, cùm aram ſacrificaturus adbat.

Molles huc aditus patent.
Nec tantùm patiens hîc Deus aſpici,
Umbris lumina temperat:
Tractari facilis, quin etiam cibi
(Mirum!) & vitigeni modo
Dignatur laticis faucibus excipi.
Sed quanquam placidus vocat,
Tantæ mens pavitat conſcia gloriæ.
Allapſos medius choros
Inter Cælituum BORGIA conſtitit,
Sancti carminis æmulus
Chriſti concelebrans ſplendida munera.
Cæſo & Myſta litat Deo;
Vivo perpetui, quotquot agit dies,
Agni funere paſcitur,
Et ſe nectareo ſanguine proluit.
Hinc cæleſtibus ebrius
Fluxit deliciis, incaluit rogis.
Docta pictus Amans manu;
Ipſa nunc etiam flagrat Imagine.
Phœbeum veluti jubar
Exceptat nitidos in ſpeculi ſinus,
Ac vibrantibus obvia
Incendit rutilans fulguribus chalybs.
Sic hauſto penitùs Deo
Ardores oculis ſidereos refert;
Spectantumque, Pater pias
Transfuſis animas urit amoribus.

EJUSDEM
APOSTOLICÆ CONCIONES,
AC LIBER
DE RATIONE CONCIONANDI EVANGELICA.
ODE XI.

Borgia post initam societatem, in Ognati Eremum secessit, quoad prodire ad usum Proximi jussus est à S. Ignatio.

TUMULTUOSÆ, BORGIA, palmifer
Desertor Aulæ, jam latebris diu
Collectus, umbrosoque gaudes,
Ah, nimium tacitus recessu.
Lojola quò te Numinis evocat
Interpres, i nunc Actor idoneus;
Sacroque maturus labori,
Magnificis operare curis.
Orator alti fervidus eloquî,
JESUM secutus, perge, age, publicæ
Insta saluti. Corde regnans,
Ore suos Amor edat ignes.
Postquam profanæ fulgura Gloriæ,
Fumos & Aulæ Gratia dispulit;
Jam Cælitum arcanis paratus
Colloquiis, adytisque sancti
Prodit Lycei BORGIA, Numine
Accensus; & Fax sidere clarior
Per templa sublimis coruscat,
Dulce jubar, validumque fulmen.
Ut atra latè nubila discutit,
Et pigra inertis frigora seculi;
Summosque & imos victor urget,
Voce potens operâque Mystes!
Adhuc per Orbem vivida vox sonat;
Perenne chartis eloquium viget,

Ardensque lucensque, & salubri
Arte oculos animosque captat.
Cælestis ô quâ vi Sapientiæ
Conferta doctos Mens peperit satus,
Flammâque permistos, & almæ
Nectareo Pietatis imbri!

ODE XII.

AUGUSTA quisquis scandere pulpita
Moliris, en quid BORGIA prædocet
Orbis Magistros, Christiani
Eloquii generosus Autor.
Aude vocantem rite sequi Deum;
Sancto sed aude sollicitus metu,
Fatale ne munus capessas
Degeneri periturus usu.
Amoris ardens Spiritus excoquat
Sparsura voces ætherias labra; *Isaiæ 6.*
Ceu Vatis Hebræi piavit
Ora sacer taciturna carbo.
Jam, tanto adornans debita muneri,
Oracla Cæli consule, & intimos
Scrutare Divini recessus,
Agno aditum reserante, Verbi. Agnus Librũ aperit signatũ. *Apoc. 5.*
Æternum adorans Lucis adi Caput;
Pioque supplex antè silentio
Vincens Tonantem, disce fando
Dura virûm exuperare corda.
Ne blanda fallat fortè licentia
Gaudentem acutis ludere sensibus,
Patrumque Doctorumque certo
Pura teras monimenta gressu.
Et lingua cordi concinat, & manus
Responset ori. Sic animos movet

Ultro ſequaces, qui decoris
Verba præit ſpecioſa factis.
Væ, qui paventes imperioſior
Mentes fatigat; non tolerabile
Collo quod imponit gementum,
Stringere onus digito refûgit.
Tibi ipſe, crebram qui loqueris Crucem,
Primùm ſeverus, moribus aſſere
Præcepta; doctrinamque vitâ,
Delicias metuente, ſanci.
Errore vulgi quid Logodædalos
Conflata paſcit Fama, crepantibus
Bullis tumentes? Quæ recenti
Verba nitent operoſa fuco,
Texunt caducis non ſine floſculis:
Euripus aut quo more reciprocas
Alternat undas, æſtuoſo
Solliciti trepidant recurſu.
Deo obſtrepentes, plaudere amant ſibi:
Arguta ut æris cymbala tinniunt;
Vanoque deluſi laborant
Aucupio fugientis auræ.
Divis honorem tu ſolidum refer,
Committe fructum. Quid rigui juvant
Sermonis imbres, ni benigno
Creſcere dat Genitor favore?
Hinc omne munus. Tu ſacra deſerens
Theatra, planctus plauſibus antefer;
Cordiſque & oris luctuoſo
Concipe diſſidio pudorem:
Sic ipſe ſuetus, dicere ſic docet
Jam ſeclo abacto, moribus è ſuis
Præcepta ducens, actuoſi
Splendidus eloquii Magiſter.

ODE XIII.

QUAM læta amico Numine copia
In ſancta crevit pulpita, BORGIÆ
Sacras per Artes! at Quirinæ
Gloria deliciumque Suadæ,
Longè unus omnes inclytus anteit
OLIVA, tanto par ſubiens Duci,
Par Urbis æternæ theatro;
Ipſe ſuum decorare munus,
Suggeſtu in Orbis principe, nobilis:
Dictiſque rerum pondera ſuſtinet;
Ac frugis æternæ Satores
Voce Patres animoque reddit.
En, qui coruſco vivus & efficax
Ab ore ſermo! corpore nec ſilet
Spectata majeſtas agentis;
Perque oculos, avidas & aures,
Romæ ſubactis cordibus influit
Vis alma, miris obſita gratiis:
Chriſtique Legatus, Magiſtro
Digna ſonat, rutiloque Cœtu.
Et jam quaternas Pontificum Eloquens
Regnat per Aulas, liber & arduus
Cenſorque, Virtutumque Præco.
Fida Libri documenta ſervant,
In concionem excurrere Gentium,
Fructumque latè fundere ſeduli.
OLIVA ſeclis audiendus
Sic ſtabili eloquio perorat.
Divum, nec uno munere, ſed magis
Virtute & alto pectore BORGIAM
Succeſſor explet, cui dicatos
Toto agitans præit Orbe cultus.

Joan. Pauli Oliva, Societatis Jeſu Præp. Gen.

Concionator Apoſtolicus ſub quatuor Pontificibus.

Jam plures Tomos edidit ſuarum in Sacro Palatio Concionum.

S. Borgiæ ſolennes honores paſſim habendos curavit, & ipſe Romæ quàm ſplendidiſſimos exhibuit.

SOLITUDINIS MIRACULA.

ODE XIV.

OHE canoras parcite, parcite
Jactare nugas, vos quoque transfugæ,
Sacrosque secessus relicto
Carpite nunc Helicone, Vates.
Quid fabulosi laurea Cynthii,
Cyrrhæve fontes? quid bifidus juvat
Parnassus, & Bacchi corymbis
Luxurians ederisque silva?
En, hospitali bisgeminus jugo
Chorebus aurâ vaticinâ sonat:
Rubus sereno floret igni;
Nectarei saliere fontes:
Quos non feroci Pegasus ungulâ,
Præpes Medusæ filius extudit;
Mosæa sed virgâ potenti
Elicuit manus, & subactis
Mellita duxit flumina rupibus.
Sancto tubarum, pro tenui lyrâ,
Auditus olim monte clangor,
Et Superi tonitru loquentes.
Eamus. hàc se stelliferæ via
Pandit Sionis. Barbara Mempheos
Dum vincla, & immanem catastam
Isaciæ fugerent catervæ;
Per sola caram progeniem loca
Vindexque ductorque auspiciis Deus
Vocavit. ardenti coruscus
Aliger antevolat columnâ.
Paratu inempto roscida Cælitum
Annona miras assiduè dapes,
Latéque constratâ pruinâ

Omnigenum explicuit ſaporem ;
Quæſitam opimæ dum Chananæidos
Sedem capeſſant, & proavis humum
Pactam coloni, quos ſacrandæ
Arx Solymæ, nova regna poſcunt.
Vaſtas ut inter mellea copia
Lymphiſque arenas ſuavibus & cibis
Ultro affluebat; ſic Eremum
Myſtica nunc ſatiat Voluptas;
Vivæ beato cautis ab ubere,
Venâ perenni, purpureus latex,
Cæloque decurrens aperto
Ambroſii ſeges alma roris.
Quo te, piorum, carmine proſequar,
Magiſtra vatum? blanda ſilentia,
Voceſque adorandas, & aulis
Aſſyriis potiora teſqua?
Tu caſtra Divûm, tu ſuperas domos;
Tu nube amictum Legiferi jubar;
Oracla tu ſortis futuræ
Pandere, fatidiciſque mentem
Afflare gaudes oribus entheam,
Terriſque & aſtris ſplendida jungere
Commercia, & miſtis paciſci
Dulce Viris Geniiſque fœdus.
Hîc commeantes aëriis videt
Scalis Miniſtros Regis Olympii,
Sacroque ſubluſtres Jacobus
Alloquio fruitur per umbras.
Flammâ innocenti ſidereùm micans,
Sancta hæc, profano nec temere gradu
Calcanda tellus. hîc Tonantis
Abramiæ data jura genti.
Congreſſu amici Numinis unicè
Auguſta Moſes in penetralia

Petra autem erat Chriſtus. 1. Corinth. 10.

Admiſſus, arcanoque corpus
Verbo inhians animumque paſcit.
Elias. 3. Reg. 19.
Quid ille Horebi ſaxa biverticis,
Non uſitato jam profugus metu,
Moſi ſecundus ſcandit Heros?
Diam avidâ bibit aure vocem.
Immotus atro turbine conſtitit,
Illæſus igni. ſed tenuis virum
Collegit auræ, poſt fragorem,
Sibilus, horribilemque motum.
Hîc fata Regum præſcius accipit,
Graveſque caſus; ſceptra nocentium
Transferre, & ultrices tremenda
Juſſus ad arma ciere dextras.
Carmeli opacas incoluit ſpecus,
Claudens, recludens imperio polos:
Idem axe flammato triumphans
Per rutilas equitavit auras.
Deſerta quondam perſonuit loca,
Flavi æſtuantem concutiens plagam
Jordanis, inceſtique Regis
Delicias populique labes;
Baptiſta vivo percitus impetu,
Vocale fulmen. quo Domini viam
Sternente, mox luſtris ferarum
Ætherius latitavit hoſpes.
Mox & latentis prodere Numinis
Verſo emicantem corpore gloriam
Dignatus, inſuetam profanas
Haud ſpeciem induitur per urbes.
Secreto amicè credita Thabori
Spectacla verſi corporis; & nivem
Candore, fulgentique ſolem
Viſus honos ſuperare formâ.
Quot plebis illum millia in avios
Secuta

Secuta ſaltus, dum placidis trahit
Ab ore pendentes catenis
Chriſtus, & immemores ciborum
Sacris voluptas eloquiis alit!
Partes in omnes almus iit favor;
Novoque cæleſtis beavit
Cura gregem ſubeunte paſtu.
Caſtis Eremum Sponſus ad intimam
Mentes ineſcans ducit amoribus;
Cordique, ſummoto tumultu,
Lenibus inſinuat ſuſurris.
O ſilvæ! ô umbræ! dulcia gaudia,
Tuti receptus, hoſpitibus ſacris!
O antra, cantandiſque in ævum
Splendida prodigiis theatra!

Lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinē, & loquar ad cor ejus. Oſee 2.

D. IGNATII LOIOLÆ CONTEMPLATIO ET LACRYMÆ.

Quàm mihi ſordet Terra, dum Cælum aſpicio!

ODE XV.

UT noctilucas purpureo faces
Accendit igni Veſper; & humidis
Sublapſus umbris corda mergit
Victa Sopor, reſideſque ſenſus:
Summas domorum clam pius occupat
Loiola fauces, unde micantium
Suſpectus aſtrorum ſequaces
Longè oculos animoſque paſcat.
Atque heic ſereno pervigil æthere,
Stellata mundi cœruleo ſupèr
Dum ſcena verſatur theatro,
Miſſilibus petit alta votis.
Rimis Olympi dulce flagrantibus

Sionis arces ſublegit igneas;
Ardetque cernendo, & beatæ
Sedi inhians lacrymatur exul.
Sic illa puri nectaris artifex
Stillare fornax vi tacitâ ſolet:
Liqueſcit arcano roſarum
In lacrymas vapor actus æſtu.
Quos, Tutor Ales, lucida fervidæ
Ad templa perfers mentis anhelitus,
Dum corde conceptum refundit
Parturiens oculis amorem!
Hic ille fons eſt, unde volubili
Malas inundant flumine lacrymæ:
Quos aureâ exceptat Miniſter
Sidereus paterâ liquores.
Cæleſtem ad aram rite preces pio
Fletu natantes libat, & arduum
Mulcet Tonantem. Fons viciſſim
It nivei pede pulſus Agni.
Largo clientem Gratia proluit
Illapſa ductu. Proh ſacra gaudia,
Rogique vivacis voluptas
Ambroſio ſociata nimbo!
Nunc ima terrarum, & lacrymabiles
Rerum tumultus deſpicit editæ
Ab arce mentis, & caduci
Fata Pater miſeratur Orbis.
Quàm fœda gentes Cimmeriæ premit
Imago noctis! terrificæ fremunt
Cœciſque inhorreſcunt procellis,
Monſtra ſinu glomerante, nubes.
Væ, quàm æſtuoſo gurgite turbidus
Euripus, aut quæ vorticibus rapax
Charybdis, aut puppes viroſque
Scylla avidis lacerans moloſſis!

Jam Bella multo ſordida ſanguine,
Fideſque caſtris & Pietas procul
Fugata, fas verſum nefaſque,
Flebilibus ſubiere formis.
Heu bruta avari Mygdonidæ fames,
Ac Tantaleæ ludibrium ſitis,
Faſtuſque veſani Gigantum,
Et Paphiæ mala blanda peſtis!
Hinc illa magni nauſea pectoris;
Hinc ille fœtor, nec tolerabilis
Sentina, terrarumque ſordes;
Hinc oculis lacrymoſus imber.
O læta Amori balnea, Lacrymæ!
O criminoſis mœſta piacula
Terris inundate, ô decoræ,
O liquidæ tereteſque gemmæ!
Non myrrha tales, non Phaëtontiæ
Pingui Sorores cortice lacrymas
Miſêre, geſtandos honores
Auribus Italidum ſuperbis.
Turis calentes non ita lacrymæ
Fragrant Sabæi: non ita ſuavibus
Fecunda, pendendis & auro,
Balſama dant lacrymis odorem.
Nec tam nitentes roſcida lacrymas
Aurora fundit. Naufragiis licèt
Petantur, Indis viliores
Concha parit generoſa baccas.
Ergo perennes currite lacrymæ,
Ignatiani flumina gaudii,
Sulcate malas; perge ſancto
Diluvies pretioſa luctu.
Terris amaras det lacrymas Dolor;
Dulces Olympo det lacrymas Amor,
Igni remiſtas. Quàm diſertæ

Pondus habet pia lympha vocis!
Quin, prodigorum torrida luminum
Fluenta, curſum ſiſtite, ſiſtite.
Vultu quid exeſo canales
Mobilibus ſecat unda rivis!
Ah, ne intuendo ſidera, lynceam
Stagnantis ignis vis aciem obruat!
Extincta ne gentes ſalutis
Aſtra fleant, vigileſque flammas!





LYRICON
LIBER III.
VARIIS CONTEXTUS ARGUMENTIS.

ROMÆ SANCTÆ CONSPECTUS
AD CLEARCHUM IN URBEM PROFECTURUM.

ODE I.



IBIS Quiritum nobilis advena,
Clearche; Thybrimque, Oceano diu
Latéque regnato tumentem,
Velivolâ ſuperabis alno.
Theatra, Circos & Capitolia
Vulgus requiret: Cæſareas domos;
Arcus triumphales ſtupebit,
Marmoreæ monimenta Romæ.
Te Chriſtianæ inſignia Gloriæ,
Urbiſque Sanctæ Relligio potens
Defiget ardentem, ac profanos
Magnanimum ſuper ire faſtus.

Cælo propinquis ardua turribus
Delubra, & arces; nec minùs & ſpecus,
Armata dum ſævit Tyrannis,
Chriſtiadûm latebras, tueri
Juvabit. illinc ſcilicet entheus
Afflatur horror pectoribus piis;
Dulceſque Cryptarum tenebræ
Sidereos jaculantur ignes.
Vicos per omnes quæ loca nobili
Adhuc rubeſcunt ſanguine, conſciam
Mentem remulcebunt, & annos
Nil metuens Fidei trophæum.
Heic (dicet hoſpes) quadrifidâ trabe
Pronus pependit Janitor ætheris:
Cervicis heic Pauli reciſæ
Tergemini micuere fontes.
En, curioſis dulce labris, age,
Liba fluentum. nam memori latex
Lactis ſaporem ſervat undâ
Virgineus, liquidumque nectar.
Ferro heic tremendus ſanguineo ſtetit,
Dum peſtis Vrbem perfurit, Aliger;
Sed blandus objectâ MARIÆ
Effigie, veneranſque ceſſit.
Hanc (Exquilino templa ſubis jugo)
Hanc ipſa tantis molibus aream
Deſcripſit, Auguſtique mirâ
Virgo avidos nive fregit æſtus.
Gaudens Agrippæ, nunc melioribus
Sacris dicatum, viſere Pantheon,
Magnæque perſolves Parenti &
Purpureis tua vota Divis.
Congeſta acervis lipſana Martyrum,
Theſaurus ingens, corpora barbaros
Experta tortorum furores,

Jamque ſuis ſacra membra pœnis;
Auroque gemmiſque oſſa micantia
Videbis, olim quæ ſibi maximus
Repoſcat æther, ac beatis
Corporibus nova fundat aſtra.
Quæ Vaticanæ lumina Regiæ!
Quantus benigno ſidere Pontifex
Affulget! I ſacris, per Alpes,
Auſpiciis, pelagove Thuſco.
At te ille, partes qui Ducis ac Viæ,
Sanctis & idem meta laboribus
Merceſque, geſſit, rite Chriſtus
Soſpitet, incolumemque reddat.

SAMSON MORIENS.

ODE II.

LUMEN Heroum, populique * *Solem*
Non ego intonsâ rutilum juventâ
Concinam, oraclo præeunte, Cæli
Nobile munus.
Ut puer miro generoſus ortu,
Robur immenſum, neque fabuloſis
Viribus fictiſque minor Gigantum
Geſſerit auſis;
Corde cæleſtes ſimul hauſit auras,
Entheo jam ſeſe, hominemque ſupra
Impetu aſſurgens, penitùs recepti
Numinis inſtar.
Ut feri ardentem catulum leonis
Verus Alcides, avidumque prædæ
Fregerit nudis manibus, tenello
Molliùs hœdo.
Ut Palæſtinas acies, rudentis
Fortè maxillâ pecoris repertâ

* Ea ſubjecta notio eſt Samſonis nomini.

Straverit, visus trifidi rotare
Fulminis arma.
Limpido victrix mola, post cruorem,
Fonte manavit : cibus & voraci
Belluæ innatus ; maduêre sævæ
Nectare fauces.
Flamma ceu stuppas, inimica funes
Vincla dissoluit ; mediâque clausus
Urbe, ferratas rapuit revulso
Cardine portas.
Nil moror vitam : Lyricis sonari
Dignior Musis, animæ superbæ
Prodigus Samson bene laureatâ
Morte triumphat.
Hinc procùl mœstæ foliis cupressi ;
Hinc sepulcrales procùl este taxi ;
Funeri lectas merito, Camœnæ,
Reddite palmas.
Næniæ, ac fœdi procùl ite planctus :
Debitam, Hebræi, celebrate pompam
Vindici magno, & memorem sepulcro
Sculpite laudem.
Alta concussis graviter columnis
Tecta subvertit : malè feriati
Hostis immani jacuit ruina &
Strage sepultus.
Patriæ Assertor, sterili sacratus
Matris ex alvo, Domitor ferarum,
Gentium Victor, Juvenis doloso
Captus Amori ;
Lucis extincto velut orbe Titan,
Sidus Hebrææ columenque gentis
Sordet ; & Cœcus, velut umbra magni
Nominis, horret.
Interim festis epulis calentes

Et Palæſtini Proceres, & omnis
Vulgus, infandi quatiunt tumultu
Carminis auras.

Audiit Samſon (neque enim tueri
Erutis fas eſt oculis protervæ
Gentis inſultus: ea ſola diræ
Gratia noctis)

Audiit vulgi ſtrepitum, & profanas
Principum voces. celebris Dagoni
Hoſte captivo reboat per alta
Templa triumphus.

Ah miſer quantos animo furores
Concipit Samſon! ſubit ira juſto
Gaudia inviſæ maleſana turbæ
Vertere luctu.

Ille præreptum vacuis Olympum
Orbibus quærens; Deus, Abramææ
Gentis ô Cuſtos, ait, ô, precantem
Reſpice Cœcum!

Triſte fatalis ſpolium capilli
Perfidæ tonſor Dalilæ miniſter
Abſtulit, ſancto ſimul & capillo
Penſile robur.

Cum comâ primæ cecidêre vires;
Nec queror: turpis meruit libido,
Quâ lupæ demens potui verendas
Prodere leges.

Sed vides, quanto fremitu protervus
Hoſtis inſultet? Tua, cœciores
Barbari Cœcô, ſuperata mecum
Numina plaudunt.

Redde nunc, oro, placidus priores
Redde mî vires. duo rapta vultu
Lumina informi tuus ultor unâ
Clade rependam.

Jam profanatus vetito capillus
Forfice increvit; veteriſque floris
Rurſus amiſſum decus expiato
Vertice ſurgit.
His ubi cælum tacitus querelis
Flexit & votis, miſerandus alto
Corde ſuſpirans, petiitque feſſis
Otia membris:
Vincla tum laxat, geminæque Cœcum
Admovet ductor facilis columnæ:
Hinc & hinc prenſas medius columnas
Propulit Heros.
Cum Philiſtæis moriamur, inquit.
Subrutis ædes cecidere fulcris:
Solvitur caſus tragici voluptas
Comica luctu.
Cantus in diros abit ejulatus:
Intremit tellus, tonat æthra, fanum
Clade cultores pariter Deumque in-
volvit inanem.
Unde ludentem peritura Cœcum
Turba ſpectabat, labefacta vaſto
Porticus ſecum tria cum fragore
Millia traxit.
Hoſtium oppreſſus cecidit ruinâ
Lætus; ac plures moriens peremit,
Quàm priùs, vivens patriæque pugnax
Straverat ultor.
Quid gravi eliſum, pia turba, caſu
Quæris, inſanos removens acervos?
Erutum fruſtra patrio laboras
Ferre ſepulchro.
Publico Samſon tumulo potitus,
Splendidè horrendo tegitur trophæo.
Gratior nuſquam locus eſt: perempto
Incubat hoſti.

STEMMA RAMBOLLIETANUM LUDOV. ELISAB. ANGENNIÆ S. STEPHANI REMENSIS ANTISTITÆ.

ODE III.

AURO ſuperbam vidimus Arborem,
Regnare ſilvis, hoſpitio ſacram
Cultuque Vatum: bracteatis
Fulget honos pretiumque ramis.
Hìc ſcena latè multiplicem explicat
Auguſta pompam: nominibus ſonant
Inſcripta magnis, & decoro
Luxuriant folia ampla faſtu.
Quot regiarum inſignia torquium!
Quot ſceptra pendent Martia, & inclytæ
Gemmis coronæ! quæ trophæi
Inſoliti facies coruſcat!
Laurumque palmamque & Libanitidem
Viciſſe cedrum nobilis emicat
Arbos, & aſtris invidendum
Jungere amat generoſa florem.
Non tanta dites Heſperidum plagas
Beavit arbos: non Dryadum hæc domus,
Cùm Graja Nymphas fabuloſo
Insereret nemori vetuſtas.
Angennianæ Stemma propaginis
Agnoſco, & altæ lumina gloriæ,
Stirpemque * Regalem, nec unquam
Degeneres Atavis Nepotes.
Eſt *, cui ferocis regna Poloniæ
Henricus abſens credidit. Huic, Parens
Tutorque Muſarum, ſupremi
Ferre dedit monimentum amoris

* A D. Ludovico ducta materna linea.
* Nicolaus March. Ramboll.
Jacob. Angen. Francisco I. cariſſimus

Franciſcus, ingentem edere ſuavibus
Angennî in ulnis Rex animam libens.
Hic Carolum Gallis Amores
Fingere Deliciaſque viſus;

Joan. VI. Ramboll. Caroli VI. Regis Gubernator &c.

Idem Viennam primus, & additum
Delphina Francis flectere liliis.
Nec Vaticano * Præſul oſtro
Deſuerit lituoque clarus.

* Carolus Episc. & Cardin.

Armis tremendos, conſilio graves,
Fecunda Virtutum & Procerum Domus
Diffudit Europam per omnem,
Bella manu, placidave Pacem
Linguâ ferentes. Jam rapidus ruit
Per tela & ignes per medios Leo;
Vaſtâque Nortlinguæ ſub arces
Strage fremit juvenilis ardor.

Leo Angenn. Marchio Piſanius.

Immite fatum! ſic decuit tamen
Cæſorum acervis grandibus hoſtium,
Tuoque, Piſani, trophæo, &
Purpureo incubuiſſe letho.
Ramos per omnes vivida ſtirps agit,
Ille, ille, gentis Borboniæ caput,
Rex Divus, æternoque frontem
Sideream redimitus igni.
Ductu perenni per memores iit
Transfuſa faſtos gloria Principum,
Rambollietos nuptiali
Fœdere conſocians Penates.
Antiſtita ex quo Maxima ſanguinem
Decuſque traxit, candida virginis
Puella regnatrix catervæ,
Jam Supero bene pacta Regi.
At, quam ſuperbo Montoſides jugo
Nuptam revinxit, magnificas ſoror
Aulæque Parnaſſoque curas

Dividit, ingenioque regnat.
Spes administrat Julia publicas;
Et, qui volentes per populos dabit
Mox jura, Delphinum gubernans
Imperio tenerum elaborat:
Cælestis Agni dum niveum gregem,
In arva læto roscida nectare
Collesque tendentem Sionis,
Agmine liligero puellas,
Elisa sanctis imperiis regit,
Ausa & faventem linquere Regiam;
Purosque vivo pascit igni &
Dulcibus illecebris amores.
Elisa felix, quæ popularibus
Majora votis pectore fervido
Concepit; insultansque terris
Ætheriâ volitat sub Aulâ!
Nec verò amicos interea fugit,
Digna eruditæ Progenies Domûs,
Castosque Musarum lepores,
Et pretiis animos lacessit.
Sic & flagrantes Aligerûm choros
Cantu frequentat consona mystico;
Dextrâque mortales Camœnas
Munificâ stimulare gaudet.

Dux Montoseria, Delphini primùm Gubernatrix &c.

ANGELO TUTELARI.

ODE IV.

QUISQUIS es, Cæli genus & Sionis
Fulgidæ Civis, volucerque terræ
Hospes, aspectum fugiens, & idem
Clarior astris;
Purior flammâque animâque, Princeps
O Peregrini Comes, exulisque

Dulce ſolamen, pavidi benigne
Tutor Alumni!
Horridos inter, mala noſtra, caſus
Degis & luctus; at ubique felix,
Læta dum excelſi facie Parentis
Lumina paſcis.
Interim umbroſis metuenda turbis
Caſtra metaris vigil, & Clientem
Plurimus vallas, placidâque curâ
Providus ambis.
Lumen obſcuræ, gelidæ calorem
Admoves menti: Dominoque vota
Offerens ſervi, pretioſa velox
Dona reportas.
Sic ama, ſemper ſtudiis probari
Corporis præſens animique Cuſtos;
Neu parum grati vitiis repulſus
Cede Clientis.

ANTHOMANIA,

SIVE IN SUMPTUOSIORES FLORILEGOS

ODE V.

LUxu quis hortos Aſſyrio furor
Ornare? pictis errat in areis,
Vanoſque venatur Colores
Ambitio maleſana Florum.
Venalis auro bulbus, & improbo
Cultu ſuperbit. quin pretium ſupra,
Cenſuque jam major Tulippi
Forma fugax, folio caducus
Marcente fulgor. Quam cupidi tamen
Labore tanto Florilegi, roſæ
Oſtro priorem, liliove
Extuderint ſpeciem nivali?

Fastidiosis nempe oculis placent
Non pulchra, sed quæ rara. nec exteram
Gentilis æquet Flora Chlorin.
Barbaries peregrina, laudis
Pars prima rebus. Vertere dædalo
Molita Naturam ingenio manus,
Corrumpit; & multam per artem
Monstra parit variante ludo.

ANTONIO VERJUSIO S. J.

Cùm de laudatissima Vita D. FRANCISCI BORGIÆ, à se editâ, demissè scripsisset ad Celsiss. Principem FERDINANDUM Episcop. Paderborn. Coadjut. Monaster. Epistolâ Nuncupatoriâ Carminum in eundem S. BORGIAM.

ODE VI.

PARUMNE claris aucta laboribus
Æterna magni gloria BORGIÆ?
Nec Vita, quæ tanto per Aulam,
Per populos celebrata plausu,
Explevit acrem, quo Pietas flagrat,
Divinæ amorem laudis? & inclyta
Supplere, VERJUSI, Camœnis
Historiæ monumenta curas!
Tot ista florens charta leporibus
Nec sat renidet; tot radiis micans
Insignis, augustoque cultu,
Charta sacris opulenta gazis?
Quàm læta Virtutum enituit seges
Doctæ beato munere copiæ,
Rerumque majestas amicâ
Eloquii decorata pompâ!

Cælo Miniſter dignus & Artifex
Aſtra elaboras ; aurea lumina,
Puraſque in Horoïs coronam
Texto acuis rutilante flammas.
Pulchro eruditas fers operi manus,
Jam laureatas, jam meritis graves,
Notaſque Divis : & ſequaci
Scripta volant numeroſa Famâ.
Dudum Nobletzi ſplendida grandibus
Factis, & ingens Armoricæ decus,
Auctore facundo ſtupentes
Vita oculos animoſque cepit.
Et ſecla vincet. par Superis tamen,
Romæque faſtis debita, BORGIÆ
Prælusit, immenſæque Vita
Stravit iter bene victa laudi.
At tu, ſacrato mentis adhuc calens
Partu, labores longâ alios viâ
Ordiris : & Fratri ſagaces
Egregio ſociare curas,
Rhenique ad oras tendere Regio
Urgente miſſu ; non tacitæ magis
Natum Minervæ, quàm potentem
Conſiliis, habilemque rebus,
Scriptorque & Actor nobilis exhibes ;
Illuſtris ardor quà rapit obſequî,
Sacroque ovantis Marte Regis
Auſpicium, Fideique cultus.
Tibi per Aulas, caſtraque Teutonum,
Juncta Arte Virtus. fœdera Principum
Tractare ſolers, rite cauſæ
Interea Superûm allaboras.
O te beatum, Neuhuſiâ datur
Cui FERDINANDUM viſere regiâ,
Numenque Vatum, ſanctiuſque
Aonio

Aonio penetrale ſano!
Illic ſaluti (vera refers ?) meæ
Inter remiſtas attabalis tubas
Libaſtis; abſentiſque tantas
Nomina perſonuere menſas;
Dum ſumptuoſo lætior Hoſpites
Honore Princeps accipit; ingenî
Lepore, doctrinâque claros
Largus amat celebrare Fratres:
Hunc tu Patronum concilias mihi;
Et cujus autor, teſtis idoneus
Favoris, huc illo ſuperba
Creber agens Helicone dona.
Quæ digna tali carmina gratiæ
Olim rependam? Nec placitæ modus
Benignitati. jam nitentes
Præla typos operoſa verſant:
Jam dedicato littera carmini
Præfixa; laudes nec modò Principis
Collegit, indignum ſed amplis
Accumulat titulis Poëtam.
At fortè ſi me Caſtalias placet
Efferre in arces; parce modeſtiâ
Gaudens iniquâ, cur te ab aſtris
Sponte humilem redigis ſub umbrâ?
Ingratus, ah, Famæ obſtrepis, & ſacris,
Suggeſta volvunt quas pia, laudibus.
Non antè ſat notus (Quirino
Vel meritum celebrante ritu)
Donec ſtupendæ lux nova proderet
Arcana Vitæ; BORGIA jam tuus
Triumphat: & Præco per alta
Templa frequens tua dicta jactat.
Qualem ipſe narras olim habitum rudi
Cultumque Vitæ, magnanimi datum

* Ducis & Marescalli Franciæ, ad Religiosum Ordinem ex lecta D. Borgiæ vitâ, reversi.

JOIOSÆ * in usus, dum priora ad
Castra dolo revocat salubri
Subletus armis egregium Ducem,
Librique formâ pellicit extimâ;
(Ridebat, encaustoque picta,
Et solido radiabat auro)
Talem, elegantis mirum opus ingenî,
Nunc Vita læto ditior ubere,
Majorem & ornatum requirat
Digna oculis manibusque Regum.
Tunc, noctis inter fida silentia
Perlectus, exemplo acer & efficax,
Non sponte desertas, sed ultrà
Immemorem repetisse partes,
Liber subegit, relligiosiùs
Merere Christo; delicias, opes
Calcare, FRANCISCIQUE dura
Signa sequi, rigidasque leges.
Palmaris & vis ardua BORGIÆ
Quem non caducas res super efferat,
Crucisque vexillo advolantem
Sidereos agat in triumphos?

D. CATHARINÆ VIRG. ET MART.
ODE VII.

QUAM tibi struxit, CATHARINA, tortor
Machinam sævi tragicam doloris;
Te, Triumphalis Rota facta Currûs,
Invehet astris.
Tu Sophos fastum sapientiamque
Dedoces falsam: neque te Magistrâ
Discere ignotum puduit Tonantem, ac
Morte fateri.
Post feros victi gladios Tyranni,

Dote pœnarum locupletem, & olim
Annulo pactam ſociat volenti
Pronuba Nato. Deipara.
Luſtrica inviſum patriæ colorem
Unda purgavit priùs : at pudico
Lacte nunc lotæ Genii volantes
Funera curant.

DE TRAGOEDIA;

AD JULIUM HIPPOLYTUM MENARDERIUM ACADEMICUM, SACRIQUE CUBICULI LECTOREM;

Cùm eam Poëtices partem doctiſſimo elegantiſſimoque opere illuſtraſſet.

ODE VIII.

REGINA longo turbida ſyrmate
Verrit theatrum. Non calido coma
Vibrata ferro, non odorum
Aſſyrio madefacta rore.
Nec forma mendax, ſplendida nec genis
Venena. vultum caſtus habet decor,
Miſtus dolori. pars decôris,
Ipſe dolor : placet ipſe luctus.
Fortuna ſævo quidlibet inſolens
Peccare ludo, funeream movet
Scenamque, famoſoſque caſus,
Et Procerum revoluta fata.
Terror per omnes it cuneos virûm,
Utcunque pœnis culpa ſequacibus
Urgetur : effuſuſque Mœror
Corda quatit, lacrymaſque miſcet.
Ut rerum hiantem mirus amor tenet
Paſcitque turbam ! jamque alacrem ſtupor

Plausum repressit. Ne loquaces
Cruda Sophi documenta jactent.
Gentes Poëtæ blandiùs edocent,
Moresque purgant. Hinc tibi laurea
Surgit, Menarderi, perennis,
Dum Tragicæ vitiis Camœnæ
Severus obstas. Corduba nec suum
Censuræ alumnum turgida subtrahit,
Pingue & peregrinum sonantes
Fundere quam memorant Poëtas.
Vecors recluso quid gladio parat
Noverca, & artus Hippolyti super
Effusa? probrosone castum
Sanguine commaculat cadaver?
Phædræ otiosus (marmoreum putes)
Spectator adstat, nec gladium eripit
Conjux, & infandi cruentas
Tot patitur furias Amoris.
Quid ille, natos & Megaram Hercules
Coràm trucidans? aut muliebribus
OEtam fatigando querelis
Quid meruit malesanus Heros?
Quæcunque, Vatum languidioribus
Sublapsa curis, fœda Tragœdiam
Labes notavit, sive Graias
Illita, seu Latias per urbes:
Priscas, recentes emaculat notas
Nitens jam ab omni parte Tragœdia;
Gravique Thymbræi parentis
Exuperat genus omne formâ.
Tuæ illud artis munus & ingenî,
Mirande Scriptor, picta leporibus
Cui charta, doctrinâque fulget
Mygdoniis potiore gazis.
Sed te per Aulam nunc alius labor

Exercet, ipſo dignus Apolline.
Tu Gallico Phœnix Achilli;
Teque animo Lodoïcus haurit
Blandum eruditis influere auribus,
Scita actuoſæ dum Sapientiæ
Evolvis, exemploque totum
Colligis ac ſuperas Lyceum.
Regum triumphos & memores amat
Faſtos doceri, nunc Babylonios,
Nunc Pellæ Alexandro ſuperbæ, aut
Cæſareæ decora alta Romæ.
Virtutis ingens at propiùs movet
Avitæ imago: quæque tulit ferax
Virûmque virtutumque tellus,
Franca avidus repetit trophæa.
Simul flagranti corde micat, ſuæ
Moras juventæ, factaque Principum
Audita præcurriſſe lætus,
Et patrias geminaſſe laudes.

IN S. APOLLONIÆ TORTOREM.

ODE IX.

BARBARE, cur revulſos
Stirpitus dentes niveæ comminuis puellæ,
Dentibus ô cruentis
Digne quem pardi lanient, Armeniæque tygres?
Nil agis, ut Deorum
Monſtra, latratuque ferum devenerans Anubim,
Cornigeramque cultu
Iſin aut Apim celebrans degeneret profano.
Quid truculente ceſſas
Carnifex? ardente rogo quid minitans reſiſtis?
Exprobrat ipſa lentos
Involans ultro mediis ſuppliciis furores.

Fervidus in coruſcas
Emicat ſedes animus; ſacrilegæque victrix
Perfidiæ Virago
Deſpicit cælo Pharias jam nova ſtella flammas.

AD JOANNEM STRADÆUM S. J.
Cùm officioſiſſimum Vatis emeriti teſtimonium de Autore promulgaſſet.

ODE X.

* Toloſâ.

QUID urbe * miſſas Palladiâ juvat
Efferre laudes Aonii Senis,
STRADÆE, majoremque vero
Invidiâ cumulare Famam?
Abſiſte plauſu. Non ego credulus
Lactari amicæ nectare Gloriæ.
Cycnea THERONIS probavit
Canities juvenile carmen?
Venæ beatas divitias canit?
Sic non avaræ munere fabulæ
Taguſque, Pactoluſque, & Hermus
It liquido pretioſus auro.
Si vena tantis veriùs affluat
Superba gazis; non ego te meâ,
STRADÆE, inornatamque Fratris
Progeniem patiar Camœnâ,
Qui Celtiberis finibus explicat
Nunc arma Ductor maximus agminum,
Vanoſque Iberorum retundet
Conſiliis animiſque motus.
At te refractis Tartara cornibus
Horrent, togatâ militiâ ducem
Experta, quid virtute poſſis
Hæreſeos ſcelerumque victor.

Angusta sacris terra laboribus.
Quondam & profundi cœca Palæmonis
Pericla, mortalesque in alto
Non timidum penetrare pugnas
Classis stupebat Regia; quàm vigil,
Solersque curâ non humili, Ducum
Et militum ambires salutem;
Dum volucris fera grando plumbi,
Dum jacta ahenis undique molibus
Circumtonarent Martia fulmina, &
Cruore fumantes & igni
Ferrea nox operiret undas.
Nec ipsa pulchris fessa laboribus
Cessat Senectus. Eloquio potens
Hortaris, ac doctâ flagrantes
Voce animos acuis piorum.
Fastidiosi nulla supercilî
Timenda nubes, nil tetrici geris;
Et integro cani lepore
Vim placidæ gravitatis ornant.
Ut ore mulcens Nestoreo, Pater,
Lætos sodales, melleus influis!
Pondusque, majestasque verbis
Constat, & in nitido renidet
Spectanda vultu, dignaque Principe.
Quodcunque claris gentibus eminet,
Juventa Regales per aulas
Nobilibus peregrina curis
Contraxit, omnes moribus exprimens
Formas decoris. Itala sed magis
Cordi venustas, & Quirinûm
Alta Patrum species inhæsit.
Hinc laureati te, Patruum, Ducis,
Hinc infulati stemmata * Præsulis
Cinxere; Aquitanæ Patronum

* Episc. Condomensis antiquissimi.

Te facilem coluere gentes.

D. RAPHAELIS ELOGIUM.

ODE XI.

TESTIS Euphrates, rapidúmque Tigris
Flumen, & muri Ninives ſuperbi,
Tobiæ quantus comes, & viarum
Rector adhæſit.
Ille mortales habitus, & ora
Noſtra geſtavit: ſimulare ſervum
Nec fuit Divo pudor; & benignâ
Fraude fefellit.
Ille deſertis homicidam in arvis
Dæmonem vinxit: rediviva, lucis
Angelus diæque potens medelæ,
Lumina Cœco
Extudit, magnos acuens in uſus;
Quò, ſacros inter Proceres Tonanti
Intimum, cernat nitidâ Miniſtrum
Corporis umbrâ.

IRIS IN FONTE.

ODE XII.

VIDES, ut altè limpidus emicat
Cælumque jactu fons liquido petit,
Gemmiſque rorans, & ſereno
Plaudere amat recidente nimbo?
Triton, ſupinâ cœruleus comâ,
Plenis coactam faucibus evomit,
Conchæque diffundit ſonantem
Ære cavo jaculatus undam.
At Phœbus amni, qui vagus aëre
Byſſi nitentes fingitur in ſinus,

Adversus immissis renidet
Mille ſerens radiis colores.
Ceu vellus album purpureo inficit
Humore Sidon, læta ſuperbiat
Quo deinde majeſtas amictu
Regia, ſideribuſque certet.
Sic luce Titan plurimus imbuit,
Tingitque lymphas. hîc viridem trahit,
Hîc luminis flavum repulſu,
Hîc rubeum bibit unda fucum.
Nubes nec arcum roſcida finxerit
Amœniorem, pacti ubi fœderis
Signo refulgenti vetantur
Diluviem timuiſſe gentes.
Nec, dum trigonum ludit amabili
Errore vitrum, cunctaque in Iridem
Transformat, inducitque pictis
Elyſii ſimulacra campis.
Haud tale quiſquam verſicoloribus
Filis tapetum proferat artifex.
Titanis & quiſquam æmuletur
Sidereos Phrygio labores?

MOSES. ODE XIII.

VINDICEM Hebræi generis Puellum,
Fulmen Ægypti, vaga portat unda.
Scirpeæ mites Pueri carinæ
Parcite fluctus.
Mollior duro Pharaone Nata,
Ipſa fatalem Puerum & natantes
Suſcipit cunas gremio, futuræ
Inſcia ſortis.
Cuncta permiſcens elementa Vates,
Efficax virgâ, Domitor Tyranni,
Fluminiſque inſtar, populis tremenda

Monstra ciebit.
Dux Erythræo bipatente callem
Sternet intactum ; pluviumque cælo
Manna diffundet , rigidaque largum
Nectar Eremo.
Amne sublatum , sacra flamma poscit.
Saxeis fœdus tabulis inustum
Fronte lunatâ referet coruscus
Monte Sequester.

VIRGA MOSEA.

ODE XIV.

QUæ gregem rexit, populis & omni
Jura Naturæ ferat. O biformis ,
Jam pedum, jam sceptrum eadem, per agros
Nota , per urbes !
Ut repentini faciem colubri
Induis , Moses trepidus refûgit ;
Mox redis in te , rapiente caudam
Mose colubri.
Tanta quo sceptro vigeat potestas ?
Hæc Magos fregit , Stygiasque vires ;
Ac Dei certis operosa signis
Virga refulsit.
Impium attrivit Pharaona plagis ;
Regna subvertit ; geminos Erythram
Struxit in muros ; scopulis fluenta
Mellea duxit.
Ardui telum Ducis una , palmas
Implet elatas Superis , & infrà
Temperat pugnas , gladiisque robur
Addit & hastis.
Inde suspensam fluitare laurum
Nunnii * sensit Soboles ; suisque

* Josue.

Fortiorem armis, dominamque fati
Surgere Virgam.

JOSUE, DUCI MAXIMO.

ODE XV.

TE quis, Hebræûm generose Ductor,
Nunnii sanguis, tacitum relinquat,
Sceptra victrici Chananæa fortem
Vincere dextrâ?
Te retro versâ fugientis undâ
Flava Jordanis stupuere regna:
Pervium sicco pede transmeasti
Fluminis alveum.
Te sacris pompas agitantem in armis
Viderant clausæ Jerichuntis arces;
Bellico latè cecidere quassa
Mœnia cantu.
Te, Deo humanæ famulante voci,
Audiit cælo vetitus moveri
Siderum princeps, stabilique noctem
Luce repressit.
Arduus prono stetit axe, pugnæ
Testis & fautor; penitusque fusos
Grandinis vasto crepitante nimbo
Præbuit hostes.
Quinque mox antri latebrâ Tyrannos
Eruis, jussâ pius ultor irâ.
Penduli furcis, species trophæi
Horrida, Reges.

Obediente Domino voci hominis. Josue 10.

FELIX SENECTUS.

AD LUDOVICUM MÆRATIUM THEOLOGUM.

ODE XVI.

ECQUEM, Sicanæ mole premi ratum
Ætnæ, fatigat non tolerabilis
Senecta, cæleſtiſque doni
Actum odiis Stygiæve pœnæ ?
Huc vertat aures ad citharæ ſonum :
Turpes querelas & gemitus premet
Ingratus, ætatemque parcet
Immeritis onerare probris.
Lecto ſepulti membra cadaveris,
Spirare ſolis viſa doloribus,
Seu morbus exercet, furores
Carnificum ſuperare viſus :
Seu primæ inanem mentis, & ultimæ
Sorti relictum, colloquio fugax
Dignatur haud ullo juventus,
Noctivagam velut horret Umbram :
Seu jam propinquo funere palluit,
Timore manes jam patitur ſuos,
Et mortis & vitæ moratur
Impatiens, dubiuſque voti.
At tu innocentes, quiſquis es, ô miſer,
Culpare canos deſine, mox tibi
Iratus uni. Non ſenectæ,
Aſt animi vitio laboras.
Sero Juventæ ſordida fæx malæ
Subſedit ævo. Diſce adeo Senem,
Me teſte, nil vitæ arguentem
Degeneres gravioris annos.
Non hic, Quirinæ grande decus togæ,

Narro Catonem. ſanctius offeram
Felicis exemplum Senectæ :
Mæratius mihi carmen eſto.
Stupore nam quis pectora plumbeo
Bœota preſſus, neſciat inclytum
Nomenque, virtuteſque, & alti
Tergeminos operis labores?
Hic ille, diæ quem Sapientiæ
Sacro Magiſtrum Gallia pulpito
Mirata, bis-terniſque luſtris
Doctam avidâ bibit aure vocem;
Dum nil profanum, nil rude tinniens,
Lepore priſcam barbariem novo
Detergit; Arpinumque Aquino
Conſociat, teretique linguâ
Volvit profundæ mentis opes, ſui,
Thomæque largus. Mæratiâ extulit
Se luce * Clarus-Mons, Olympi
Sidereas imitatus arces.
Quid conſulenti nota Lutetiæ
Oracla narrem? Regia, nec ſemel,
Suſpenſa reſponſum petiſti,
Et dubiis, Richelæe, rebus.
Turbâ remotus nunc placido Pater
Gaudet receſſu, biſdecimum quater
Ætate prætervectus annum,
Et facili ſuperans ſenectâ.
Longæva nullis membra doloribus
Tentare morborum auſa cohors, procul
Abſiſtit, & ſanctæ veretur
Hoſpitium violare mentis.
Vitæ elegantis quantus adhuc lepos!
Quàm morum amœnus candor & ingenî!
Nec frontis aut tantùm ſenectæ,
Quantùm animi Sophiæque, canſ.

* Coll. Claromont. Pariſ.

Septum latebris & Proceres, neque
Obſcurum in umbrâ viſere amant Senem:
Auditque gratantem benignus
Liligeræ Dominator Aulæ,
Si quando in Aulæ publica Fauſtitas
Lucem evocavit, Pacis & aureæ
Ridens imago. Regis ardent
Obſequium generoſa corda.
Extremum ad ævi diſcere cardinem
Legis repertor Cecropiæ Solon
Jactabat olim: tu docendo
Emeritam vegetas ſenectam,
Myſtes ſacrorum ſplendide, Mærati;
Henr. Borbonius, Dux Vernelius &c.
Quo ſe Magiſtro extollere Principum
Felix alumnorum juventus
Viſa, tuas celebravit Artes.
Pulchri laboris nunc quoque pertinax
Docere tendis. Non ego, quæ triplex
Perennis excudit volumen
Ingenii monimenta, canto,
(Volat per Orbem Mæratiæ decus
Inſigne mentis: publica vox ſonat
Scholas per omnes, & Lyceo
Cælum aperit, ſolidumque Numen)
Privata laudo. Quas ego litteras
Legi, & ſenili quàm ſtupui manu
Tantum exaratum, cuncta melle &
Ingenuis ſalibus remiſta!
Quæ cura! rerum quo ſeriem notas
Labore, quantâ ſollicitus fide!
Teſteſque & autores renarras;
Acta, dies, locus, ordo conſtant.
Dicam, otioſæ ſi liceat chely,
Opes relictas, geſtaque munera,
Gentis magiſtratus togatæ;

Cujus amor, medias frementis
Inter procellas invidiæ, domo
Florentem Ephebum fervidus abſtulit,
Oraſque in externas ſecutum
Addidit exilio Sodalem.
Votis canoras denique litteras
Obſigno; & annos vel Dionyſii,
Magni vel Antonî precabor,
Et niveæ parilem ſenectæ
Curſum ac tenorem. Tu prece mutuâ,
Mature Cælo, crudum & inutilem
Juva Clientem, dum ſacratâ
Fruge litas pateráque Myſtes.
Neu ſcripta raptim deſpice carmina
Vatis, Minervæ quem gravior trahit
Curiſque diſtrictum ſeveris
Pierio labor arcet antro.
Et quem Camœnis nuper inemori
Toloſa vidit Palladium Senem, P. Vitalis Theron.
Favebat occurrens benignâ
Laude rudi facilis juventæ.

DE BUBULCIS FLANDRIS FRANCISQUE MILITIBUS.

ODE XVII.

PUGNA furentes aëriâ canat
Alter Gigantas fulmineum in Jovem;
Divûm, Pelaſgis alter armis
Mixta canat Phrygiiſque bella.
Novus decoris ſeria cum jocis
Grandi remiſcet Neſtor epiſtolâ;
Palemque Bellonamque narrat
Inſolitâ ſtrepuiſſe rixâ.
Hinc Panes ibant cornibus aſperi,

Fauni petulcum capripedes genus,
Trucesque Silvani; & Gradivum
Imparibus petiere telis.
Quos non Iberi militis agmina
Tulere Gallos, Belga procacibus
Mordere dictis Pastor audet:
Trans fluvium loca tuta servat.
Quid Francus? alti nec vada fluminis,
Nec linter usquam. Consilium ferox
Dat ira. transmittit natatu
Et fluvium secat ense miles.
Bubulcus oris belligeri minas
Ferrumque cernens, ilicet aufugit,
Pratis & armento relicto,
Par avibus levibusque ventis.
Cessere Marti rustica Numina,
Panesque, Faunique: ipsa suis Pales
Depulsa regnis. major instat
Tristibus auspiciis Enyo.
Prædam per undas miles agit redux
Frustra rebellem: flumine territas,
Crebroque mugitu querentes
Ense quatit capuloque vaccas.
Haud, fabulosæ Pastor Iberiæ
Triformis æquas nutrierat boves,
Quo victor Alcides opimo
Geryonis spolio superbit.
Sic prædæ agendæ: parcere Civibus
Miles memento. Quin age, Bosphorum
Perrumpe raptor: transmarinam
Victor, iô, pete classe gazam.

VIRTUS ADVERSIS ILLUSTRATA.

ODE XVIII.

QUID vera possit rebus in asperis
Virtus, cruento læta periculo;
Probavit invictus Clearchi
Barbaricis animus catervis.
Frustra reluctans fortibus invidet
Fortuna cœptis. deterere inclytos
Molitur Heroum labores:
Victa decus geminat triumphi,
Pars ipsa pompæ. clarior emicat
Offusa acerbis Gloria casibus;
Cœcasque per nubes superbum
Purpureo jubar ardet ore.

SS. PETRUS ET PAULUS.

ODE XIX.

CLAVIGER Cæli, Domitorque latè
Gentium Paulus; cruce pendet alter,
Alter effundit niveos resecto
Vertice fontes.
Par decus vitæ, pietasque mortis.
Mille post gentes Domino subactas,
Splendidam Heroes retulere casto
Sanguine laurum.
Sideri fidens gemino carina
Gaudet, insani domitrix profundi:
Præsidum fato micat expiatæ
Gloria Romæ.
Cæsarum eversis superant trophæis,
Altiùs surgunt soliis sepulcra,
Et peregrino venerata mundo
Limina Divûm.

IN ILLUD VIRGILII;

Capitoli immobile ſaxum.

Unam eſſe Petram, ex Chriſti promiſſo ac dono immobilem.

ODE XX.

NIL ſatis fixum gerit, aut moveri
Neſcium tellus. fragiles virorum
Concidunt vires, etiam caducâ
Mole Gigantum.
Artis inſani pereunt labores;
Coctiles magnæ Babylonis arces,
Littore illuſtris Rhodio Coloſſus,
Et Pharos ardens.
Vaſta Naturæ cecidere membra:
Auſa quæ Cælo propiùs minari,
Alpium ſidunt capita & ſuperbæ
Saxa Pyrenes.
Quidquid immenſo ſtetit orbe, paſſim
Corruit: ſeu vis inimica quaſſum
Stravit, aut ætas tacito perêdit
Invida morſu;
Bruta ſeu Tellus movet, ac ruinam
Sponte dat rerum, nimio laborans
Pondere, & crebro ſolidas tremore
Subruit urbes.
Ille Tarpejas ineunte ſedes
Pertinax olim Jove, nunc Quiritum
Terminus ceſſit, CAPITOLIIQUE
MOBILE SAXUM.
Publicos inter ſedet una caſus
PETRA, nec mundi labefacta motu:

Numinum obtritis ſuper alta ſignis
Mole ſuâ ſtat.
Stabit & nullo violanda caſu;
Quam ſuo æternùm, rata verba fatus;
Stare promiſſo jubet, ac fideli
Munere Chriſtus.
Si qua fatalis metuenda labes
Arduæ moli: toties tremendis
Quaſſa tormentis, toties fragoſas
Paſſa procellas;
Funditus convulſa jacens, vel Auſtro
Jamdiu ſparſus Boreâque pulvis,
Nulla reſtaret. ſed adhuc ſuperſtes,
Perferet ævum.
Machinis fruſtra quatiens, & igni
Sævit & ferro rabies Neronum,
Juncta Vis Fraudi, Stygiique motus
Omnis Averni.
Spumeos, Cephæ generoſa Sedes,
Frangit aſſultus furiaſque ponti,
Et procellarum rapido frementes
Agmine pugnas.
Quin ſacram firmant agitando Cautem
Turbidi flatus; & inane circùm
Murmur invictam ſonat, impotentum
Queſtus aquarum.
Sulfure admoto piceaque flammâ,
Clarior vivis rutilat Pyropis;
Durior plagis, adamanta præſtat
Myſtica Rupes.

VOX PAULI.

ODE XXI.

Ex Chrysostomo.

SACRA divinæ monimenta Vocis,
Litteras, Cæli velut arce missas,
Pronus & lætis avidus sonantes
Auribus hausi.
Qualis extremos hominum recessus
Acta flagranti penetravit ore,
Vivit in chartis, & adhuc per Orbem
Corda quatit Vox.
Ceu tubæ clangor tremefecit hostes;
Ceu lyræ mulcet strepitus clientes:
Intonat bello, Charitumque plenos
Spirat amores.

JULIO CARD. MAZARINO,

DE SUO AB EXPEDITIONE BELGICA, CÆSIS HOSTIUM COPIIS, URBIBUS EXPUGNATIS, TRIUMPHALI REDITU.

ODE XXII.

Præfixa Currui Gloriæ AN. M. DC. LVIII.

CELTARUM nova Lux redi,
Quò te Regis amor sollicitus vocat,
mixtæ imperio preces,
Claris digna quies lausque laboribus.
Urbes urbibus additæ;
Circumsepta nitent lilia laureis:
Aulæ te cupidæ refer,
JULI, perdomitis major ab hostibus.

Belgarum exuviis graves,
Congestâ rapidi Martis adoreâ,
Currus instruit aureos,
Plaudentemq; trahit Gloria Franciam.
Stipatæ populis viæ
Affusis reduci: nec Procerum brevi
Excursu mora nectitur;
Gratandi studio non humili calent.
Quin pompam ipse etiam tibi
Regum ducere amat Maximus obviam.
Tum vox publica, non metu,
Non spe ficta sonat: sponte volant suâ
Laudis carmina liberæ.
Pars est ingenii, gaudium; & impetu
Ingens pectoris emicat,
Nec par ille tamen promeritis Amor.
Tu Mens inclyta Galliæ;
Princeps Consiliis, ac geminis dare
Castris jura potens; togæ
Idem, ac militiæ Præses, & Arbiter.
Jam vis arte sagax novâ
Crescit; barbaricâ nec temere manu
Cæcus bella gerit Furor.
Et Flammæ sua sunt sidera Martiæ.
Hîc, JULI, tua bellicos
Cursus Astra cient lumine prospero;
Regique, & populo micant:
Gallis purpureum blanda vibrant jubar;
Hosti sanguineum rubent,
Acrique assiduè fulgure militant.
Fraudum splendidus artifex,
Deprensus stupuit consiliis Iber,
Devictus cecidit tuis,
Et vexilla retrò cum gemitu tulit.
Dunkerquæ meditans opem,

Væ, fœdæ subitam cladis imaginem
Mœstis civibus objicit;
Auget damna gravi Belgica prælio.
Arcto mœnia carcere
Circumsessa premens, Austriadæ obviũ
Erupisse mones * Ducem.
Nimirum attonitis hinc pavor, hinc fuga, &
Strages incubat hostibus;
Delectâ opprimitur subsidium manu:
Capti militis agmina
Francis victor ovans dividis urbibus.
Quid mox oppida præpete
Cursu rapta sequar, cùm subiit jugo
Undarum imperiosior
Regina, & domitis Oceanus vadis?
Fortunæ invidiam querar,
Morbi triste nefas, publica cùm Salus,
Augustumque suis propè
Palmis succubuit BORBONIDÆ caput?
Ah, vexare recentia,
Vates, parce sacri vulnera pectoris,
Magnum queis modò JULIUM
Confecit gladio sævior hostico,
Quamvis magnanimus Dolor,
[illegible] pia spe [illegible] moram.
Qualem [illegible] aspexit
Te Bergæ, incolumi Rege, Victoria?
Quantum [illegible],
Princeps, [illegible] cùm [illegible] nova
Gradivum [illegible],
[illegible]!
Jamtum [illegible]
Cum, ecce, [illegible] ad pedes
Gravelingæ, Calesia
Felix dum vigilem te [illegible] mora,

* Turenæum.

Abſentemque vicariis
    Regem bellipotens partibus exhibes.
Caſtris providus excubas,
    Ingenteſque animos finitimâ ſedens
Afflas urbe cohortibus.
    Educto medius nec ſemel aggere
Inter pulvereas agis
    Nubes, æriſonæ fulmina machinæ,
Conſpectuque acuis Duces;
    Et ſubdi ſtimulos miles, & igneis
Senſit pectoribus faces:
    Spectatore avidus ſe reficit labor.
Ergo rite ſequacibus,
    JULI, compta refers tempora laureis.
Captis lætus ab urbibus,
    Ferventem celebri laude Lutetiam
Feſtivâque ſuperbiâ,
    Intra regificis Victor honoribus.
Currus ipſa tibi ſuos
    Tali pro Reditu Gloria conſecrat.

IN FUNERE PETRI MOURY S. J.

VIRI RELIGIOSISSIMI, PRO SALUTE PUBLICA, Infeſtis peſtilentiâ temporibus, Novies Devoti.

ODE XXIII.

LUGETE, Cives, Burdigalæ memor
Quidquid piumque eſt:tuq;gementibus,
    Garumna, ripis, plange mecum
        Cœruleo lacrymoſe fluctu.
Hinc, qua reducto mœnia deſinunt
Lunata cornu, mœnia, quæ Crucis
    Pronis adoratæ fluentis
        Signat honos tituloque ſacrat;

Hinc partem in omnem ſe dolor explicet:
Portuque claſſem cùm revehet, ſimul
Noſtras & extremam ſub Arcton
Oceanus referat querelas.
Quæ cauſſa luctûs? Occidit, occidit,
Mortis ſatelles quem toties Virum
Mirata Peſtis luctuoſos
Burdigalæ relevare caſûs.
Immiſſa ab alto vulnera languidæ
Curavit Urbis, non medicâ manu,
Non Æſculapî ſumptuosâ
Arte Machaonioque ſucco.
Incenſa paſſim Burdigalæ lues
Dum clade vaſtat corpora publicâ,
Ægras laborantum redemit
Exitio graviore mentes.
Lætum Saluti nam patriæ caput
Devovit Heros, caſtraque inhoſpita
Lethi ſubivit. dirus atris
In foribus ſtabulabat horror.
At Myſta in urbem funereo ſacer
Squallore, clauſaſque aſſiduè domos
Proceſſit. Hîc, noxas fatentum,
Tartareis animos reorum
Vinclis ſolutos ferre ſub æthera;
Illic edulem porgere Numinis
Tecti medelam: jam retuſis
Vim Stygiam cohibere telìs
Fati ſub ictu; ſedulus officî &
Ubique multus, ceu populi Pater:
Turbamque collatis piorum
Subſidiis inopem fovebat.
Nec ſtrata morbo corpora negligit.
Et ipſe, dum vix membra trahens domì
Caduca marcet; ſi quod urbi

Fortè lues meditata funus,
Alto refectis pectore viribus
Notum ad laborem continuò Senex
Procurrit, & major per omnes
Explicuit sua signa vicos.
Certare Morti fortis Amor volat
Ultro periclis obvius; arduis
Increscit, inpensaque Amicûm
Obsequiis animâ triumphat.
At dura postquam verbera vindicis
Amovit iræ jam melior Deus;
Cessitque demum, contumaci
Sæpe malo repetita, Pestis:
Tunc ille, vastus ceu sine pabulo
Considit ignis, robore defici;
Vicesque mutari laborum,
Asperiùs subeunte morbo.
Quid non dolorum magnanimus Senex
Effeto anhelans corpore pertulit!
Quæ calculi intestina pestis!
Carnificum leviora tela.
Bis ille sectorum haud faciles manus
Expertus. At nil materiem mali
Exhausit: avulsisque binis
Inde alios aliosque cogunt
Fecunda pœnis viscera calculos.
Et jam medentum vulnificas manus
Admittere excisæ recusant
Funditus, edomitæque vires.
Consumpta longis vita doloribus,
Deo probatæ vi patientiæ
Transmisit Heroem sub astra
Emeritum, rutilisque nectit
Frontem lapillis. Desine segnium,
Vates, querelarum, & potiùs sacra

Post mille cantemus dolores
Gaudia deliciasque Mystæ.
Non ille acuti jam meminit graves
Sensus doloris. fontibus influit
Totis superfusi voluptas
Numinis, Oceanoque mentem
Mergit beatam; depositum quies
Optata corpus dum gremio fovet
Telluris. At somno excitatos
Summa dies renovabit artus,
Corpusque purâ cyclade vestiet
Pro vili amictu. lumina lacrymis
Abstersa gemmabunt honore
Sidereo, radiosque fundent.
Huic tu coronas reddere civicas
Ecquid moraris, Burdigala? i, pio
Quercumque palmamque & ligustrum
Depropera, venerans, sepulcro.
Fors & benigni præsidium Patris
Olim reposces pestiferam in luem.
Sic, vota post Rocho soluta,
Notum adeas precibus Patronum.

CHRISTI VICTIMA INCENSA.

ODE XXIV.

CEu rosâ in molli violâque Laurens,
Crate candenti, rigidoque ferro
Decubat, sensimque feros liquari
Gaudet in ignes.
Torridæ scandit supera alta gratus
Victimæ nidor. procul hinc acerræ:
Tureos usto superat vapores
Corpore Martyr.

SCANDERBEGUS AC TORASIUS à Joanne Busserio celebrati.

Gemino Poemate, Rhea Liberata, & Scanderbego.

ODE XXV.

HEROAS geminos, Torasium Reæ,
Croiæ Castriotum, Busseriâ gravis
Et sublime sonans Calliope tubâ
Miris concinuit modis.
Illum, dum tenuis finibus insulæ
Impactam validâ mole Britanniam
Propulsare ferox, pectore junceam
Arcem firmat aheneo.
Hunc, dum semiruti mœnibus oppidi
Illisam Odrysio Barbariem Duce
Frangitque, & medios findit acinacis
Ictu fulmineo viros.
Felix materie Scriptor, & inclyto
Macti Vate Duces! Laude beatior
Quæ sors excipiat, quive operum gravi
Fructus carmine lætior?

OLIVA, BUSSERII ECLOGA.

ODE XXVI.

PARNASSI bifido culmine laureas
Quâ sevit facilis Busserius manu,
Heroo tubicen dum quatit arduus
Montes Aonios sono;
Mitem nunc Oleam lenibus Eclogæ
Alludens numeris pangit, & uberes
Fetus Palladiæ suspicit arboris,
Ramis pingue nitentibus.
Nimbos exuperans, jam sacra verticem

Infert sideribus; lætaque frondeo
Exultant avium millia tegmine,
Succosque ambrosiæ trahunt.
Felix, qui teretes, mystica pabula,
Baccas, Pontificum nata epulis, metit,
Hortisque Italiæ dulcibus abdita
Orbi munera dividit.
Lectos areolis suave-rubentibus
Inscripsisse priùs dædala * flosculos;
Cultis mox segetem, lilia, regiam
Arvis extulerat manus.
Jam fructus Oleæ, nec solitas opes,
Latè fundere amat; queis decus Hesperî
Cantatum nemoris, splendida fabula,
Malis cesserit aureis.
Felix ô iterum, conscia quem suæ
Multo afflavit agens numine Palladis
Arbos, Castaliæ gloria, & inclytum
Silvæ non humilis caput.
Umbrâ, quæ canitur, mulcet amabili
Vatem, sic meritum; & blandiùs annuens,
Quercu fatidicâ nobilior Jovis,
Argutâ resonat comâ.
Circùm docta fluens tempora debitis
Æternæ redimit frondis honoribus.
Hinc despecta ederæ præmia, laureæ
Serta hinc Aoniæ jacent.

Ex Italico Latinè Gallicéque vertit aliquot celeberrimi Concionatoris volumina.

* Historiarum Flosculos edidit, Historiamque Galliæ universam &c.

MAGNUS ATHANASIUS.

ODE XXVIII.

VIRTUS iniquis crescit ab hostibus;
Quos & cruentat tetriùs, Hæresis
Infesta clarat: laudum amœnam
In segetem sata probra surgunt.
Sic Magne, Arii terror, & altior

Mundi ruinis, Athanasi doces,
Per mille jactatus pericla,
Omnigenas sclerum per artes;
Dum totâ in unum mole caput furens
Conjurat Orbis, cum populis Duces;
Cœtusque Mystarum profani
Arma Erebo sociant amica.
Hic ille, quem vis Cæsarum, & impius
Terris & undis expulerat Furor;
Cæloque præcluso subactum
Funereas habitare sedes,
Umbrisque misceri, & patrio tegi
Vivum sepulcro; post sacra prælia
Ingens Alexandrina Præsul
Regna pio invehitur triumpho.
Velata palmis undique gestiunt
Delubra, festis consona plausibus:
Victorque defensas recepit
Et meruit celebrandus aras.
Asserta Verbi gloria Vindicem
Suum coronat: Pneumatis & sacri
Novos in hostes prima forti
Tela manu jaculatus, astris
Successit, augustæ in Triados sinum
Acceptus. Æterni hæc decoris caput,
Pugnæque & immensi laboris
Materies simul ac triumphi.
Ter ô beatum, cujus Olympiæ
Innexa causæ causa Deum trahit!
Suprema cui merces, & alti
Stat pretium ipse Deus laboris!

ALEXANDRI VII. PONTIFICIA DISCIPLINA.

ODE XXVIII.

SACRORUM Procerum, non ſine Numine;
Concordi ſtudio lectus, & arduo
Spectandus ſolio cùm ſua Pontifex,
Aras, regna capeſſeret:
Dum ſeptemgeminis excita montium
Geſtit Roma jugis; Claviger hæc Senex,
Vaticana tenet qui penetralia,
Heredi cecinit ſuo.
Caulis apte meis, Optime regiæ
Paſtor gentis, ades, quò Dominus vocat:
Succeſſure meis partibus, & meis
Jamnunc fingere moribus.
1. Petr. 5. Sic tu *forma gregis factus*, oves ages
Exemplo citiùs, quàm lituo. præi;
Jam grex ſponte ſequax currit; ut imperî,
Viſu, molle rapit genus.
Rejectans Procerum ſplendida munera,
Non-captis fugies muneribus capi:
Decerpeſque tuis, quidquid honoribus
Fas detrâxe modeſtiam.
Virtus æqua Bonis præmia dividet;
Ornabitque viris munia: nec Favor,
Cœcâ nec temere ludicra Fors manu
Sparget dona Quiritibus.
Fiſcum effunde libens, ac bene prodigus;
Apponenſque lucro nobilis inſtitor,
Turbæ crede inopi. debita mox Deus
Reddet fœnore ſplendido.

Quæ lethum eripiat, providus occupa
Præmittenda tibi. ſic feretrum monet.
Ne quando immemori pectore defluat,
Sit Mors ſenſibus obvia;
Diſcaturque diu, quod toleres ſemel.
Fidum incluſa domi conſilium explicat;
Et quas magnanimis inſidias ſtruat
Orcus propoſitis, cavet.
Victu quàm tenui corpora ſuſtines,
Tàm largâ ſatia mentem avidam prece
(Hæ ſint deliciæ) dum pia myſtico
Paſtu ſe ſtimulat fames.
Jugem Aris operam Sacrificus dabis:
Mundique innocuâ crimina victimâ
Procurans, placitâ fulmineum Patrem
Placabis nece Filii.
Hæc tu nempe agitas, Maxime Præſulum
(Et jam plura tui pignora cepimus)
Gentilemque * tuum, nomine quem refers,
Vinces laudis adoreâ.
Dum ſubmiſſo animo rerum apicem premis,
Tangis conſpicuo ſidera vertice:
Orbiſque impoſito par oneri caput
Portantis Domini canit.
Te norat Melite, cùm Fidei ſagax
Quæſitor, pavidam fervidus Hæreſin
Jamtum diſcutere, ac ſternere diſceres
Mónſtrum vindice dexterâ.
Virus vipereo tetrius inſulâ
Purgaſti Stygiæ peſtis: & impium
Turcam belligero jamtum odio petens,
Totis nunc opibus premes.
Te paſtoritio ſollicitum pedo
Laudarant Calabri paſcua Neriti,
Cornelique Forum, ſub tua nec piger

* Alexand. III. Senenſem.

Fluxiſſe Eridanus juga.
Sævos armiſoni frangere vortices
Te Rheni ſtupuit Tractus ; & Arbitrum
Europæ meminit læta Mimingroda,
Jamtum & Chriſtiadûm Patrem :
Doctrinâ, pietate ac meritis gravem,
Adverſæ medium quem pariter colant
Partes, unanimi laude, vel hoſtibus
Sacrorum venerabilem.
Florens eloquio, conſilio potens,
Quàm vaſta Imperii bella diremeris :
Ornatamque Fidem moribus aureis,
Et Romæ celebrant decus.
Ergo primitias poſt memorabiles
Summam impone ſacro nunc operi manum,
Et Pacem ſolidam gentibus exhibe,
Juſti fœderis artifex.
En, affuſa tuos Regna colunt pedes
Legatûm officiis : en tibi publici,
Privatique (vides ?) omnia gaudii
Feſtis ignibus emicant.
Noctem ſideream vincere candidis
Ardebit facibus Roma, novas tibi
Ponens excubias, dum ſibi Montium
Cuſtos arduus excubas.
Almum reſtitui poſt tenebras diem
Spondet corda movens augurio Deus ;
Qui lucis genitor montibus extulit
Te Mundi nitidum jubar.
Dixit : tum geminas, quas procul audiat
Cælum, claudere ſeu pandere vult fores,
Claves Pontifici tradidit, & novos
Afflavis radios Petrus.
Menti viva Fides, deficere inſcia ;
Cordi Cura vigil, Vis adamantina ;

Ex notis hieroglyphicis D. Malachiæ, ac gentilitiis inſignibus.

Comple-

Complexusque homines ac Superos Amor,
Totusque insinuat Deus.

AD S. SILVESTRUM PONTIF.

Ut Magnum Constantinum adeat.

ODE XXIX.

PARCE, Silvester, latebris: cavernâ
Abditum jam te simulacra faustæ
Noctis illustrant, & amica Magno
Somnia produnt.
Perge, Soracti melius relinquens
Nomen; ut Christi medicante lymphâ
Abluens mentem, simul enitescat
Corpore Cæsar.

Ab ipso denominatus mons est S. Silvestri.

SOMNIA POETARUM.

ODE XXX.

AT quam soporæ Noctis imaginem,
Somnumque, & Umbras cernimus! hoc tuum,
Apollo, regnum? stagna Lethes,
An vitreæ liquor Hippocrenes?
Ut pota Vatum gurgite mystico
Se turba læto gramine porrigit!
Gratum laborantis, quietos
Aoniæ numerosa lymphæ
Mulcent Poëtas murmura; nec leves
Somnos facessunt. Ennius hîc pater
Accumbit, indormitque Homero;
Rauca simul meditatur arma.
Infans at illic stertit Horatius,
Gaudetque lauro, non sine Numine,
Myrtoque pressus. jamque eburna
Virgilii patet, ecce, Porta,
Quâ Somniorum examina sedibus

Educit imis: parte aliâ tener
Tibullus oblato eruditum
Ducit adhuc Clario soporem;
Umberque, sed cui Cynthia dulcior
Castis Camœnis, & Patre Cynthio.
Deliria omnes docta ludunt
Artifici glomerata Somno.

DD. IGNATIUS ET XAVERIUS.

ODE XXXI.

SURGIT, in cælum velut actus ignis,
Acris IGNATÎ memorandus ardor:
Juncta XAVERÎ radiat gemello
Sidere flamma.
Ille, Dux cælo meritus, manuque
Strenuam & linguâ, superique Regis
Nomine armatam, Crucis advocavit
Signa Cohortem.
Hic per Indorum Japonumque fines
Fulguri victor similis cucurrit,
Et triumphato retulit superbum
Nomen ab orbe.

GUILLELMO DE L'ANGE MNEMOSYNON.

ODE XXXII.

QUAM longis teritur cursibus, *Angeli*
Nomen qui niveis moribus exprimit;
Cælestisque micans laudibus ingenî,
Sacrato imperitat Choro!
Sive Alpes gelidas & Rhodanum legit,
Seu lustrat pelagi littora Gallici,
Poscit quà vigili gens animo pium
Loioleia Præsidem;

Seu lectus meritæ ſortis honoribus
Romam tendit iter, quò trietericum
Miſſos axe vocat biſgemino Patres
Gentis conſilium ſacræ.
Longinquas etiam, ceu patrio fovet
Muſas præſidio, ſuaviter efficax.
Proh quantis animos ſuſcitat ignibus
Præſens auſpicio favor!
Unum hoc ille tamen durior: invidet
Gratis, digna cani, facta clientibus,
Laudes ipſe ſuas; magnaque ſubtrahit
Luci nomina publicæ.

AD EPHREMUM, PROTREPTICON

Ut vitam ad propoſitum ſibi finem dirigat.

ODE XXXIII.

QUID cœca inerti tela jacis manu?
Incerta pandis quid temere Noto
Vela impotenti? Meta jactum,
Certa regat Cynoſura curſum.
Præfixa cælo meta, Deus; peti
Hæc digna votis. huc, age, nobiles
Intende curas: huc novato
Acer Amor jaculetur arcu.
Inter procellas volveris anxius,
Portumque neſcis Navita. Reſpice
Stellam; coronatamque puppim
Ætheriâ religabis orâ.
Ecquid ſoluto pectore degener,
Ephreme, torpes? ecquis Olympiam
Invidit infregitque palmam
In manibus, capitique laurum?
Ah, tela niſu ſpargis inutili,

Stridentis auræ ludibria, & ſcopo
Nuſquam reperto ; vel ſine ictu
Metam acie feriens retuſâ.
Pharo, Capharei perfida lumina
Præfers ! Cometæ funerei ſequax,
Nullis Jacobeum tueris
Signum oculis miſerandus Erro !
Quin & carinam Syrtibus & vadis
Illidere excors navifragis amas,
Portuque neglecto Charybdin
Quærere, Trinacriamque Scyllam.
Aut plena dio carbaſa Flamini
Subducis amens, immemor & ſacras
Perferre merces, quas beatâ
Expoſitas ſtatione Chriſtus
Gazis rependat ſplendidus aureis,
Quantas Olympo compoſuit Patris
Æternus heres. huc ſecundos
Expedient pia Vota curſus.

HENRICO D'AGUESSEAU,

MAGNI CONSILII PRÆSIDI,

Libellorum ſupplicum Magiſtro, Rei Juciariæ ac Politicæ tunc apud Lemovicas & Inculiſmates Regio extra ordinem Præfecto.

ODE XXXIV.

JAMDUDUM reſidem lyram,
AGUESSÆE, tui nominis in decus
Dulci ſuſcitat impetu
Lætis Fama ſonans ardua plauſibus.
Nec tantùm, geminus tuos
Quà faſces Lemovix & vitrei colit

Felix ora Carentoni,
　　Auditur resonâ vocis imagine.
Laudes Gallia publicas,
　　Quàm vasta est, avidis concipit auribus:
Sed Famæ ante alias favens
　　Vibiscûm regio; scilicet inclyti
Nunquam Principis immemor,
　　Sanctis Burdigalæ qui fora legibus
Rexit, Nestoreus senex,
　　Augustæque caput nobile curiæ.
Tu magni genium Patris,
　　Virtutis solidâ cum specie, refers.
Francam moribus exhibes
　　Astræam; placidum sive ubi maximo
Regnum Consilio tenet;
　　Seu progressa sacris è penetralibus
Cùm sese in populos tulit,
　　Et rerum dominâ jura dedit manu.
Romanæ Proceres togæ
　　Sellis extulerat fastus eburneis:
Te vitæ meliùs nitor
　　Insontis decorat. Celsior emines
Rarâ, HENRICE, modestiâ,
　　Quàm si magnificis acta curulibus
Spectari procul ambiat,
　　Civesque alta premat mole potentia.
Jam nervo imperii caves:
　　Pœnis exagitas jam trepidum scelus.
At plebis laceræ pius
　　Mentem carpit amor. libera fraudibus
Vectigalia temperas:
　　Commissis facilem gentibus Arbitrum,
Non expromere Judicem
　　Gaudes; ipse alias intereà tibi
Leges ferre severior,

Æternæ Themidis ſollicitus cliens.
Exemplis agimur : domus
Objectâ Domini fingitur indole.
Nil incompoſitum, aut ferox ;
Sed molles aditus, obvia comitas,
Invitantia limina.
Nec vulgum tenuem, ſævior aſpici,
Arcet turba ſatellitum,
Aut queſtus miſerorum, aut timidas preces.
At quàm digna Viro probat
Se Conjux, animi dotibus aureis !
Talonique, Perignio
Miſta, & Subletii lumina ſanguinis
Claro ſtemmate colligit :
Factis ipſa ſuis ſplendidiùs micat.
Simplex munditiis Decor,
Florens & Pietas, plurimus & rapit
Mirantes oculos Pudor,
Luxum qui tacitus damnet, amabili
Cenſuræ genere efficax,
Conſors ille Viro, laudis & æmulus.
Sic, HENRICE, domum regis
Exemplo, ac populis pulchriùs imperas ;
Dignus, quem ſtudio inciti
Affectent Proceres ! Sic, age, quò vocat
Sublimi properans viâ
Virtus, uſque novis auctus honoribus
Pergas, Regia munera
Ac pleno Superos excipiens ſinu.
Aſtrææ ſolio potens,
Æquandam patriis ſurgere laudibus
Cernas, & meritis gravem,
Regnandoque parem progeniem foro.
Hæc, AGUESSIADE, tibi
Longinquâ modulans & voveo lyrâ ;

Vatum ſcilicet & ſacer
    Veri ſi quid habet ſpiritus, auguro.
Nec me ſola tuæ movent,
    In commune piis parta Sodalibus,
Largæ pignora Gratiæ, &
    Juſtis vota jubent addere gratibus.
Privatis etiam ciet
    Cantus illecebris Pierius Favor.
Senſit, laurigero volans
    Curru, purpurei *Gloria* Julii,
Victo conſcia Belgio.
    Nam dum ſe Aoniis explicat otiis
Laxandi lepor ingenî;
    Obſervas placitæ fulgura machinæ,
Vocaliſque operis ſonum;
    Vatem nec-ſolitis laudibus obruis.
Non tu, quæ ſtupeat rudis
    Hoſpes, vel modico tinctus Apolline,
Jactas, aut faciem levi
    Delibas oculo. Cenſor idoneus
Parnaſſo interior ſubis,
    Libras & rigidis omnia lancibus.
Te nexâ Charites manu,
    Pulchrarumque chorus ſuſpicit Artium.
Tantis, ne dubita, memor
    Urgebar ſtimulis impatientiùs.
Sed Pindi viridariis
    Abductus, Solymo diſtineor jugo,
Sacratiſque laboribus:
    Deſuetam refugit laſſa manus chelyn.
Jam nec ſpes ſibi credula,
    Famæ parcere amat: triſte periculum
Jactâ crebrius aleâ;
    Collectæque pavet naufragium rei.
Laudis patritiæ ſeges,

Phœbeique acies lyncea Judicis
Audacem quoque terreat ;
Quid, depreſſum animum corpore languido ?
Aſt experta tamen juvat ,
Et ſpondet niveum Gratia calculum.
Ultrà nec ſinit extrahi
Pendentis ſteriles officii moras ,
Qui commercia nectere
Sensûs ille tui mutuus , ac mei
Interpres ſtudet obſequî ,
Vildonus , tereti Caſtalium pedo
Iſtic Paſtor agens gregem ,
Quà formoſa nitent prata Carentoni.
Notas increpitans fides ,
Hac-dilata-tenus carmina reppetit.
Et vim blandæ abhibent preces.
En , præceps rapior. nunc malè fervido
Tardum corrigere impetu
Inſtat ſera dies , & rubor impotens.
Rurſus dum rogat , exprobrat ,
Mirator meriti ſplendidus , ac tui
Præco nominis aptior ,
Divinus teneri carminis Artifex.

MAGDALENA LACRYMANS.

ODE XXXV.

MAGDALAM converſus Amor flagrantem
Solvit in fletus : lacrymis rigatos ,
Oſculo ſparſoque pedes capillo
Cernua ſiccat.
Quamlibet nardi pretioſa plantis
Unguina infundat capitique JESU ;
Suaviùs fragrant oculis profuſi
Triſtibus imbres.

OLOR MANTUANUS, B. ALOYSIUS GONZAGA.

ODE XXXVI.

DULCE Mantuæ decus
Olor paterna deſerit vireta
Minciique lucidis
Longè fluentis evolans, opacas
Thybridis ſubit ſpecus,
Romæ ſuperbas nil moratus arces.
Jamque candidis nivem
Et caſta pennis prænitens liguſtra,
Puriùs novi tamen
Splendere geſtit ambitu decoris;
Et ſacri modos amat
Ciere cantûs, æmuliſque claros
Vocibus choros ſequi,
Ad aſtra librans corpus expeditum.
Vaticanus aureo
Tangens Olympum mons jugo, Beati
Pandit Alitis viam;
Novuſque regnat inter aſtra Cycnus.

SUMMO PONT. ALEXANDRO VII.

VENETIIS RESTITUENDÆ SOCIETATIS JESU Autori Beneficentiſſimo Eucharifterion.

ODE XXXVII.

URBEM, furoris Threïcii moram,
Quam ferro & auro, navibus & viris
Juvas, ALEXANDER, tuæque
Sacra ciens Pietatis arma;

Nunc ſæviores Thracibus efferis
Firmare in hoſtes providus apparas,
Gentique amicus non inertem
Reſtituis Venetæ maniplum.
Summis negatam Præſulibus diu,
Quos cauſa duri tangeret exilî,
Rem ſolus exegiſſe felix,
Hunc meritus numera triumphum.
Tu diſſidentum cernere Principum
Cauſas, & olim publicus Arbiter
Europæ, anhelantis ruinam
Imperii cohibere ſolers.
Proh quanta ſeſe lux ſapientiæ
Cœtu in potenti viſa Mimingrodæ
Efferre, Germanæque pacis
Veſtphalicum ſociare fœdus!
Hæc illa mentis dædala vis ſacræ
Inexplicati grande negotii
Textum reſolvit, Gordioſque
Expediit ſine fraude nodos,
Magno Adminiſtrum conſilio parem
Legiſſe prudens. Hadria Nuncii
Sermone facundo reſidens
Difficiles tibi ponit undas.
O qui ſereno ſidere diſcutis
Caliginoſi nubila ſeculi,
Quid grata Loiolæ propago
Dignum agitet, referatque votis?
Cœcis ab Orco jacta calumniis
Tu probra frangens; quâ ſacra temperas,
Ipſe, ipſe dextrâ, litteriſque
Inſolitis memorare laudes,
Oppigneratâ nec dubitas fide
Præſtare, noti magnificus gregis
Præcóque, Paſtoremque viſus.

Jam patriâ ſuperaſſe curâ.
Per te receptis, Optime Præſulum,
Caſtris, labores Hadriacâ novos
Molitur orâ; ſive mores,
Sive opus ingenium ſalubri
Formare cultu, docta virûm manus;
Quam ſenſit Orbis quadrifidus, pio
Quid marte poſſit, Solis omnem
Per populos comitata curſum.
Alto rigentem per Canadam gelu,
Silvaſque & undas; per Braſilûm rogos,
Per Caffarum infeſtas ſecures,
Ac duplices penetravit Indos,
Sinæque muros. Vidit ab ultimo
Mirata Eoo accurrere Principes
Regumque Legatos clientum
Roma, Petri Fideique ſedes.
Neque incruentæ munus adoreæ,
Grandi ſacramento in Fidei decus
Jurata, devexit caterva,
Purpureas meditata palmas.
Quot partæ ab uno vel Japonum ſolo!
Doloris artes mille alacris ſubît
Neciſque formas; & ferendo
Barbariem Furiaſque vicit.
At ipſa quamvis Numine concita
Procurrit; ô quem tu ſtimulum ſacræ
Addis Cohorti! quas amoris
Imperium antevolantis alas!
Terras per omnes acrior emicat,
Tuiſque flagrans nunc animoſior
Parêre juſſis, quà vocarit
Relligio, Dominique vocem
Audire pronâ mente vicariam.
Et audit Æther, claudere ſeu fores,

Seu pandere occlusas jubetur;
Et domiti specus audit Orci.
Ubique laudes Turma canit tuas;
Gratesque, nusquam muneris immemor,
Supplere votis fervet, almæ
Sollicito pietatis æstu.
Servate sanctum, Cælicolæ, caput;
Tuque, ô, perennes reddere gratias,
LOIOLA, pro natis memento;
Ac proprii decora alta * cultûs
Donis repensa. Tuque adeo tuas
Partes agentem, moribus æmulum,
Et Sedis implentem sacratæ
Promeritis Latiale culmen,
Tuere, Cepha, respice Numinis
Augusta Mater, qui triplicem cliens
Sternit coronam, templa supplex
Voto adolet bene pertinaci.
Sic, Romæ honores quo celebres die
Nuper ferebas, nullam ab origine
Traxisse Conceptuque labem
Rite piæ celebrata genti;
Severiori corpora Pontifex
Tuas ad aras pervigili tulit
Jejunio vexata, mentem
Toto avidus satiare Cælo:
Longumque inhærens, haud prece futili
Incensa per suspiria publicam
Causam peroravit Sacerdos,
Numinis ac populi Sequester.
Præsente casus auxilio graves
Romæ levasti, funeream luem;
Salvamque Alexandro redonas
Diva suam, miserata, plebem.
O, pace munus perfice, Bistonum

* Officii Ecclesiast.

Cum clade. pacem ſuſcipiant polo
Montes; Alexandrea creſcant
Sidera deficiente Lunâ.

TORQUIS MARIANUS.
ODE XXXVIII.

REGALE Torquis cœrulei genus,
Gemmiſque & auro ſplendida cingula
Jactent beati, quos Equeſter
Per titulos celebreſque faſtos
Claravit Ordo. Virgineus mihi
Torquis renidet, virgineæ manûs
Labore nexus dædaleo;
Non pretio, ſed amore carus.
Das, Codre, munus ferre ſororium
Jani Calendis. Militiæ placet
Inſigne ſacræ, quâ MARIÆ
Tartareos domitamus hoſtes.
O, Matris in Torquem indue liberum,
Amice, collum. necte animos pio
Et corda vinclo, geſtientum
Ferre ſacri monimenta cultûs.

ROSEA CORONA.
ODE XXXIX.

DELIÆ rami valeant coronæ,
Queis amant doctæ nituiſſe frontes;
Martiæ lauri valeant, Ducumque
Gloria, palmæ.
Me juvat ſuavi Jerichuntis arvo
Lecta Divinæ Roſa ſacra Matri.
Nexilem Thyrſis dat habere grato
Flore coronam.

Floreat longo mihi carus ævo ;
Cura nec ſpinis animum cruentet ;
Ac novo Magnæ diadema Matris
Augeat aſtro.

AD JOAN. ADAMUM S. J.

Laudat impenſam ſcribendis libris operam.

ODE XL.

GLEBÆ nec aurum diſtat inutili,
Utcunque avarâ merſus humo latet
Theſaurus, & rubiginoſi
Deteritur ſpecies metalli :
Nec illa, clauſo quæ premitur ſinu
Doctrina, fœdæ præſtat inertiæ,
Nil publicos enixa in uſus
Ingenii tacito receſſu.
Non tu ſepultam ſic populo invides,
Adame, gazam divitis ingenî ;
Linguâque, congeſtas beato
Pectore opes, calamoque fundis.
Calvinus amens immoritur ſuis
Confixus armis ; ut validâ manu
Infeſta vertis parricidæ
In jugulum, metuende, tela.
Audire clarâ jam videor tubâ,
Vago receptum quem canis agmini
In caſtra Majorum relicta ;
Signiferis biviam ſalutem,
Sciſſaſque partes incolumi fide
Conſtare faſſis. Hinc alio vocat
Fecunda ſuccreſcens librorum
Materies ; nova pugna ſurgit.
Luci rebelles ingenitæ Furor

Quos in Tonantem Tartareâ face
Succendit, aut Prolem Tonantis
Æthereo ſolio negatam;
Diſcrimen & qui Relligionibus
Omne abrogarunt; monſtra hominum petis,
Et tela procudis, Gigantum
Anguiferam domitura ſtirpem.
Perge, & diſerti vim ſacer ingenî
Huc verte præco; Gallia quà patet,
Audite plaudentes per urbes,
Borboniam celebris per Aulam.
Committe prælo, ne pereat, pii
Fetum laboris. Nec ſonus eloquî
Reſtat, fugaci ſparſus aurâ:
Fixa libris monimenta perſtant.

ODE XLI.

Sub fortuitum ex pulvere nitrato incendium Urbani Prætorii Burdigalenſis.

ECQUÆ trementes Burdigalæ domos
Procella tanto concutit impetu;
Sedeſque Muſarum fragore
Horrifico, tonitruque vaſtat?
Non illa ventoſo Hippotadæ ruit
Furens ab antro. pulvereos agit
Vulcanus ignes. hinc propinqua
Fulmineo labefacta motu.
Disjecta ſacræ membra volant domûs.
Muſæ relictis ſedibus exules
Labuntur invito Garumnâ:
Burdigalæ gemitus ſequuntur.
Illæ Pyrenen, & Benearnicos
Viſent receſſus; buxiferos petent
Hæ Pictavî colles, amicas

Gymnaſium è regione prætorii.

Hoſpitio ſtudiiſque ſedes.
Hîc certa demum ſit ſtatio, & modus
Laſſis viarum! Quondam etiam dedit
Ruïna felices, locoque
Reſtituit meliore lapſos.

DE CURRU GLORIÆ,

Ad Petrum Labbéum, cùm ei Carmen Heroicum ſic inſcriptum Eminentiſſ. Cardinalis dono miſiſſet, poſt acceptum ab ipſo Elogium.

ODE XLII.

FULGENTE curru quæ Superos adit,
Urit videndo Gloria: nec pares
Accendit ignes, cùm roſarum
Puniceo redimita ſerto,
Et rore manans plurima gemmeo,
Aurora puro ſurgit in æthere,
Primos ſub aſpectus rubentem
Luce novâ jaculata Mundum.
Regina Eoïs pulchrior ignibus
Erecta terris corda rapit virûm,
Altoque flagrantes amantum
Axe oculos animoſque torquet.
Stat denſa hiantum turba, cupidine
Fervens eundi. ſuppliciter manus
Tendunt, & alatis reponi
Haud grave onus properant quadrigis.
Paucos ſuperbo Gloria ſuſcipit
Severa delectu, & pretio unicè
Virtutis, inſignique cenſos;
Non opibus, tumidoque luxu.
Qui regna certo numine temperent;

Quo

Qui bellicosis forte laboribus
Pectus probarint, aut sagacem
Ingenuas animum per artes;
Hos secum in auras tollit, & aureis
Dignos coronat Gloria bracteis:
Curruque summotam beato
Degenerem prohibet catervam.
Atque ut jugales admonuit levi
Strictos flagello; protinus emicant
Telluris ignavæ repulsu,
Et nebulas strepitumque vincunt,
Quemcunque demens Invidiæ furor
Brutis per auras fulminibus ciet:
Umbræque vanescunt inanes,
Astra supervolitante curru.
Tentat negatam credula lenibus
Flabris, & alis Icariis, viam;
Caditque, vel pendet cadenti
Assimilis, radiisque versæ
Districta anhelans Ambitio rotæ.
Jam cereas vis luminis acrior
Dissoluit alas: jam procacem
Destituunt Zephyri volatum.
At læta Virtus eminet aureo
Spectanda Curru, munere Gloriæ;
Cantuque olorino vehentem
Purpurei celebrant Honores.

Lauri sub umbrâ Pieriæ sedens,
Pompæ coruscam talis imaginem
Ut vidit! ut magnis Camœna
Exiluit stupuitque visis!
Tunc ille Belgis victor ab hostibus
Aulæ vocanti se reducem dabat,
Urbesque captivas triumpho

Julius, & populos trahebat.
Hîc dædala audet non imitabilem
Camœna Currum effingere Gloriæ,
Festina formosi laboris.
Nec labor illud erat, sed ictæ
Mentis voluptas, Numinis impetus.
Et sponte, victrici obsita laureâ,
Et Martiis cælata factis
Membra sacri subiere Currûs.
Ceu lusit olim splendidus artifex,
Canora saxis fila sequentibus,
Phœbusve Troiæ, vel Gemellus
Ogygiæ fabricator arcis.
Nec ista magno ingloria nomini,
Dives trophæis, fercula Julius
Sensit; triumphalisque pompâ
Ire dedit simulacra Currûs.
Dum structa Planco mœnia Principes
Non usitatis alloquiis beant,
Et Franca Majestas Sabaudæ
Hospitio sociatur aulæ;
Qui tanta rerum pondera sustinet,
Musis amicas tunc quoque præbuit
Benignus aures. Tunc superbâ
E Luparâ veniens, recudi
Auctore, in usûs commoda, Principe
Jussus refulsit Currus, & arduas
Transcendit Alpes: mox sonoro
Cursu Italas peragravit urbes.
Neque eruditi nominis immemor,
Labbée, qui te demum habeat locus,
Scitatur Heros; ac recepta
Ingenii monimenta noti
Gratatus, hæc & præmia rettulit,
Currus onustos laudibus, ac suæ

Te Gloriæ in partem vocatum,
Stelliferæ appoſuit Curuli.
Quæ quiſque largâ dona ſerit manu;
Et ipſe pulchro talia fœnore,
Lætamque collegiſſe meſſem
Promeritus, pretium laboris.
Vibrantis ecquid ſat pretium ſtyli
Noſtro repenſat Gloria carmine?
At munus ornavit Datoris
Tanta manus, columenque Sceptri,
Et jam ſecundo Gallica Numine
Fata adminiſtrans. Purpureum allinit,
Quæcunque tractarit, nitorem.
Aureolæ decus inde chartæ.

VICTORI CONDÆO,

POST TRIPLICES HOSTIUM EXERCITUS GALLIÆ FINIBUS INTERCLUSOS,

Ad Senefum cæſos, ad Aldenardam fugatos, ex attrito incurſibus ac ſtativis Belgio

REDUCI PÆAN TRIPLEX.

ODE XLIII.

JAM campis laceras Iber
Subduxit, refugo Teutone, copias:
Jam bis-victa ſimul phalanx
Deceſſit Batavûm. Sic malè diſſilit,
Collectis opibus ferox,
Dudum quæ tumidas increpitans minas
Toto ſe vaga Belgio
Moles tergemini volverat agminis.
Nunc demum, Armipotens, redis,
Quò, CONDÆE, vocant publica gaudia,

Et partus meritis honos,
Vaſtis & requies ſera laboribus.
Nunquam clarior æthere
Delabi niveis viſa jugalibus,
Curru Gloria ſuſcipit
Victorem, rutilis nectere laureis
Quercum ſedula civicam,
Servatæ pretium nobile patriæ.
Circùm mille, volantibus
Elatæ Zephyris, undique concinunt
Laudes, ac nitidis vagi
Plauſus mille ſonant undique nubibus.
Rupis nec modò Regiæ
Primævum referunt, jam toties lyrâ
Cantatum & lituo decus,
Tanti primitias non humiles Ducis.
Nortlinguæ aſpera nec fremunt,
Friburgive jugis ardua prælia.
Sævis digna periculis
Nec pugnæ memorant præmia; quot, trucis
Rheni gurgite ſubdito,
Urbeſque, & ſolidas, turbinis in modum,
Gentes corripuit plagâ
Victrix Teutonicâ BORBONIDÆ manus.
Non Belgas iterum editam
Stragem per populos, ſanguine nobilem
Multò Lentiam; & arcium
Tot verſos obices, proruta mœnia;
Contuſaque ferociâ
Tum primùm docilem Franca pati juga
Dunkercam, maris arbitram,
Regnati ſpoliis Oceani gravem.
At cunctam ſupereminet
Palmarum ſegetem proxima, quæ tibi
Campis addita Belgicis;

Juncto cùm triplices fœdere copias
Arcens limite Galliæ,
PRINCEPS, exitio multiplici domas.
Seu ſtas, ſive moves; ſtatu
Ac motu pariter vincere nobilis
Ferro conficis & fame
Hoſtes attonitos: pervigil, impiger,
Uſque intentus & imminens,
Caſtris caſtra, aciem Dux acie premis.
Proh mirum obſidii genus!
Acres excubiæ, pinguis adorea!

SENEFENSIS VICTORIA.

ODE XLIV.

GENTES hactenus hoſticas,
Crebris Victor ovans inclyte præliis,
Jam te ſplendidiùs novi,
PRINCEPS, exuperas Martis honoribus.
Tu Scutum & Gladius tuæ,
Lux & Vis patriæ, Romulidas ſimul
Marcellum & Fabium refers.
Tu Dux ille ducum, Martis & Arbiter,
Caſum conſilio regis,
Suſtentaſque morâ providus impetum.
Et quàm fulmineus manu,
Tam certo dubias ingenio potens
Armorum exequeris vices:
Ceu fata auſpicio bellica temperas.
Muro æquandus aheneo,
Fines oppoſitu pectoris obtegens
Francos impenetrabili,
Conjurata inhibes obvius agmina,
Cuſtos ſtrenuus & ſagax;
Ac Vindex, patuit quà via, tempore

Arrepto ſuperingruis,
 Seneſique aditu fervidus involas.
Teſtor conſcia Gloriæ,
 Quæ centena tulit ſigna, cruoribus
Vixdum ſicca, ſatellitum
 Ingens Helvetiûm mole gravi cohors,
Pompæ ſplendida fercula,
 Clangenteſque tubas inter, & æreo
Plauſu conſona tympana,
 Templorumque ſacris carmina laudibus.
Vatis nec ſiluit canor,
 Feſto dum reſonant omnia murmure,
Altum vox tenuis decus
 Audaci modulans concita gaudio.
Non tu caſſide tempora,
 Non textu rigidus pectora ferreo;
Ceu mollem areolam petas,
 Nil mutato habitu, terribilem occupas
Campum, in tegmine ſerico
 Loricata ruens proterere agmina.
Viſu cominus hoſticam
 Colluſtras aciem, nec præeuntium
Objectu pateris tegi.
 Ipsâ in fronte regens omnia, & omnibus
Tollens conſpicuum caput,
 Francis nota dabas ſigna cohortibus,
PRINCEPS; nec gladio acriùs,
 Quàm vibrans oculis; voce, manu, Ducem,
Denſas per medius neces,
 Flammæque horribiles & chalybis minas,
Procurſu geris igneo,
 Unus cuncta movens: quáque pericula
Urgent, lætior emicas,
 Toto pervolitans plurimus agmine.
Hæc, Vatis ſubitus calor,

Et pugnæ facies omnigenæ ſonans,
Conſortemque periculi
Laudiſque addiderat BORBONIDEN Patri,
Ictique ENGUINEI notas;
Quos & flammifero quadrupedes globo
Subtraxit fera Mors tibi,
Tantùm afflare tuas auſa furens comas.
Anguſtos neque tramites,
Pagorum latebras, fœda paludibus
Et ſilvis tacuit loca,
Foſſiſque & validis aſpera ſepibus.
Viciſti, Superis, tamen
Illæſum mediâ in cæde tuentibus.
Viciſti ſocialia,
Heros, fatiferis caſtra laboribus.
Confuſo exitio jacent
Hiſpani, Batavi, Teutones. occidit
Aſſentarus Iberiæ
Turmis imperitans: gens cecidit triplex:
Capti cum ſpoliis Duces:
Matura Auriacum proripuit fuga.
Magnæ pendula VIRGINIS
Fulgent ſigna tholis. Venit & inclytæ
Pars pompæ, &, LODOIX, caput;
Bellorum Domino præmia Numini
Auguſtus LODOIX tulit,
Æternæque ſacrat pignora Gloriæ.

Epinicion heroicum, poſtridie quàm ſigna capta Pariſienſi Baſilicæ illata ſunt, editū.

ALDENARDA LIBERATA.

ODE XLV.

HUC illæ recidunt minæ
Nexarum triplici fœdere gentium;
Vis intenta Lutetiæ,
Et Francis inhians ambitio plagis!

Vix, jactata frequentibus
    Tandem consiliis obsidio sedet.
Aldenarda tricorpore
    Circumfusa videns agmine mœnia,
Felicem tibi Martiæ,
    PRINCEPS, accumulat sortis adoream.
Hostes jam rapidus premis:
    Adventu trepidos, & numero impari
Necdum contiguus fugas:
    Præcurrente velut, terrificum intonans,
Aurâ fulmen, & efficax,
    Ante ictum exanimans, disjicit obvios.
CONDÆUM haud aliter potens
    Afflat sollicitos Nomen, & impulit
Justo præcipites metu.
    Sic Fama indecori vertit agens fugâ.
Ac ni jam tenebris favens
    Nox apto effugium munere præbeat;
Spissusque, altera nox, vapor
    Matutina viris arma parantibus
Migrantum invidus hostium
    Prospectum eripiat; scilicet aggere
Dum castra è triplici movent,
    Plenâ instans trifidum clade ruas gregẽ.
At servet laceras Timor
    Vastæ relliquias molis, & avios
Dispergat Sociûm greges,
    Ausis degeneres, nec sibi consonos.
Irâ mixtus agit Dolor:
    Fictæ scena cadit splendida Gloriæ.
Ventosâ malè credulos
    Antehac per populos historiâ triceps
Victam dissimulat phalanx;
    Et clade in mediâ ludere gestiens
Festis gratibus ac rogis,

Vulgus magnificâ pavit imagine.
Tandem prodere vulnera
Cogit pressa Dolor : cladis & invicem
Dum culpam exonerant suæ,
Vanis cœpta levant irrita questibus.
Sic discordia fœdera
Inter se tumidis exagitent probris.
Partis interea frui
Gaude, Bellipotens, fructibus; & novæ
Laudis conscia, jam quies
Exhaustis subeat pulchra laboribus.
Tecum magnificè asperis
Defunctum, patrio more, periculis
Victorem ENGUINEUM canat
Famæ consocians Musa tubæ lyram.
Blando compositos sinu
Aggestis foveat Gloria laureis.
Jam post horrida prælia,
Duri Martis opus, magnanimam simul
Et doctam sobolem trahens
Partes in geminas principis ingenî,
Phœbo te vacuum refer.
Quanquam inter streperas carmina buccinas,
Heros, sanguineo calens
Senefensis adhuc pulvere prælii,
Audisti placidus tamen
Præconis graciles Aonii modos.
Obstrictam en iterum fidem
Præsto; Pieriis debita cantibus
Voti dona reus fero :
Nec falsus metuam grandibus argui
Vates auguriis, quibus
Lætæ præcinui munera laureæ.

Silva, & Ode gemina ad Sereniss. Princ. sub expeditionem Belgicâ.



LYRICON
LIBER IV.

QUARTUS ITIDEM THEANDRICON,
CHRISTI NATALITIA ET PARENTALIA
NONNULLAQUE AFFINIA CONCINENS.

THEANDRO JESU.
ODE I.



Hriste, par ſummo Soboles Parenti;
Luce facundæ generata Mentis;
Orta fecundæ, Genitrice major,
Virginis alvo!
Tu Deum conſors Hominemq; ſancto
Colligans vinclo, ſocias in unum:
Jungis adverſas medius perenni
Fœdere partes.
Arbiter fati, veniæ Sequeſter,

Mortis extinctor, Spoliator Orci,
Aurei ſecli Pater, & recluſi
Præſes Olympi!
Trunco ab infami, ſolio receptus,
Explicas regni nova jura Victor:
Judicemque unà reus & Patronum
Orbis adorat.

INFANTIS BETHLEMII CONTEMPLATIO.

ODE II.

EN, hic Tonans eſt! proh Superûm fidem!
Hic ille, acuto qui fragiles gelu
Artus inhorreſcit ſub antro
Bethlemio gemebundus infans!
Adeſte, delapſum ætheriâ domo
Spectate proni Terrigenæ Deum.
Ad antra, Paſtores, ad antra:
Agnus adeſt, oviumque Cuſtos.
Ad antra, Reges; omnipotens adeſt
Regum Imperator. currite, Cœlites;
Præſepe nec vobis pudori,
Quo ſtabulans recubat Theander.
Jam verna cunas puniceis Hiems
Pingat roſetis: jam tenebræ jubar
Fundant, vocaturumque gentes
Parturiant ſupera alta ſidus.
O Magne, ſeclis anterior, Puer,
Æquæve Patri, Matre vetuſtior,
Cæleſte Pignus! ô ruentis
Subſidium columenque mundi!
Nam quæ te ab alto vis ſolio rapit?
Quis cælo abactum propulit exulem
Ad ima terrarum relegans?
An novus ætherias Tyrannus
Invaſit arces, qui ſpoliis ovet

Tuis opimus? nempe Dicen Amor
Vicit; triumphatoque iuiqua
Jura Deo, rigidaſque leges
Dedit ſuperbus: fulmina ſuſtulit,
Stinxitque inermes faſciolis manus:
Ternique diſcinxit potentem
Imperii; trabeamque lucis,
Sceptrumque & altæ ſtemmata gloriæ,
Omneſque ſancti verticis infulas
Detraxit; excuſſumque ſummâ
Stelliferæ patriâ Sionis,
Sævo ſub antro nunc pueriliter
Vagire cogit. Nudus & omnium
Egenus, haud ulli ſuornm
Agnitus, hoſpitibuſve tectis
Dignatus, Infans Rex ſtabulo jacet;
Regale Amori dum ſolium vacat,
Gaziſque direptas Olympi
Spargit opes populis Tyrannus.

PASTORUM ADORATIO.

ODE III.

ITE, quò Numen vocat; ite, felix
Turba, Paſtores! Amor addas alas;
Dux facem vobis Amor, & ſerenos
Præferat ignes.
Aſtra nunc rident, mediæque noctis
Dia lux umbram fugat; & ſtupenti
Clarius fulgens remeaſſe Lunæ
Creditur Eos.
Gloriam, Pacemque canunt per auras
Præpetum denſi Geniûm manipli:
Læta Pax Terræ venit, alta Cælo
Gloria plaudit.

Ponite indignos animo timores
(Aureo jussit bonus Ales ore)
Mira, caularum Vigiles, Olympi
Gaudia narro.
Sæpè quò pastas agitis bidentes,
Ad cavam Bethles properate rupem,
Quò ciet, vobis modò natus Infans,
Pacifer Agnus.
Ille terrarum scelus expiabit
Sospitans orbem Puer, ille Christus.
Signa quæsitum Dominum notare
Certa docebo.
Ecce præsepi patulo reclinem
Fasciis Virgo brevibusque pannis
Mater involuit: Dominoque coràm
Bruta jacenti
Poplitem flectunt, & amicum inhalant
Algidi membris Pueri vaporem.
Tanta vicino latitant sub antro
Gaudia Divûm.
Dona supremi Patris occupate
Prospero visu, patefacta nulli:
Obviæ primi Charitis recentes
Carpite fructus.
Pauperes pauper Superis remistos
Advocat mandræ Deus hospitali:
Et viam signant radiis coruscæ
Ætheris alæ.
Dixit; & sanctæ penetrale Bethles
Gabriel claro repetit volatu;
Nota quæ sedes, statioque fidæ
Credita curæ.
Ergo Pastores celerare Bethlen
Invicem hortantur; nova dona cæli,
Nuncio Divûm celebrata, sanctas

Visere cunas.
Ut specûs primum tetigere limen;
Rusticos vibrat sacer horror artus,
Corda perfundit simul alma dulci
Melle Voluptas.
Nec silet vivi pia vis Amoris:
Jam Deo afflati propiore servent;
Et repentini meditantur antro
Carmina Vates.
Pulchra Davidis Soboles, & illo
Qui pedum sceptris solioque caulas
Junxit, augusto Genitor major
Ecce refulget.
Scilicet miri nova forma partûs,
Passa quo nullos uteri labores
Mater, en, stellam referens decori
Luce pudoris:
Cœlitum & cantus, mediæque lumen
Noctis illapsum tenebris, & ipsa
Spirat oblati facies Puelli
Undique Numen.
Fulgidâ linquens Superos Sione
Squallida immenso petit arva saltu:
Aureas messes, generosa latè
Poma refundet.
Sponte pascentes rubicundus agnos
Vestiet sandyx; rigidæque quercus
Mella sudabunt, & odora rivis
Balsama current.
Lacte manabunt oleoque colles:
Accubans hœdo lupus abstinebit:
Et leo & pardus, sociæque ludent
Monte bidentes.
Hæc Amô Natus, venientis ævi
Conscius Vates, aliique sancto

Flamine inſtincti cecinere quondam
Oracula Patres.
Matris ô riſus, Patris ô voluptas,
Parve Paſtorum Superumque Princeps,
O ſalus mundi, Puer, ô coruſco
Pulchrior Aſtro!
Creſce (dixerunt) Deus Agnus; & mox,
Jamdiu ſparſas, Bone coge Paſtor,
Quas oves læti per opima ducas
Paſcua cæli.
Sic ubi alterno modulata cantu
Turma Paſtorum; Pueri tenellæ
Supplices dextræ niveiſque libant
Oſcula plantis.
Ciſtulam paſſæ Melibœus uvæ,
Mala Damœtas, pyra Thyrſis offert;
Tityrus lactis, liquidique Mopſus
Cymbia mellis.
Quo Parens frigus roſeis acerbum
Arceat membris, foveatque Puppum;
Candidum tonſæ ſpolium bidentis
Alpheſibæus.
Quæ ſacris Vates ego dona cunis
Pauper appendam? mihi ſi coronæ
Mille; Præſepis caderent ad aram
Mille coronæ
Quod licet; cunis citharam, loquacem
Carminum matrem, citharam, & clientem
Pectinem affigo. Tibi ſacra, JESU,
Accipe plectra.
Inter agreſtem mihi cunque turbam,
Fiſtulas inter gracileſque avenas
Sit locus Vati. Tibi ſacra, JESU,
Suſcipe corda.
Senſit Auguſtus, facilique blandùm

Græca nomina etiam apud Judæos uſitata fuiſſe conſtat ex libris Machabæorum, atque ex Novo Teſtamento. Et Virgilius Romanos Paſtores iſtiuſmodi nominibus ornavit.

Ore ſubriſit Puer ; & micantum
Orbium nictu pia ſanxit infans
Vota Theander.

PARVUS DOMINUS
ET AMABILIS.
ODE IV.

ME rerum Dominus Puer,
Matris Virgineo dulcè cubans ſinu,
Flammis jam toties ſacris
Devotam repetit, nec moror, hoſtiam.
Ut vivas oculis faces
Accendit ; tenero conſita lilia
Vultu lacteus explicat ;
Intextaſque roſis purpureus genas
Riſu floret amabili !
Nec certare labris auſa corallia,
Fronti non ebur Indicum,
Aut quæ nix Libani cedriferum caput
Et canos humeros tegit.
Crinali radio plurimus emicat
Vertex, cui neque Lucifer,
Nec Sol cæſariem conferat auream.
Heic altaria ſupplices
Albis, ô Socii, non ſine tæniis ;
Heic prunas & olentia
Pleno tura foco ponite, cordaque
Exurenda ſuper. Deus
Tales quæris Amor (reddite) victimas.

AD STAUROPHILUM
PARÆNESIS.
ODE V.

HEus, qui bisgeniti funera Numinis
Castâ mente colis, cùm tragici sacrum
Immortale doloris
Sollennes revehunt dies;
Ardens paciferam, Magdalis in modum,
Amplexare Crucem; & criminibus grave
Pronus flecte cruentis
Christi sub pedibus caput.
Venarum scatebris vulnera concitus
Per millena latex, diluvie novâ
Jam feliciùs Orbem
Mersis sordibus expiat.
Aut, conferta avido quæ rapuit sinu
Bernardus, venerans omnia tristium
Pœnarum monimenta
Plenis collige brachiis.
Myrrhæ fasciculus, qui sibi Golgothæ
Crudeli nimiùm lectus ab areâ,
Messis cara dolorum
Nunquam pectore defluit.
Complexu tenero stringit, & arctiùs
Cordi appressa fovet, quæ patiens suis
Christus cunque sacravit
Instrumenta cruoribus.
Auro Peruviæ ceu pretiosior,
Cæli dives opum, luctificos amat
Granatillus honores;
Pœnarum segetem explicat.
Ne repat, fragilem quadrifido crucis

Nativæ videas ſtipite ſurrigi,
Admotumque pedamen
Lentis nectere brachiis.
En, ut purpureis picta rubet notis;
Attollit patulus quam gremio calix,
Flagrorum columella
Flexu cincta virentium.
Plagas ſanguineis flos maculis refert:
Clavos aſſimulans cuſpis inhorruit,
Hirſutumque corona
Ambit ſpinea verticem.
Claræ-vallis honos, inclyte Gallici
Granatille ſoli; perpetuùm virens,
O Bernarde, cruenti
Flos ô myſtice Golgothæ!
Chriſti lethiferis arma doloribus
Sic imbuta geris. Sancta tibi, ſed, heu!
Immanſueta ſupellex,
Cordi pondus amabile,
Telorum incubuit ſilva rigentium:
Caſtiſque ipſe cubans uberibus ſuper
Signat cerea Chriſtus
Dulci pectora vulnere.
Sponſæ totum animæ ſe Deus imprimit;
Fingitque, intus agens, aſſimilem Deo,
Nec mortale ſonantem
Vivâ clarat imagine.
Non ſenſus veteres, vita manet prior.
Motu jam videas fervere non ſuo.
Chriſtum ſpirat, & altæ
Mentis ſeminibus viget.
Mirum! quo premitur pondere, tollitur:
Exutuſque hominem, concipit æthera
Votis, & novus ales
Terris igneus emicat.

O, quicunque piæ numen amas Crucis,
Huic ſuccede oneri. Sarcina, Crux, levis,
Et fert ſponte ferentem,
Ac ſuavi decorat jugo.
Hinc rivis panacea effluit, & Salus.
Vitam hæc morte parit : nectare diluit
Sævi pocula fellis,
Flores ſentibus elicit.
Aude ; & regna petens, i, Dominum cruci
Confixus ſequere ; & ſtigmata, corporis
Sacri pignora, amoris
Circumfer memores notas.
Felix, qui rigidi vertice Golgothæ
Preſſit ſiderei culmina Thaboris,
Implexaſque coronæ
Spinas prætulit aureæ !

THRENODIA,

EX ALLEGORICO JEREMIÆ VATICINIO.

ODE VI.

Ex Cap. I. Lamentat.

CIVIBUS florens opibuſque nuper
Gentium Regina, laborque Divûm,
Illa terrarum caput, illa cælô
Vix minor uno;
Heu, quid exhauſtis viduata turbis,
Jam ſuas inter Solyme ruïnas
Sola, ſervilique jugo & tributo
Obruta ſedit!
Merſa nocturno gerit ora fletu;
Nec graves quiſquam lacrymas amicus
Tergit, aut tantos facili remulcet
Carmine luctus.
Fœdere infracto ſocii relinquunt;
Prodidit civis : malè blandiendo

Dira conjurans, odiis Amicus
Sævit iniquis.
O, iter quicunque legis, Viator,
Siste dum cernas, similisne nostro
Sit dolor rerum, lacrymisque clades
Dignior usquam.

ODE VII.

Ex cap. II.

SICCINE incenso Dominus furore
Inclytam obtexit tenebris Siona?
Siccine excussit supero coruscum
Sidus Olympo?
Hostis in morem, pharetrâ sagittas
Fudit intento violentus arcu;
Machinâ, heu! turres, rapidoque vertit
Ariete muros.
Cui tuum æquabo, Solyme, dolorem?
Major haud moles pelagi tumentis,
Cùm sali fluctus scopulis procella
Impingit amaros.
Calce deductis caput ad supremum
Quis manum plagis medicam admovebit?
Nulla contritos oleï salubris
Vis fovet artus.
Sibilo insultans manibusque plausis
Ridet, & motat caput hostis atrox.
Hæccine urbs, inquit, decus & voluptas
Publica terræ?

ODE VIII.

Ex cap. III.

NUDA paupertas, olidæque sordes
Conscios torquent oculos pudore:
Tristior mentem refugosque sensus
Terret imago.
Vindicem ex alto scelerum tremendus

Cenſor intentat, graviterque virgam
Sentio in pœnas vigilare noſtras
Verbere juſto.
Plurimæ, heu! circùm tenebroſus horror
Obſidet mortis: mihi felle cuncta
Et venenatis madüere ſuccis:
Omnia, pœnæ.
Stridulis linguæ repetita telis
Vulnera hoſtilis rabies acerbat.
Pauperis num quis memori reguſtat
Aſpera corde?
Pulvere inſternet ſua pronus ora,
Si locus voto; colaphiſque mites
Offeret malas, ſaturandus omni
Denique probro.

ODE IX.

UNDE ſic aurum malè decolorat
Plumbeus livor! penetrale templi, Ex cap. I V.
Heu! ſacros mœret lapides, plateis
Undique ſparſos.
Filius claræ nitidus Sionis,
Aureo dignus radiare cultu;
Jam luto æquatur, Samiâque teſtâ &
Vilior algâ.
Puriùs candens nive Nazaræus,
Gratiùs fulgens elephante picto,
Pulchriùs ſapphiro, Erythræque ridens
Divite conchâ;
Squallidus, verſo neque notus ore,
Et genus ſpectri metuendum oberrat.
Sordet, ac totum lacero receſſit
Corpore corpus.
Spiritus vitæ dator haud fugacis,
Chriſtus, heu! captus, ſceleris pependit

Non ſui pœnas, placidò qui obumbrat
Numine gentes.

ODE X.

Ex cap. v.

RESPICE huc tandem, Deus, & memento
Tot Sionæi monimenta luctûs,
Jam ſatis longâ ſatiate pœnâ
Criminis ultor!
Reſpice, ô, Chriſti faciem cruentam,
Noſque per Nati latus & rubentes
Trans pedum rimas manuumque, caro
Sanguine tinctos.
Quem Patrem ſecli dederas futuri,
Occidit. Mater viduata luget,
Virgo, jam nudum ſine prole nomen
Matris & umbra.
Qualis exciſæ ſpecies Sionis!
Rupta portarum jacuere clauſtra:
Flamma turritas populavit arces:
Nunc cinis urbs eſt.
Barbara infauſtam Babylon Sionem
Vertit à fundo: cecidit coronæ
Regiæ lumen, capitiſque noſtri
Gloria fluxit.
Væ mihi! indignam ſceleratus urbem
Perdidi. Sed qui ſolio moveri
Neſcio æternus, Genitor, caducum
Deſpicis Orbem;
Quamdiu abjectam Solymen relinques
Immemor noſtri, ſobolemque duro
Viſus exoſam repuliſſe vultu,
Horridus irâ?
Reſpice, heu! noſtrum miſerate funus;
Quamque clamori querulo precantum
Objicis dudum, radiis opacam
Diſcute nubem.

CHRISTI PATIENTIS CUM GENTE JUDÆA EXPOSTULATIO.

ODE XI.

Popule meus, quid feci tibi &c. Mich. 6.

DILECTA gentes inter, ac populis Sion
Prælata, mea ſors! dic age, & factum exprobra
Si quod moleſtum eſt: ſcelere quo peragis reum?
Nam quas omiſi muneris partes? quibus
Curis peperci? nempe felici ſolo,
Omnique cultu vineam & largo ſuper
Cæli faventis imbre florentem dedi,
Vernantiumque palmitum gemmis gravem.
At tu laboris quos mihi fructus refers,
O nimiùm amaris degener liquoribus!
Pingues racemos dulcis expectans meri,
Spem pavi inanem; nil niſi immites lego
Triſtis labruſcas: obruit dentes ſtupor.
Propago Sodomæ vitis, obſcœnæ improbum
Genus Gomorrhæ! felleo vino ſitim
Meam exacerbas. hos mihi fetus paris!
Sic bene colono grata reſpondes Deo!
Ego te cataſtis aſſerens Memphiticis,
Flagella, plagas vindice incuſſi manu;
Fractamque docui cedere Ægyptum malis.
Tu, vilis inſtar auſa mancipii Deum
Jactare, vinclis premere, clamore inſequi:
Servilibuſque, militum ad faſtidium,
Lanians flagellis membra; ceu tygres ſolent,
Viſo efferatos ſanguine acuiſti impetus.
Tibi ego recluſi maris Erythræi ſinum
Pharaone merſo, virga quando eadem ſcidit

Sciſſumque junxit, hoſtis in cladem, fretum.
Mihi tu recludis lanceâ immerſâ latus!
Tibi ego per auras mobilem accendi Pharon,
Solis refingens igne nocturno jubar;
Flagrantem opacâ nube ſubtexi diem,
Viamque ſignans Ductor, & caſtris locum
Metatus, ac te patrio exceptam ſinu
Fovens ferenſque; qualis aërias iter
Docet per oras, & rudes paſſis amat
Subvehere pennis aquila pullorum metus,
Sinæ coruſcum, mille Cæleſtûm globis
Septus, tribunal arduo inſedi jugo,
Tabuliſque inuſta jura marmoreis dedi.
Tu, cùm Tyranno fræna Tartareo Pater
Laxavit; Orco ſocia, furiali manu
Tædas flagrantes armaque & fuſtes gerens
(Inter latebras more quo petitur latro)
Venalis animæ proditum indicio capis,
Tempus nocendi nacta fœdifrago Duce.
Hinc per Cedronis aſpra torrentis vada,
Solymam per omnem funibus prætoria
Ad ſæva raptas, Golgothæ ad montis juga;
Legemque & unà ſcelere Legiferum opprimis!
Per invia ego te ſpatia ſquallentis ſoli
Vaſtaſque arenas, dum quaterdenos trahis
Annos egena frugis & potûs inops,
Almo beatam rore, Divorum cibo
Pavi ſaporis mirus omnigeni artifex;
Rigidâque laticem rupe nectareum extudi:
Ac te in fluentem melleis rivis humum,
Niveoque paſſim lacte manantem intuli.
Quid tu? venena torridæ linguæ admoves;
Exſucca potu labra mortifero coquis.
Veſtes ad iſtas cura deſcendit mea,
Ut ne quid uſu longa luſtrorum orbita

Detereret. at tu corpori & tunicam & cutem
Noſtro revellis ; mox & immanes jocos
Rubræ pudendo chlamydis injectu cies ;
Et Rege atrocem ludicro ſcenam inſtruis.
Tibi Chananæos ſaxeo nimbo tonans,
Validâ tremendus dexterâ, infregi Duces.
Huic tu paluſtrem dexteræ calamum inſeris,
Inſigne regni ! dexteræ exemptum procax
Impingis ori : ſente vallatum caput
Placidoſque vultus ferreo cæſtu quatis.
Sic tu coronæ ſplendidè ac ſceptri memor,
Quo te ſuperbam decore donoque inclytam
Fulgere juſſi, Principum collo pedem
Imprimere, denſo gentium obſequio coli
Late clientum ! ſcilicet dignum Deo
Supplex honorem poplite incurvo exhibes :
Sputo, cachinno, verbere inſultans colis !
Tibi ego ſupinos ponte ſubſtravi novo
Scopulos eunti : néve ſubductas fugâ
Pugnæ reliquias noctis eriperet favor,
Fixo caducam ſole ſuſtinui diem.
Tibi ruinas gentis Enaciæ ſuper
Solium excitavi ; totque Amorrhæûm ſimul
Captiva Regum corpora in furcam indui.
Tu me in cruentam, perfida, egiſti crucem.
Ah cœca, & ipſis durior ſcopulis Sion !
Horret furori conſciam lucem tuo
Præbere, & umbris refuga ſe involvit dies ;
Rumpit gementes publicus cautes dolor.

DE CHRISTO CRUCIFIXO

PERIALGIS ET AGAPETI

CARMEN AMOEBÆUM.

ODE XII.

Perialges. FLEAMUS. ecquid Caucasus præcordiis
Tigresque cautesque incubant?
Agapetus. Amemus. ecquid pectora Hyrcanæ nives
Roburque ferrumque occupant?
Perial. Pias (moramur?) Christus ad lacrymas vocat
Sponsus cruoris prodigus.
Agap. Sacras, eamus, Christus in flammas rapit
Flagrans Amoris Victima.
Perial. Fleamus. en, ut regium horrendæ caput
Fixus coronæ spiculis,
Vasto flagellorum exaratus impetu
Et grandibus sulcis hians,
Ut squallet ore informis, ac mixto genas
Sputoque taboque oblitus!
Fel triste labris, virulentos auribus
Sales jocantûm combibit.
Clavo trabali, sanguine undantes manus
Clavoque trajectus pedes,
Dirisque mentem saucius doloribus
Cum morte luctatur Deus!
Agap. Amemus. en, ut nominum augusto caput
Floret sacrorum stemmate;
Palmisque acutâ cuspide inscriptæ rubent
Amoris æterni notæ!
Ut ore anhela temperat suspiria,
Mistasque singultu preces!
Et jam tonantem, voce mellitâ, Patrem
Supplex remulcet hostibus.

Largo triſulcas ſanguine oppreſſit faces,
Sordeſque terrarum abluit.
Tyrannum, amore victor, infernum Deus
Lethumque confixit cruci.
Perial. Nuda oſſa, lacera membra tormentis rigent,
Diſtenta ferali trabe.
Sibi grave ipſi corpus, & acerba aſperat
Sublime pendens vulnera.
Letale ſiccas permeat venas gelu,
Artuſque livor luridos.
Fletu, cruore, morte jam jam oculi natant,
Extincta mundi ſidera.
Agap. Clementiæ jam tota divinæ patent;
Jam ſe profundunt viſcera.
Ac dum per artus gelidus obrepit rigor
Mortis propinquæ nuncius;
Cæleſtis ardor corde vivaces agit
Per denſa flammas vulnera:
Lethoque in ipſo, qualis extremo cadens
Sol axe, dulciùs micat.
Perial. Sceleſtus, eheu, lanceâ exanimum latus
Miles tremente perfodit.
Matriſque, eodem bis nocens ictu, piam
Mentem cruentat carnifex.
Agap. Iô, receptus lateris effoſſi ſpecu,
Latebra fida panditur:
Animaſque Chriſtus hoſpitas plagæ fovet
Salubris almo nectare.
Perial. Fleamus. aut ſi temperare lacrymis
Ingrata poſſunt lumina;
Ah, digna fletu lumina æterno, pice
Fumans Avernus terreat.
Agap. Amemus. aut ſi nil ahena molliunt
Amoris ignes pectora;
Odiis nefanda capita congeſtis premens
Væ, terra cælumque obruat.

CHRISTI ET ZACHARIÆ DIALOGUS.

Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? His plagatus sum &c. Zach. 13.

Zacharias. NAM quid cruentis in manibus duplex,
JESU, cicatrix, quidve pedum notæ
Volunt, & abrupti profundo
Vulnere hians lateris caverna?
Christus. His me cruentant vulneribus mei.
Ne quære, nam quos assiduo fovens
Amore dignabar, furentes
Sic odium retulere amori.
Zachar. Certare amori sic potuit furor?
Heu monstra rerum! Sed quis erit tui
Usus cruoris? ne caduco,
Ah, pretium pereat liquori!
Christus. Caræ Sioni, quo scelera abluat,
Vulgò patentem sufficiet cruor
Fontem, salutaresque thermas.
Hinc maculam mihi Sponsa nescit.
Zachar. Suave ô lavacrum, tincta ubi, sordibus
Corda expiatis purpureus nitor
Illustrat! Et sævæ sigilla
Mortis adhuc, redivive, gestas!
Christus. Victorem honestant vulnera, provocant
Clientum amorem, corda movent Patris.
Foramina hæc nido Columbæ
Fida vacant, latebræque dulces.
Zachar. Vivâ hospitatæ nil volucres petrâ
Ungues tremiscant vulturis inferi.
At membra confixa intuentes

Qui pavor excipiet rebelles!
Christus. Videte, dicam, quæ mihi vulnera
Inflixtis; & quæ, carnifices, tamen
Intrare fugistis vocati.
Antra Erebi tenebrosa inite.
Zachar. Digna illa sedes perfidiam manet.
Serò agniti tunc fulmine Judicis
Gens icta, ceu mater necatò
Primigenæ immoritura, planget.
Christus. Agnosce, plagæ quàm scelerum graves,
Queis vulnerandi causa Dei stetit;
Et, ira dum transit Tonantis,
Condere humo penitùs refossâ.

AD SACRA STIGMATA ZACHARIAS VENERABUNDUS.

ODE XIV.

ÆTERNA amoris pignora, publicæ
Fontes salutis, purpurei decus
Insigne Victoris, corusca
Sanguineæ monumenta pugnæ!
Queis, sacra, laudum vos ego, Vulnera,
Ornem coronis? queis lacrymis rigem
Lugensque gaudensque; ah, meorum
Hinc scelerum laniata acerbas
Per membra pœnas, hinc veniæ obsides
Plagas retractans, blanda piacula;
Orco triumphato, beatæ
Signum eadem pretiumque pacis?
Clamorem in altum semper hiantia
Vos ora, læsi flectere Numinis
Iras, & ultrici potestis
Rapta manu superare tela.
Reis asylum non violabile,

Præſens in hoſtes perfugium, obviam
Nigriſque inacceſſam catervis
Ultro animæ reſeratis arcem.
O plagæ, amaris dulce laboribus
Lenimen! ô lux, & miſeris quies!
O venæ inexhauſtæ bonorum,
Lethiferis panacea morbis!
Vos gazam egenis, dona perennia
Nectarque læto funditis ubere;
Pulchrique cæleſtes amoris
Illecebras, teneræque flammæ
Vivo micantes ſemine fomites
Præſtatis. & queis cernuus oſculis
Auguſta delibans per artus
Stigmata ſidereos adoro!

CHRISTUS REDIVIVUS.

ODE XV.

MOESTIS peremptum deſine, deſine
Urgere Numen, Chriſtiade, modis:
Omitte plangorem, ac ſepulcro
Parce ſupervacuos odores.
Surrexit; atrâ, non, cruce lividus
Qualis pependit; vulneribus lacer,
Informis obducto cruore,
Funereo cohibetur antro.
Florent refixis vepribus aurei
Crines; & altum ſidera verticem
Cinxere, funduntur que læti
Purpureos radii per artus.
Orbæ Parentis jam penetralibus,
Auræque & aſtri motibus ocior
Subit; repentinoque mulcet
Magdalidem Sociaſque viſu.

Illum, Emmaüntis qui Solymâ domos
Petunt relictâ, multaque lugubri
Sermone volventes nefandâ
Cæde super, tumuloque aperto;
Novêre, quamvis ore priùs suo
Cerni negantem; dum comes additus
Gressumque sermonemque confert,
Fata movens latebrosa vatum.
Sed hospitali, quò Cleophas trahit,
Mensâ recumbens ut Cererem sacro
Fregitque porrexitque ritu,
Pulsæ oculis animisque nubes
Illum & Simonis lumina, quæ triplex
Linguæ paventis diluerant nefas,
Hausere; turbatique, cœtu
Cùm stetit in medio, Sodales.
Palmarum hiatus, & memores notas
Clavorum, & altam fas lateris specum
Rubentis explorare tactu.
Huc digitos age pertinaces
Immitte, Thoma; nec pudeat manum
Inferre, latum ferrea limitem
Quà lancea egit. Perge, tenta,
Nil dubitans; solidoque demum
Tactu petitam disce volens fidem.
Sic clausa JESUS limina permeans
Affatur. hinc notis videndum
Dat Galilæa jugis & undis.
Ubi trophæum, Mors? ubi funebres
Inter cupressos falcis ovans rigor?
Mors victa Victori perempto
Immoritur; stimuloque Christus
Mortis refracto vividus emicat,
Vindex paternis clarus honoribus;
Ac, fulgurum in morem, corusci
Aligeri tumulum frequentant.

E sacr. litt.

CHRISTI FORMA.

ODE XVI.

AUREUM Sponsi caput Iris ambit;
Aureas palmas hyacinthus implet:
Liliis vultûs niveis rosarum
Purpura certat.
Fusa, ceu palmæ, coma densa, frondes;
Splendet ut corvi, coma fusca, pennæ:
Lenè odoratis sonat acta myrrhæ
Copia labris.
Lacteæ mites oculi columbæ
Prænitent; gemmis eborique pectus:
Et decent plagæ: velut astra, dulci
Luce rubescunt.
Ore mortalem superante formam
Deditos regnat medius per hostes,
Ac pio nexos placidus triumphat
Victor amore.

EUCHARISTICUM SACRIFICIUM.

ODE XVII.

O Incruentæ mysticum cædis genus,
O insolentis Victimæ!
Verbo Sacerdos Numen Elicium polo
Haud fabulosum devocat.
Nec astra linquis, Christe, nec te aris negas,
Unusque & idem multiplex.
Bicolore velo tectus, & frugis nivem
Refers & vuæ purpuram.
Utrâque specie pulcher, augustùm Deus
Candet rubetque Absconditus,

Sacrifica

Sacrifica corpus lingua recidivum parit
Et morte vivace immolat.
Quin viva & ipse (qui novo Jesum sequi
Gaudes sacramento ducem)
Quin viva & ipse, sanctaque ætherii venis
Sub cultrum Amoris Hostia?
Votiva jam te sacra Virtutum infulis
Sertisque comptum postulant.
Quotidianæ, semper antiqua & recens,
Neci superstes Victima
Suam, beatâ morte mactatam, novæ
Vitæ redonat Hostiam.

SACRUM CONVIVIUM.

ODE XVIII.

Quando sederis ut comedas cum Principe, diligenter attende quæ apposita sunt &c. Proverb. c. 23.

Mira fides! cælesti epulo mensæque supremi
Fas assidere Principis.
Ergo age, quem magnæ blanda in commercia cœnæ
Regum ille Princeps advocat;
Appositis vigilesque oculos animumque sagacem
Intende mensæ ferculis.
Non hîc mellita, Isacidûm stupor ille, pruina,
Non rupe diffusus latex.
Credimus? instar habens frugis, liquidique Falerni,
Deus, Deus mensæ incubat.
Triticeam objectat speciem, ambrosiamque ministrat
Sacri latentem corporis.
Vitigenum laticem obtendit; sed amabile nectar
Sancti refundit sanguinis.
O tantis dignate epulis Conviva, Theandro
Mentem recepto pinguior;
Fallaces ne deinde cibos, sparsasque venenis

Amens placentas eſuri.
Ceu Stygio afflatam ſerpenti credulus hauſit
Eſcamque mortemque helluo,
Auſus divinæ ſpes paſcere ſortis Adamus,
Fatale poſteris nefas.
Quæ Domini crater felicia labra ſacravit,
Cave profana feceris.
Circæos calices, Lethæis ebria ſuccis
Fuge, ô, nefanda pocula.
Quin pariles epulas, quà fas, retuliſſe labora
Chriſto miniſter hoſpiti.
Nempe tibi Deus eſca; Deo cibus ipſe viciſſim
Gratos ſapores exhibe.
Apoc. 3. Fervidus alta ſubi præcordia: namque tepentes
Rejectat indignans cibos.
Corporis ille ſui vivos apponet ad artus,
Infuſus almo ſpiritu.

Regiæ Pietatis Monumenta Sedanensia

CRVCIS TROPHÆVM

REGIS REGINARUMQUE Chriſtianiſſ. magnificentiâ,

In medio Sedani foro celeberrimiſque aliis locis feſto cum apparatu, religioſaque pompâ primùm excitatum inter ipſa Sanctæ Divinæque Crucis ſolennia.

ODE. XIX.

SUBLIME pompis Auſoniis decus
Ibant triumphantum aurea Cæſarum
Vexilla; gemmatâque pictus
Luce diem geminabat aër.
Caput triumphi nunc Labarum, ac ſeges

Æterna laudis, purpureo micat
Fulgore; Crux, signis Olympi
Splendidior, soliisque Regum.
Gravem Sioni Persida, & impium
Christo revincens auspice Chosroëm,
Subvectat Heraclius almam
Ipse Crucem famulante collo,
Augustus, ostroque ac diademate
Nudatus; & quâ Christus iit viâ,
Dejecta Majestas revolvit
Golgothei juga dura montis.
At tu execratam supplicio Crucem,
Lux Christianæ maxima gloriæ,
Morumque princeps, tu salubri,
Gallia, Cæsaribus colendam
Monstrô indicasti. Scilicet è tuis
Convexa mundi dum petit arcibus,
Bellique turbato periclis
Fortè animo speculatur æthram;
Clarum sereno prodigium legit
Descriptam Olympo Flaviades Crucem,
Victoriæ oblato vocantem
Rite Deum augurio secutus.
Tunc ille, signis ante Quiritium
Regnans, supremis cessit honoribus
Tonantis Ales fabulosi:
Tunc Labarum venerata castra.
Et jam subacto Crux Capitolio
Insedit altè: gemmiferis apex
Divinus insurgit coronis;
Supplicibus celebratur aris.
Huic servit omni relligiosior
Luxus metallô; feta opibus simul
Natura, Virtutumque junctô,
Ecce, chorô famulantur Artes.

Crux augustissima, Ludovici donum, in foro Sedan. primùm defixa ipso Exaltatæ sanctæ Crucis festo die.

Constantino Magno in Gallia bellum adornanti oblata Crucis species, augurium pignusque victoriæ.

Iam in fronte Regum Crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt. August.

Quam sumptuosis Regia molibus
Educta in auras munera! quæ Crucis
Non ante Sedanas per arces
Structa pio simulacra fastu!
Crucem reflexo succidui genu
Ambite, Cives: Donaque Regia,
Festamque gratantes triumpho
Bisgemino celebrate lucem.
Centena læto jam tonitru fremunt
Tormenta, circùm turrigeris sedent
Quæcunque muris, perque vallum
Terrificâ vigilant coronâ.
Jam totum ahenâ Præsidium flagrat
Ornatque pompam lucis imagine:
Et Regis impubes secundis
Auspiciis moderatus annos,
Dux antecedit Burlius ordines,
Bellique felix, Pacis & Artibus;
Virtute; Guiscardorum & altâ
Stirpe Ducum, Calabrisq; sceptris.
Circumsonantes innumero Lyras
Auditis astro? nec pariles creant
Labente concentus Olympo
In numerum revoluta signa.
Sicut Moyses exaltavit erpentem &c. Joan. 3.
Effusa toto cernitis agmina
Fulgere Cælo? Legifer ænei
Quondam Colubri signa Vates,
Anguineis inimica turmis,
Depanxit; ardens quo caderet lues
Late per omnes Isacidûm tribus
Grassata; communemque visu
Arriperet populus medelam.
Certâ Dracones in Stygios ope,
Fatalis & vim pestiferam mali,
Subvênit Orbi Sospitator:

Terrigenas meliore Signo
Salvos recepit; ceu coluber, truci
Vulgo execratus, ſtipite penſilis.
Et cœcus oblatæ Salutis
Spreta Furor monimenta calcat!
Dio Rebelles pandite Lumini,
Ingrata demum pandite pectora:
Cæleſtis oſtenti laceſſit
Dulce oculos animoſque fulgur.
At illa ſævis edita nubibus,
Crux, qualis olim ſanguineas aget
Flammas cometes! Signum apertis
Ducet atrox glomerata caſtris
Olympiorum examina militum;
Horrenda terras cùm quatiet tuba;
Maneſque plangentes ciebit
Fulmineo Cruciatus ore.
Quin, pervicaces, & Fidei manus
Et corda amanti victa datis Deo;
Blandamque maturè ſub umbram
Ac patulos juvat ire ramos?

Tunc parebit ſignum Filii hominis &c. Matt. 24.

Sacrum ſignū ex adverſo profani templi erectum, unde Chriſti pendet effigies, ad piū transfugium heterodoxos invitanti ſimilis.

IN EADEM AUGUSTA DONA, REGISQUE CHRISTIANISS.

De univerſa Religione promerita.

ODE XX.

FIXUM cruenti vertice Golgothæ
Tranſcripſit aris opprobrium Deus,
Victorque adorandum ſacravit
Principibus populiſque ſignum.
Sedani ad arces conſpicuum foro,
Formâ ſuperbum (marmore pars nitet,
Pars ære inaurato coruſcat)

Relligio ſtatuit Trophæum.
Hîc prona, ſanctis non ſine gaudiis,
Colenſque gratanſque; O decorum ferax,
Proclamat, Arbos! ô Salutis
Æthero generoſa fetu!
Inominati túne odium gregis,
Tandem expiatis conſita ſedibus
Floreſcis, Errorumque abactâ
Peſte novos paris alma fructus?
Quo tu profanos ardua numine
Hoſtes ſuperſtas! Liliger hunc tibi
Decrevit auguſtæ triumphum
Inſolitum Pietatis Heros.
Terras per omnes ſollicitus Crucis
Urget triumphos. Hinc Libycas quatit,
Ferroque & igni miſcet oras;
Belligerâ freta claſſe purgat.
Illinc feroces Oſmanidûm impetus
Lecto refrænans milite, Pannonas
Erexit. Arrabo cruentum
Strage latet tumefactus amnem.
Quo priſca cultu Rex foveat ſacra,
Teſtes Batavi; tuque Britannicis,
Dunkerca, vinclis exſoluta,
Nec vetito maculanda ritu.
Utrumque Solis tangere limitem
Potens, & Orbes jungere ſedulus
Commercio ambos, Chriſtianæ
Spargere opes Fidei laborat.
Obtritâ fanis Impietas ſuis,
Luget ruinis impoſitam Crucem;
Geneva quam portis minantem
Horruit attonito Lemano.
Geneva Sedanum altera, jam Crucis
Imbuta ſigno tergeminæ, rudes

Multæ Barbarorum naves, quà captæ, quà incenſæ aut depreſſæ à Gallis ſub ipſos Algerianos portus.

Excitata Crux in ipſo Genevæ aditu, Regi authoritate, crebris in circumjecta regione dirutis Hæreticorum fanis.

Sacrat plateas. Ludoïcus
Regifico decora alta ſumptu,
Non ille magno Flaviade minor,
Extollit; & quæ, Principe cum Nuru,
Auguſta cultricem repertæ
Anna Helenam Crucis æmulatur.
O Ara verè Maxima gentium!
Crux immolati ſanguine Numinis
Rubeſcit, ac mundi probroſas
Purpureo lavit amne ſordes.
Telum coruſco fulmine fortius,
Confixus Orbem quo Deus edomat,
Lignoque Regnator potenti
Tartareum tremefecit Orcum!
Telum ac Trophæum, Crux, ſpoliis grave,
Quæ rapta Averno plurima Principi
Geſtans, triumphaliſque currus
Ipſe ſibi, terit aſtra Victor!
Hoc vince Signo, Maxime Principum;
Deoque partas Signifero & Duci
Referre lauros, atque opima
Gratus amans cumulare dona.
Sic dona donis quippe ſequacia
Fas evocari; ſic hominem Deo
Certare. Sed pulchris in auſis
Dulce, Deo ſuperante, vinci.

Geminæ Cruces ab Anna & Maria-Tereſia Chriſtianiſſ. Reginis donatæ Sedanenſibus, pareſque Ludovicæo muneri, ſacrâ Inventæ Cruci luce dicatæ depactæque ſunt.

EUCHARISTICA POMPA SEDANENSIS,

Videſis Oden libri I. XXI.

MIRIFICA RERUM CONVERSIONE INSIGNIS

Ex Ludoviceæ Pietatis Curâ & Autoritate.

ODE XXI.

Sic quidem oportuit victricem Veritatem de Mendacio & Hæreſi triumphum agere. Concil. Trident.

NON uſque lapſu præcipiti ruit
In pejus ætas. ridet amœnius,
Jam nube dimotâ, ſerenum:
Purpureo revireſcit anno
Veris beatus poſt hiemem nitor:
Bellum flagello Pax fugat aureo;
Sævamque Majorum reſarcit
Poſteritas generoſa cladem.

Veritatẽ Dei in injuſtitia detinent. Rom. I.

Damnata tetro carcere Veritas,
Cæcis & umbris: conciderat Fides;
Fœdumque Sedani jacebat
Preſſa ſitu Pietas iniquo.
Veſcâ latentem ſub ſpecie Deum
Ægro pudebat, luce palam (heu nefas!)
Munimen optanti ſupremum
Ferre, ſalutiferumque pignus.

Hæreſi dominante, ſacrum Viaticum in urbe Sedano ad Catholicos, qui ſane pauci ſupererant, furtim afferebatur.

At nunc tremendis conſtat Honos ſacris:
Solennis urbem pompa perambulat,
Victrici Alethiæ Triumphus,
Auſonio celebrata ritu.
Notis, viciſſim territa, ſedibus
Regniſque mœrens excidit Hæreſis;
Cogitque in obſcuræ Clientes
Lucifugos latebræ receſſum.

Et ipſa Calvini extima ſupplicant
Obtenta juſſis fana tapetiis.
Templi inſtar, urbs eſt. Jam roſarum
Miſſilium volitante nimbo,
Simul Sabæis aura vaporibus
Odora, & alto carmine perſonat,
Longoque flammarum renidet
Ordine, ſtelliferove tractu.
Tubarum acutis æmula cantibus,
Gravi ſonoros tympana murmure
Plauſus maritant. jamque ahena
Ora pios glomerant fragores;
Quàm crebra totis undique mœnibus
Urbiſque & arcis machina militat,
Hîc læta nubes innocenti
Pulvereas rutilare flammâ.
Togâ virorum clarior & ſagô,
Majorque Virtutum agglomerat cohors:
Et ſplendidam ducis catervam,
Burliade, Superiſque miſces.
Sic Arca denſo, nobile ferculum,
Subvecta Myſtarum agmine, copias
Agebat Hebræas, triumpho
Mille ſacro pariens triumphos.
I, perge tanti Principis aſſecla!
Verſæ nitentem frugis imagine,
Sanctiſque gaudentem latebris,
Sedulus officio prehenſa.
Hoc ipſe Regum Maximus, hoc cliens
Chriſto per urbes obſequium exhibet
Francas ovanti; candidumque
Luſtrifico gerit igne ſidus.
Facem ipſe præfert, ac populo inclytu
Prælucet; arcano interea Dei
Stipator Ales dum ſequentum

Corda virûm jaculatur igni.
Qualem & recurvo Pontificem genu
Spectabilem altè Machina sustulit,
Mirante Româ, dum Supremus
Sub niveo gerit orbe Numen.
Edule Pastor! Solis, adoreâ
Tecti sub umbrâ, pompam agitat Fides:
Ferculoque adorantem beato
Lustrat Amor satiatque plebem.

Jussu Alexandri VII. extructa machina, quâ Deum absconditum in solenni supplicatione circumferret corà ipse provolutus in genua.





LYRICON
LIBER V.
QUARTUS IDEM PARTHENICON, VIRGINIS FESTA MYSTERIA CONNEXAQUE ALIA CELEBRANS.

MARIA, STELLA.
ODE I.

Respice Stellam, voca Mariam. Bernard.



IDERAT antiquo monstratum carmine Sidus
Phœbeo regnare sub ortu;
Viderat, & longè fatalia signa secutus
Bethlæo Magus appulit antro.
Bisgenitum, ô, quisquis cœca inter nubila Regem
Quærere amas, Cæloque potiri;

Abramidæ clarâ ſurgentem è ſtirpe Jacobi
Suſpiciens venerare MARIAM.
Hanc ſequere; hanc oculis inhians, hanc pectore toto,
Si qua fides, ſubmiſſus adora.
Ceu Graios Helice, Tyrios Cynoſura gubernat
Signiferâ ſpectabilis arce:
Sic & inocciduo ventoſa per alta clientem
Igne regit ſtellata MARIA.
Vel te vaſta voret fluctu glomerante Charybdis,
Cœruleo vel Scylla moloſſo:
Illa enare dabit, medioque è vortice raptum
In portus ſubducet Olympi.
Nobilis ut magnæ docuit Genitricis Alumnus,
Lactis agens ex ore fluenta.
Quò vos cunque ferant mundi revolubilis undæ,
O Socii, ſpectate MARIAM.
Ut Sidus radium, ſic Natum candida Virgo
Progenuit ſine labe pudoris.
Stella gravi informes terras ſolatur in umbrâ;
Purpureo Cælum igne recludit:
Nec minùs erroris tenebras, noctesque malorum
Sidereo fugat ore MARIA.
Ergo quæ vos cunque maris diſcrimina verſant;
Si rapidis freta concita ventis;
Si brevia & ſyrtes, ſaxis vada perfida cœcis
Naufragium, ſcopulive minantur;
Seu ſtruat inſanos ſpumoſo è gurgite montes
Lymphatæ vis atra procellæ;
Seu præceps, fugiente ſolo, per aperta barathri
Ad manes turbo urgeat imos:
Nimboſo in pelago, vitæque horrentibus undis,
O Socii, clamate MARIAM.
Incertos reget Hæc ſecli per turbida curſus.
O patriæ fulgentis amantes,
Virgineum ſpectate jubar: duce Virginis aſtro
Sidereis appellitur oris.

MARIA
SINE LABE CONCEPTA.
ODE II.

QUALE, convallis decus, inter acres
Lilium spinas niveum videri
Surgit, ac longè colubros severo
Arcet odore:
Qualis optati vapor imbris augur,
Eliæ Nubes, maris è profundo
Extulit sese, nihil inde fæcis
Duxit amaræ.
Talis annosa sterilique gaudet
Concipi fetus genitrice major,
Ætheris Regem paritura summum
Aurea Virgo.
Sanguinem, sed non & acerba sontis
Fata Naturæ, veteresque diras,
Una quæ culpæ genitalis exors,
Traxit Adamo.
Altera hæc priscæ capitale Matri
Eva commissum reparare solers.
Jam suo Conceptam hominum Redemptor
Signat honore.
Scilicet tantæ genesin Puellæ
Jure divino sibi vindicavit
Gratia, & mentem replet unam ab omni
Parte beatam.
Jam facem accendit Ratio, Fidesque
Lucidæ summa vigil arce Mentis:
Pectus & flammâ tenerum sacrati
Ardet Amoris.
Diva præclaris opulenta donis

Ut rudem castæ Genitricis alvum
Imbuit (canum revirescit ævum
Flore juventæ)
Siderum alati stupuere Cives
Tantulis ingentem animam subisse
Corporis membris; agitantque festo
Gaudia cantu.
Quæ (Deus!) terris nova lux oborta!
Quæ procellosi maris ista fluctus,
Et graves Orci premit, ecce, felix
Stella tenebras!
Surgit; undoso velut è cubili
Purpurans Eos croceoque nubes
Irrigat fuco, liquidâque rorat
Plurima gemmâ.
Pulchra, ceu puram sine labe frontem
Luna pallentes micat inter umbras,
Semper & crescens, eademque semper
Lumine plena.
Lecta in augusti speciem decôris;
Aurei ceu Sol radians coronâ
Ignis incedit, proprioque regnat
Lætus Olympo.
Hostibus demum Stygiis tremenda;
Sicut instructis acies maniplis,
Castra cùm linquens, in aperta pugnæ
Æquora tendit:
Ante quam Terror volat; & coruscis
It comes Virtus animosa telis;
Lauriger curru sequitur Triumphus
Altus eburno.

MARIA NASCENS.

ODE III.

O Nazareïdos Filia * Gratiæ,
Infans nota Deo, naſcere, naſcere!
Tandem, ô! Vatibus implè
Promiſſam toties fidem.
Te deſideriis acta flagrantibus
Patrum corda cient: te Solymæ ſacra,
Æternûm juga poſcunt
Suſpirantia collium.
Jamtum fœdifragi poſt hominis nefas
Ultricem generi pollicitus Pater,
Quæ fatale biformis
Monſtri protereres caput.
Te Moſes bifido monte ſuper Rubum
Ardentem innocuis ſuſpicit ignibus:
Virgam flore ſalutat
Fructuque Amramides gravem.
Nam quid plura ſequar? Legis imagines
Umbris te referunt, inclyta, myſticis;
Venturamque ſaluti
Omnes Abramidis canunt.
Tot ſeclis agedum, lenta, vocantibus
Reſponde. quid adhuc vota clientium,
Erectamque fatigas
Spem longâ nimium morâ?
Quid, ſi forte parens Anna, tenacior?
Ah, tu ne miſeris gentibus invide!
Neu terræ, ô bona, differ
Pignus reddere creditum.
Maturam ſedenim læta puerpera
Jam Prolem facili depoſuit ſinu:

* Id Hebræis Anna ſonat.

Susceptamque Pronæa
Infantem gremio fovet,
Immulgens nivei nectaris ubera.
Lactentem Dominam devenerantium
Virtutum chorus ambit;
Pennatique satellitum
Reginam excubiis circumeunt globi,
Et cunas agitant, proque crepundiis
Pulsant aurea plectra, &
Laudes Virgineas canunt.

MARIA

DEO AD ARAS OBLATA.

ODE IV.

PRINCIPES Abramidæ
Dum sacra subter igneo bisulci
Comparant Sinæ jugo;
Unguenta, byssum, purpuram, lapillos,
Divitis Sacrarii
Pios in usus rite dedicarunt.
Gratiora Numini
Jam dona colle missa Nazaræo.
Regiâ satum Tribu,
Sanguis nec alti degener Davidis,
Par senile Conjugum
Templo triennem consecrat MARIAM.
Liberale qui priùs
Censûs ferebant annui tributum,
Ocyùs Deo suam
Grati rependunt Virginem Parentes.
Non ab æde sanctitas
Ducenda Natæ, reddet ipsa templum

Inquilina

Inquilina sanctius.
En, ut modesto læta, ceu paternam
Ore jam subit domum!
Ut expedito quindecim triennis
Transilit gradus pede!
Unius exin vita, virginalis
Disciplina fit chori,
Sodaliumque Cælitum voluptas.
Hîc oliva pulchriùs
Amat feraces explicare ramos. Psalm. 51.
Ædis uberi solo
Plantata, pingues crescet inter aras.

MARIA

A CÆLESTI NUNCIO ADITA.

ODE V.

ROs ecce Olympi, nectare dulcior
Gemmâque & auro clarior affluit;
Ac nube, tot votis vocatus,
It nitidâ pretiosus humor.
Hinc & beato munere fertilis,
Haustoque Tellus germinat æthere;
Cultu nec humano subacta
Fert superas panaceam ad auras.
Natura ruptis legibus horruit
Mirata vinci, dum gremio capit
Jam corporatum Virgo Numen,
Ipsa sui Genitrix Parentis.
Orbem ille portans; nunc tener, & levis
Ferri MARIÆ, se in puerum Deus
Collegit, involuitque nube
Sol, posito radiorum amictu.
Jam virginales in thalamos venit

Cum Rege Cælum : jam volucrum, genu
Curvæ Miniſtrorum cohortes
Primigenam coluere ſummi
Chriſtum Parentis. Qui fidium ſonus!
Quæ viva pulchro ſidera Cælitum
Igni renident! geſtientis
Quæ facies, ſine more, tecti!
Nodi tenaces ducere Gratiæ
Choros videntur; Pax oleâ comam
Inſignis, & lapſi ruinas
Certa Salus reparare mundi.
Hanc veſtit oſtro ſanguineo chlamys:
Intaminatâ candidior nive
Spem cyclas ambit : nec ſuperno
Anchora abeſt jacienda portu.
Præit modeſto caſta Fides gradu,
Caliginoſis lumina mentibus
Spargens inextinctâ lucernâ;
Nec dubias ſpeculo nitenti
Myſteriorum reddit imagines.
Sinæ ſeveros pellit Amor metus,
Legemque ſuccinctam procellis,
Ferri acie, lapidumque nimbo,
Tum cælo inurens corda bicuſpide
Priſcum refringit marmor, & intimis
Præcepta deſcribit medullis
Moſaïco potiora ritu.
Condenſa, flammis dulce micantibus
Accincta, ſacram pervolitant domum,
Natumque & auguſtam Parentem
Ora pio meditata cantu.
Impone tandem luctiſonis modum,
Sion, querelis : excute pulverem,
Depone ſordentes amictus,
Terge oculos lacrymis natantes;

Diſſolve collo vincula libero ;
Teſtare feſtis gaudia plauſibus.
Conſurge, divinoque gratas
Munere ovans modulare laudes.
Quin cuncta pompas, Numinis hoſpita,
Molire Tellus. jam ſuperis potes
Certare regnis : nil Olympus
Majus habet meliuſque Chriſto.
Innoxiorum jam Rubus ignium,
Sancti ſub umbrâ Flaminis integer
Flammis & illæſus coruſcat,
Ac medios viret inter ignes.
Siccum in madenti, nunc Gedeonicum
Siccâ madeſcit Vellus in area :
Sonante mox terram rigabit,
Qui tacitus fluit imber, undâ.
Virgam ſuperbas, fictilium modo,
Regum coronas frangere nobilem
Jeſſæa radix, candidumque
Virga tulit ſpecioſa florem.
O digna, rerum quam Dominam cliens
Agnoſcat Orbis ; maxima Virginum
Matrumque ! terrarum voluptas,
Et dubii Cynoſura Ponti,
Maria, amantum gloria ſiderum,
Et cura ſalve ; Gratia quam ſuis
Profuſa theſauris, & omni
Dote avidus cumulavit Æther !
Beata, cujus viva Dei domus
Templumque, venter ! Fœmineæ caput
Gentiſque, laudiſque, ô Puella
Plena Deo, genitrixque Virgo !
At tu tremendo par Soboles Patri,
Quo tanto amoris concitus impetu
Cœcas puellaris latebras

Sponte ſubis uteri, Theander?
Tune ille rerum maximus artifex,
Mortale corpus, membraque terrea
Mirande cœpiſti tuimet
Ipſe opifex, opus ipſe, Verbum?
Anguſta vaſti cui ſpatia ætheris,
Immenſe, ſic nunc virgineo es ſinu
Incluſus! & Lunæ morantis
Ferre novem poteris recurſus?
Adæ profanis miſte nepotibus,
Inauſpicati progeniem Patris
Tuo expiaturus cruore,
Agnus ades, Dominator Orbis,
Paciſque Princeps? Aligeros, Deus,
Non tu rebelles, fulmineâ manu
Quos arce detruſos Olympi
Sulfureo in Phlegetonte torques;
Sed Abrahami ſic reparabile
Genus prehendiſti; & placidâ manu
Orco catervatim ruentes
Tartareis revocaſti ab umbris.
Tanti Miniſter gaudia nuncii
Delecte geſtas, ſplendida munera,
Legatus Interpreſque Amoris;
Et geminos, Gabriel, per axes
Commercium ingens ſorte aperis novâ:
Novique tecum fœderis Arbiter
Deſcendit, & magnum potenti
Conſilium explicuit lacerto.
Ut ille greſſu fulmineo Gigas
Viam capeſſens, emicuit Deus;
Summoque decurrens Olympo
Tranſiluit, juga noſtra, colles.
Stupenda rerum! Te, Geniis minor,
Ad uſque corpus, *Spirituum Pater*,

Limumque demittis, probrosam
Mancipio assimilate formam?
Verùm paternæ debita Gloriæ
Corona frontem, Magne, tibi, Puer,
Ornavit: æqualem supremo
Rite Hominem colimus Tonanti.
Sic Nazaræis in penetralibus
Cantant ovantes Cælituum chori,
Cellamque perfundunt odore
Ambrosio, roseaque luce.

MARIA
ELISABETHAM INVISENS.

Surge, propera Amica mea, Columba mea &c.
Cant. 2.

Exurgens autem MARIA abiit in montana cum festinatione &c. Luc. 1.

ODE VI.

EN tacitis, uteri dilectus vocibus hospes
Pectora nostra movet.
Surge, age, festinosque mihi formosa vocanti
Effer, Amica, gradus.
Cantu luscinias, aquilasque Columba volatu
Exuperare potens,
Candidior cycnis, phœnice & rarior ipso,
Alma Columba veni.
Cessit hiems: pluvio detersis aëre nimbis
Floribus ecce redux
Squallentem ver pinxit humum. jam sidera rident;
Parturit omnis ager.
Trudit odorato vitis de palmite gemmas;

Poma, nuceſque virent.
Eia mihi Virgo ante alias ſpecioſior omnes;
Surge, veni, propera.
Ardua Judæi ſubmittite culmina Montes,
Difficileſque vias.
Ecce venit ſummo genitrix delecta Parenti,
Virgo, eademque parens.
Quò properas, montes & ſaxa rigentia ſupra,
Feta Puella Deo?
Urget Amor procul aërias Chebronis ad arces:
Spiritus intus agit.
Infans infantem genitali exoluere vinclo
Criminis accelerat.
Nec Divam conſanguineæ certare priorem
Pœnitet officio.
Sternite iter violis, cantuque levate laborem,
Aligeri Comites.
Chriſtiferæ ſubter pedibus, Terra impigra totas
Exere veris opes;
Nardos, atque roſas, niveoque ſimillima lacti
Lilia congemina.
Reginam motâ in numerum cervice ſalutant
Umbriferæ ſilüæ.
Atque illam colles, illam fluviique, vagæque
Obſtupuiſtis aves.
Et nitidis æſtum prætentæ deſuper arcent
Velleribus nebulæ:
Obſtrictiſque Auſtris, fragrantes aëra ſoli
Pervolitant Zephyri.
Aura levi faciem gaudet mulcere flabello,
Pectere blanda comam.
Hinc oleæ, cedrique ſuos, hinc balſama odores
Ambitioſa movent.
Quà via fert Dominam, ſubito dulciſſima * montes
Lacte fluenta rigant.

*Stillabunt montes dulcedinem, & col-

Stillat mellis ubique latex. mons omnis, Hymettus, *les fluent lacte.*
Hyblaque, collis erat. *Joel. 3.*
Nec verò Matris venerandum, & amabile pondus
Viſcera caſta gravat.
Omniferâ gerulam vi ſublevat illa beati
Sarcina cara ſinus.
Zacharia, Conjuxque ſenex occurre MARIÆ,
Tuque, Puerque tuus.
Hoſpita læta, domo complexuque accipe Divam:
Major adeſt ſolitâ.
Jam ſubit, & dulci cognatam voce ſalutat
Regia Mater Anum.
Audiit, obſcuro materni carcere ventris
Conditus, ipſe Puer.
Audiit; ac tenera, divino ex ore profectos
Virginis, aure ſonos
Excipiens, fœdis nativi criminis infans
Sordibus eluitur;
Ac ſubito præſens agnoſcit lumine Numen:
Jamque Propheta Puer
Virgineam ignaræ Matrem dat noſcere Matri,
Biſgenitumque Deum.
Ut ſalit inſolito teſtatus gaudia motu,
Jam propiore Deo;
Et Chriſtum ex utero, genibus ſubmiſſus, adorat,
Corda replente Deo!
Qui clamore pio Deſertum implebit, & Aulam,
Verbo inhiat tacito,
Vocis inops; miſcetque animo commercia, magni
Conſcius alloquii.
Præcurſor venienti ardet præcurrere Chriſto,
Viſcera ni teneant.
Indice monſtrandum quondam, jam monſtrat; &, ecce,
Cùm ſalit, Agnus, ait.
Nec minùs icta Deo gratatur Eliſa MARIÆ,

Grandia facta refert.
Felicem longè ante alias mirata puellam;
Pignora ſacra canit.
Inde fidem , Dominique eventu ingentia fata
Non caritura ſuo ;
Ac tanto indignam ſeſe viſentis honore
Altiùs ore ſonat.
At laudem Regina , ſibi decus unde , refundit
Carmine magnifico.
Exiliere ædes , lætique per aëra Divûm
Accinuere chori.

MARIA EXPIATA.

ODE VII.

MOses Hebræas legifer vulgò nurus
Sorde puerperii
Quo more purgari jubet ;
Bethlæa templo nunc ſubit Puerpera,
Et ſacra diſſimulat
Arcana partûs enthei.
Auguſtam Ephebi cælites Matrem piis
Officiis Dominam
Ambire denſi geſtiunt.
Geſtare nec gravantur accenſas faces
Lumine ſidereo
Lnſtralis ad pompæ decus.
Spectaclum ad ingens , Anna longævo ſimul
Cum Simeone ſenex ,
Et ipſa vates advolat.
Quæ gaudii vis , cùm Deus fulſit puer !
Sarcina blanda ſinu
Fertur parentis candidæ ,
Deoque dignum fit Patri donum Deus.
Ære redemptus , emet

Cruore mortales ſuo.
Sed quid Salutis, aureus, pretium, Puer,
Et geminæ volucres?
Quæ dona Matris indigæ.
Bene habet, columbas quòd Columba duplices
Unica labe carens
Sponſo MARIA detulit.
Quærendus alter nec ſacris Agnus fuit,
Cùm tener ambroſio
Chriſtus pependit ubere.
Procul bidentum, procul & hircorum greges,
Magnaque cum vitulis
Armenta taurorum procul.
Toto niteſcens vellere, ac noſtrum gregem
Emaculare potens
Hic Agnus aris poſcitur.
Agnum volentem ſuſcipe, ô Simeon, age:
Hoſtia fulmineum
Demum hæc parentem leniet.
Cui non furorem ſanguis extinxit boum,
Uſtaque caprigenûm
Fumante templo corpora;
Ultoris ira protinus grato cadet
Munere victa, ſimul
Admoris Agnum altaribus.
Jam ſtricta tela dexterâ ponit Tonans,
Pronus utraque manu
Profundere æternas opes.

At tu, propinqua morte, jam viſo Deo
Concipe, ſancte Senex,
Cycnea lætus carmina.
Promiſſa tandem (cantat) illuxit dies;
Plebis Abramigenæ
Exorta cælo Gloria!

Hanc ſida crebro dixerant oracula,
Hanc fore, quæ miſeris
Affulgeat Lux Gentibus.
Et hoc petenti dulce reſponſum mihi
Spiritus ante dedit,
Quod mente ſervo conditum.
Matura non te mors priùs terræ eximet,
Quàm, Simeon, oculis
Chriſtum beatis haurias.
Evenit. empta mille votorum ambitu
Pignora certa Dei
Ulnæ ſeniles obtinent.
Quem corda Regum, corda quem Vatum arſerant
Eminus, hîc foveo
Orbi paratum Vindicem.
Nunc, ô Senectæ cura vivacis, Puer,
Qui mora mortis eras,
Et ſola ſpes vitæ ſuper;
Dimitte ſervum, placida quò pridem vocat
Pax & amica quies
Paternum in Abrami ſinum.
Ibo, ibo nati nuncius felix Dei:
Sollicitis Animæ
Figent modum ſuſpiriis.
Jam prorogatæ maximum vitæ tuli,
Te, mea, Chriſte, Salus,
Fructum, moræque præmium.
Compone molli cana ſomno lumina.
Nam quid ego, mea Lux,
Viſurus ultrà demoror?
Servatus animus hic tibi, amplexus tuos,
Oſcula, Puppe, tua
Liquefactus inter effluat.
Hæc ubi puello præſcius cecinit Senex;
Dehinc Mariæ. Sed, ohe!

Resiste Vates cautior.
Quid tu ruinam loqueris, & signum, quod, heu,
Plurima tela petant
Virûm Deo rebellium?
Quám liquida turbas gaudia, & quantæ jacis
Semina tristitiæ
Malè ominatis vocibus!
Ah, jam satis, superque fatorum, Senex.
Pectora jam gladius
Materna trajecit; sile.

MARIA
IN CÆLUM ASSUMPTA.
ODE VIII.

ALTERA jam struitur cælestis pompa triumphi,
Novæque imago fulget alta gloriæ.
Purpureum sibi Christus iter per nubila fecit:
Per astra Virgo Lacteâ subit Viâ.
Quam neque primævâ Conceptam labe notavit
Adæ luenda posteris superbia;
Nec talo insidians læsit Cocytius Anguis,
Ferarum hic unus omnium vaferrimus;
Squallida nec tenuit nigro Libitina sepulcro,
Brevem, tribusque vix diebus hospitam;
Splendida suscepit gratantis regia mundi,
Heræque plausit omnis Ala Cælitum.
Parthenici, redivivam hilares ambite Parentem,
Et omne mortis explicate vinculum.
Kostka velut, Matris festos comitatus honores,
Amoris Ales evolavit igneus;
Mystica sic pullos, avium Regina magistris
Rudes ad alta provocat volatibus.
Auditis volucrum teneras denso agmine voces,

Lyriſque miſta nabliiſque carmina?
Cernitis, ut croceis arrident omnia campis?
Sacro dat una ture virga lacrymas.
Balſama inexpletum ſudant: nec, ſponte feracem,
Humum labore ſudor alter imbuit.
Nuſquam ſpina riget: lætos viridaria colles,
Deique veſtit arte conſitum nemus.
Stellatæ ramos dat, proſpera ſigna, Columbæ
Oliva ferre naufragante ſeculo.
Frontibus emeritis, Virtuti nota, coronam
Honore Palma ſublegente porrigit.
Nobilis intonſo conſurgit vertice Cedrus,
Suamque Vita non relinquit arborem.
Menſibus æquantur duodeni ex ordine fetus:
Nitente pendet alma fronde Sanitas.
Ambroſiæ fluitant ſegetes ſtellantibus arvis:
Ubique manna, & unda fuſa nectaris.
Non hæc Heſperidum regio, vel Adonidis hortus,
Superbum inane, bracteata fauſtitas.
Fallacis non hæc Arabis Circeïa Tempe,
Profanæ amica ſordibus Licentiæ.
Non, breve terrarum decus, Eden, Orbis ocellus,
Ubi venena ſparſit atra vipera.
Omnigenæ procùl hinc noxæ contagia: crimen
Fores nec audet inquinare gemmeas.
Stat liquidum ſine nube jubar: nec Cynthia Phœbum,
Diemque verſa noctis urget orbita.
Uſque ſuo incendit Genitor fulgore coruſcam
Siona, & Agnus ille Sole clarior;
Dux nivei Sponſuſque gregis, fataliaque Agnus
Apoc. 5. &c. Sigilla ſolus efficax reſolvere.
Hîc vivos latices, hîc mellea prata recludit,
Roſiſque picta liliiſque paſcua.
Numinis auguſto è ſolio cryſtallinus amnis
Salit, perenne limpidumque gaudium.

Haud ignava Quies, æternaque flore Juventa;
    Salusque Paxque gestit, ac Beatitas.
Gratia jam victrix, atque incorrupta Voluptas,
    Choroque plaudit accinente Gloria.
Tanta dicat Christus formosæ regna Parenti,
    Ut excitata funebri emicat toro.
Dulcia odoratæ spargit vestigia lucis,
    Viamque mollit arduam sequacibus.
Mirantes animas & corda flagrantia, Virgo,
    Trahens, amore blanda necte vincula.
Curramus, Socii! gratum juvat, ecce, laborem;
    Favente mulcet allevatque dexterâ.
Aurea nos Solyme, puroque simillima vitro
    Manet platea, iaspidisque mœnia.
Quos rapit illecebris, Nati felicia dona
    Piis MARIA dividit Clientibus.

VIRGA JESSÆA,

DIVINÆ BENIGNITATIS POTENTIÆQUE MIRIFICUM INSTRUMENTUM.

Isai XI. qui locus illustratur Heroic. l. 6. Poem. 2.

ODE IX.

VIRGAM te merito nomine dixerim,
Virgo, non fragilem; sed, capita aspera
Regesque & populos, fictilis in modum
Testæ si libeat frangere, ferream: Psalm. 2.
Sin vitam miseris & veniam dare;
(Gratum hoc & solitum, ni prohibent tuis
Uti fœda virûm crimina moribus)
Virgam Paciferi Numinis auream. Esther. 4 &c.
  Sceptrum læta Sion extulit inclytum, Psalm. 109.
Ac telum pariter, Davidicus Nepos
Quo victor trepidos percutiat Duces, Num. 24.
Edom, sive tuos, sive tuos, Moab,

Et latè mediis regnet in hoſtibus.
Exod. 7. &c. Moſis Mirificâ, Virga celebrior,
Quamvis & fluvios ſanguine tinxerit,
Et quaſſum tonitru ruperit æthera
Miſto fulminibus verbere grandinis.
Quamvis & ſolidam per patulos viam
Fluctus, & pelagi marmora penſilis,
Conſtrarit, ſaturo lacte fluentia
Felicis Solymæ rura petentibus.
At plagis Erebum tu gravioribus
Afflixti, tumidæ quàm ſola Mempheos
Vindex Iſacii perculit agminis.
Oræ purpureo Golgotheæ freto
Merſiſti Pharaona, & Stygiam manum:
Cæli pandere iter Virga ſequacibus
Et præbere potens dulcia flumina,
Mellitos latices, qui ſitientia
Undis proluerent corda perennibus.
Num. 17. Tu Fraterna, eadem, Virga, Sacrario
Æternum monimentum addita, quæ malis
Vexatam invidiæ flatibus infulam
Aroni properô germine vindicas.
Fragrat Virga minùs Thurea: viliùs
Frondeſcit veteris bractea fabulæ.
Nec jam credulitas Græcula, præpetis
Virgam Mercurii jactet, idoneam
Pallentes animas elicere, aut nigris
Compulſas gregibus mittere Tænaro.
Quid, quâ vel Geticos inter acinaces
Tutus, belligeras compoſuit minas
Orator, placidi nuncia fœderis?
Mortales valeat ſcilicet impetus
Compreſſiſſe. Dei tu rapido potes
Exarmare gravem fulmine dexteram.
Jerem. 1. Tu ſtellata oculo Virga, tuos vigil

Cultores valido præsidio tegis;
Avertisque graves, prospiciens, metus:
Ac sub sole pius dum bene sedulos
Exercet solitis officiis labor;
Umbrâ tu recreas lenis amabili,
Formosùm teneris consita frondibus,
Fructu nec vacuas ire sinis manus.
Te Jessæa tulit stirps, nemorum decus,
Virgam flore sacram; cui, placidè fovens,
Ac formâ niveæ splendidus alitis
Septemplex Domini Spiritus incubat.

PARTUS VIRGINALIS.

ODE X.

PARTUS beati conscia Nox adest,
Piisque circum-deliciis-fluit,
Nox in diurnam versa lucem,
Pervigili prece transigenda.
Hæc illa Nox est, quæ Phlegetontiis
Finem tenebris attulit, & suum
Caliginoso Lumen orbi
Fudit, inocciduumque Solem.
At, ecce, Mater virgineo algidum
Complexa Numen Diva fovet sinu;
Gemmasque rorantes ocellis
Aligeri excipiunt Ministri.
Hinc bos, & illinc membra reciproco
Tenella asellus mulcet anhelitu:
Uterque nudas vagientis
Ante Dei jacuere cunas.
Durum, magistro Numine, poplitem
Curvare discunt. Sic Domini, pecus
Præsepe cognoscunt, Hebrææ in
Dedecus opprobriumque gentis.

VIRGINI AD CRUCEM STANTI.
ODE XI.

CUM tu ſanguine ſordidam,
O Virgo, faciem, ſordida conſpicis
Nati pectora; tunc dolor,
Qualis difficilem parturientium
Exercere uterum ſolet,
Cor vexat tenerum: fatidici Senis,
Ah, ſeptemgeminus tibi
Vix hærentem animam trans-gladius-fodit.
Proh, quantam ante oculos ſcatens
Matri vim lacrymarum elicuit cruor!
Chriſti ſeu flagra lividos
Sulcarunt humeros, nudaque viſcera;
Sive infræna procacium
Tortorum rabies vulnifico caput
Spinarum diademate
Luſit, coccineo non ſine pallio.
Clavis fixa trabalibus
Spectas membra gemens; hîc, famulo pedes
Senſit quos Geneſar lacu;
Hîc noxæ medicas omnigenæ manus.
Quid, cùm triſtia pocula
Labris, antè ſacro melle fluentibus,
Nunc ardente retorridis
Admovêre ſiti, barbara toxica?
Quid, divino ubi lanceam
Immanis lateri tranſadigit furor;
Communi ruit alveo
Fluctu miſtus aquæ purpureo latex?
Crudeliſne Dolor magis;
An, qui ferri aciem, Mortis & aſperas
Vires æquiparans Amor

Urget

Urget Chriſtiparam ? Tortor agit duplex
Juncto ſævior impetu,
Certatim excrucians. inde calentibus
Rivis ora natantia
Teſtantur taciti vulnera pectoris.
Heu flendi tygribus quoque, &
Vaſto cum gemitu diſſilientibus
Rupis Golgotheæ jugis;
Unâ eademque necem qui geminant Cruce;
Indiviſaque funera
Pendent, mente Parens, corpore Filius!

MARIÆ SYMPATHIA.

Stabat Mater &c.

ODE XII.

GOLGOTHEO ſtabat lacrymoſa in vertice Mater;
Nati, cruento penduli
Stipite, fida comes.
Suſpirantem animam, plagâ nec ſimplice, mucro
Perfodit, ah, quondam ſacri
Proditus ore Senis.
Proh, quanto Genitrix convellitur anxia motu,
Nunc orba, quo felix priùs
Claruit, Unigenâ!
Dat tacitos mœrens gemitus: Chriſtique tremenda
Tormenta, dum ſenſu excipit,
Saucia mente refert.
Et quiſquam tanto laniatam corda dolore
Spectans MARIAM, temperet
Ferreus à lacrymis?
Quem pia non luctûs vocet in conſortia, caræ
Confixa Proli mutuo
Alma dolore Parens!

Illa suæ immanes gentis pro crimine pœnas
J ESUM, flagellis aspera
Verbera mille, pati;
Illa Patri desertum, & anhelâ voce querentem,
Mox dulce vidit horridâ
Morte rigere caput.
Flebilis ô Mater, fons ô cælestis amoris;
Asperge partem, fons, mihi
Suavis amaritiæ.
Hinc, precor, æternum Christi morientis amorem
Accensa gratis ignibus
Viscera concipiant.
Hoc age, Sancta Parens, & passi vulnera Nati
Infige cordis intimo
Haud medicanda sinu.
Ferre graves pro me dignati corpore plagas,
Acerba mecum Filii
Divide supplicia.
Fac veros tecum lacrymarum effundar in imbres,
Dum vita Cruciato fluet
Immoritura Deo.
Stare Crucem juxta tecum, Fortissima Mater,
Planctusque fido pectore
Consociare velim.
Ne mihi jam inclemens, niveæ Regina catervæ,
Ne sordidum à luctu reum,
Diva, repelle tuo.
Da Christi mortemque feram, semperque salubres
Plagas retractem conscio
Pectore rite memor.
Stigmata me fac sacra notent, & felle cruento
Inebrient piam sitim
Spumea præla Crucis.
Virgo Parens, Christi vivo inflammatus amore,
Umbone defendam tuo

Fulmina judicii.
Sit mihi Crux vallum, & trepidæ custodia sortis;
Christique viventem nece
Gratia blanda tegat.
Quando animam effeto discludet corpore fatum,
Stellantis altas regiæ
Pande, MARIA, fores.

DEIPARÆ

FILII RESURRECTIONEM

GRATULANTIUM ANGELORUM CARMEN,

Inter publicam D. Gregorii supplicationem exauditum.

Regina Cæli lætare &c.

ODE XIII.

QUÆ Cæli dominâ sceptra geris manu,
Princeps lætitiæ, Nazari, publicæ,
Felix virgineo splendida pectore
Iô, concipe gaudia.
Nam quem tu, volucres non tolerabili
Majestate Thronos deprimere arduum,
Gestasti meritis, & tibi non gravem,
Iô! visceribus Deum:
Hic lethi domitis viribus extulit
Se victor tumulo; postque moram brevem
(Dictis certa fides) se tibi reddidit,
Iô, funere pulchrior.
Per, quæ morte redux gaudia pertulit
Tristes post lacrymas; nunc, age, Filium
Exorans, miseris Diva Quiritibus
Iô, lætitiam refer.

Sic postquàm aërio succinuit choro
Supplex, & lacero pestiferum gregi
Propulsare vigil Gregorius malum
Iô, dira fugit lues.

MARIÆ PRÆSIDIUM,

Ecclesiasticis tabulis variisque templis
Dominæ à Victoria inscriptæ.

ODE XIV.

QUISQUIS Christiparæ semel
Felix rite dato nomine militat;
Illum nulla periculi
Exterret facies; non tacitis capit
Grassans insidiis dolus,
Non vis armisoni concutit impetus.
Fido stat MARIÆ sacer
Miles præsidio, nec violabilis.
Palmas sponte videt suâ, &
Silvam sub pedibus crescere lauream.
Victricis Dominæ memor
Notum Christiadis auxilium cano.
Scit Naupactus, ubi gravi
Depressa exitio barbara Thracia;
Defecitque priùs feris
Fluctus Ionios cornibus arjetans,
Tunc pallens gelido metu
Turcarumque rubens Luna cruoribus.
Neu gentes loquar exteras;
Quam non auspicio Virginis arduæ,
Cui florent sacra Lilia,
Palmarum segetem Gallia messuit?
Hinc & signa Lutetiæ
Ædem Virgineam bellica vestiunt,

Auguſtus Mariæ cliens
    Fractis quæ Lodoix abſtulit hoſtibus;
Victricique perennia
    Conſurgunt monumenta; & nova publici
Cultûs, templa, ſeges nitent
    Paſſim regificis edita molibus.
O quæ, Diva, tonantibus
    Nimbis caſtra movens, ignea ſiderum
Progreſſu rapis agmina,
    Centum accincta potens Aligerûm globis;
Cunctiſque una cohortibus
    Præſtas, fulmineâ terribilis manu!
Inſtar Numinis emicans,
    Natique arma ciens, prælia temperas;
Mortalemque ſuperbiam,
    Atque Orci furias conteris, & nigris
Vires fraudibus obſitas;
    Juſtis blanda faves, Diva, laboribus.
Te flagrantibus ambiunt
    Votis magnanimi cum populis Duces;
Defunctique periculis
    Acceptæ referunt præmia laureæ.
O, palmaria robora,
    Heroumque animos, vel pueris tuâ
Adſpirans Genitrix ope;
    Thracum barbaricam perge ferociam,
Quæ nunc plurima Sarmatis
    Incumbit, facili frangere dexterâ.
Pacem Chriſticolis refer;
    Aut conſueta piis dona clientibus
Lætas congere laureas:
    Præſertim domitâ quas Styge nobiles,
Et marceſcere neſcias,
    Pugnis ferre juvat, te duce, myſticis.
Hæc fortes animæ tibi,

Virgo, rite ſacrant munera Præſidi,
Nullo ſquallida ſanguine,
Puræ ſed radiis inclyta Gloriæ.

DE ICONIBUS PARTHENICIS, AD FERDINANDUM EPISC. PRINC. PADERBORN. COADJUT. MONASTER.

ODE XV.

PINGENDUM Apelli ſe Macedo licet
Permiſit uni; non, malè tinnulos
Idem Poëtas delicato
Reppulit ingenio ſuperbus.
Fœdo linentem ſplendida carmine
Facta, invidendo munere Chærilum
Regalibuſque auxit philippis,
Ridiculi pretioſus emptor.
MARIA nullos reſpuit inſcii
Tironis orſus, conſcia gloriæ,
Secura majeſtatis, omni
Sub ſpecie veneranda Virgo.
Muſæ clientis num pretium abnuet
Quamvis inepto dicere carmini?
Nec tu rudem faſtidioſis
Auribus accipies Camœnam.
Piè ſuperbum Parthenii decus
Diſce, ô piorum Magne Sodalium,
Scenamque per ſacram colenda
Indigetum ſimulacra cerne.
At quanta, præſens Numen, adeſt loco
Regina Mater! ſive Clientibus
Nectit coronas; ſive ſtratos

Fulminibus ſibi mactat hoſtes!
Jam virginali rorat ab ubere,
Et lacte pingi nobilius ſacro
Tabella geſtit : jam coruſca
Ætheriâ pluit aura flammâ.
Hinc candidarum præmia frontium
Liguſtra florent : hinc roſeo flagrans
Pudoris igni purpuraſcit
Perpetui ſeges alta veris.
Illinc tiaræ Pontificum micant;
Aulæ ſupellex, ſceptraque Regia,
Gemmiſque ſtellantes coronæ, &
Cæſarei jubar ardet oſtri.
Quod ſi Timantheo haud ſuus hîc nitor
Conſtat labori; ſepia diluit
Vivos colores, atque pinguem
Parthenii malè duxit umbram.
Non curioſis tu tamen orbibus,
Aut otioſo pectore, Partheni
Laudata percurres Sacella,
Virginei documenta cultûs;
Princeps, inani paſtus Imagine:
Qui jam MARIÆ non violabili
Pridem ſacramento obligatum
Rite cliens animum approbaſti.
Nec tu loquentes ſpreveris Iconas:
Et ipſe claro nempe Sodalium
Spectandus in cœtu, MARIAM
Viva refers animis imago.
Vanâ tabellas arte Philoſtratus
Effingat. at te Diva coloribus
Suiſque Virtutumque pinxit,
Splendidum opus, Mariâque dignũ.

TRIDUANA CHRISTOPHANIA
IN SOCIETATIS JESU TEMPLIS

Inter ipsos Bacchanalium dies solenni Supplicatione, Synaxique Parthenicorum Sodalium celebrata.

ODE XVI.

VINOSA Bacchi sacra, famosi dies,
Noctesque amicæ criminum!
Mollem rotantes ebriâ thyrsum manu,
Latus tegente nebride,
Dent colla ventis, & comante misceant
Crinem volantem pampino;
Venasque Iaccho turgidæ Evantes suo
Incesta jactent orgia.
Non hæc Sodales festa Marianos trahunt
Bacchea, seu Cotyttia.
Procul nefastæ pompa nequitiæ, procul
Vesana comessatio,
Atque omne turpis Cypridos choragium,
Et quidquid Ethnicum sapit.
Eat Lupercus, Romulam insano procax
Cursu per urbem gestiat.
Eant Latini, posthumum Troiæ genus,
Hausto coloni Libero.
Risu soluto gaudii autorem improbi
Malè-feriantes invocent:
Incompta ludant carmina, & vultum cavis
Corticibus horrendum induant.
Augusta Christi sacra divino pias
Ritu catervas advocant.
Plenis apertum conflue ad templum viis,

JESU vocante, civitas.
Cæleſtis illic menſa, cæleſtes dapes,
Et mentium cupedia.
Altare, menſa eſt; Numen, appoſtus cibus,
Cibus, fameſque Cælitum.
Non, Pharia quales aula ſubiecit Deos,
Aves, feraſque Cæſari;
Cum ſumptuoſos explicaret inclyto
Cleopatra luxus hoſpiti.
Hîc Altor ille rerum, adoratus polo
Terraque Panis myſticus,
Deus ecce proſtat, & ſuo clientium
Mentes ſaginat corpore.
Sanctâ paratam conflue ad menſam fame,
Chriſto jubente, civitas.
Accumbere epulis hîc licet Divûm; hîc piè
Eſſe helluonibus licet.
O delicatum ferculum! ô vivæ dapes!
O Numinis convivium!
Conviva, & eſca eſt Chriſtus: at tecto venit
Seſe miniſtrans ferculo;
Fucumque ſolers facere, mirantes ſacris
Senſus ineſcat fraudibus.
Divinus en quo Paſtor intuentium
Exercet oſtento fidem!
Frugiſque ſervat, fruge ſubtractâ, notas;
Vinoque dilapſo Deus
Vini caduca ſuſtinet veſtigia
Miriſque & arcanis modis.
Solaris auri regio diſco ſedet
Latenſque, & apparens cibus.
Mundique ab ortu cæſus, & mundũ abluens
Piaculari ſanguine,
Agnus tenella membra ſacrificis jubet
Incocta flammis exedi.

Pratis olympi Vitulus ambrosiis satur
Dulcem saginam suggerit,
Utcunque læto Prodigum Natum Pater
Gratabitur convivio.
Adstat Sacerdos, & volentem Victimam,
Summoque labentem æthere,
Simul efficaci vocis elicitur sono,
Nec astra linquentem immolat.
Idem ore Christum conficit puerpero,
Verbisque conceptis necat:
Et non-cruento sanguinem innocua manu
Ori refundens suscipit;
Qui nectare omni suavior meri latex
Scypho redundat gemmeo.
Dulci apparatu ritè felices calent
Mensæ, Dei Repotia.
Adeste, adeste, quotquot ætheriæ dapis
Fames, sitisque vellicat.
Huc Nuptialem convola ad Cœnam excita,
Agno vocante, civitas.
Aulæa sacri parietes triclinii,
Picti tapetes, vestiunt:
Auro supellex ridet, & sparsis micat
Fuscæ lapillis Indiæ.
Laqueari ab alto pensile argenti decus
Vivâ refulget lampade:
Hymettiæque cereus gentis labor
Prælucet ignes candidos.
Turis Sabæus fragrat incensi vapor,
Fumo sequaci nubilus.
Clauso tepentes igne, pretiosi halitu
Fallunt odorato foci.
Templum Sodales duplici versu petunt,
Matrem canentes Virginem:
Canamque purâ præferunt dextrâ facem;

Cor ora produnt flammeum.
MARIA Cœnæ Mater, & Convivii
Regina mensis admovet.
O qui piarum cunque deliciarum amans,
Profana Bacchanalia,
Mensas Baalis refugis; ac melle illitum
Primora fallaci labra,
Sedenim venenis intus obscœnis scatens
Babylonis horres poculum:
Accurre, Sophiæ mensâ quò pinguis vocat,
Vesco beandus Numine.
Siticulosas ibit in fauces piæ
Torrens voluptatis Deus.
O liquida cæli gaudia! ô Mannæ sapor,
Sed improbis absconditi!
Non ulla superis dapibus impletum semel
Lacesset esuritio.
Nec verò amaram, quisquis hanc mensam attigit
Conviva, gustabit necem.
Securus adsit, sæpè purpurei maris
Pudor sub æstu naufragus.
Pulchrâ Theandri vite diffusus liquor,
Vitale germen Virginum.
Madere tali nec probrum vino: placet
Sic temulenta mens Deo.
Non, madidus, evœ clamat, Evantem invocans
Inter furentes Mænadas:
Pleno ille Christi pectore exultat choros
Inter faventes Cælitum.
Hæc Christianis lautia, hi læti dies
Piis quadrant Sodalibus.

PANAGIA

ODE XVII.

PRO TUTELARIUM CÆLITUM APUD SODALES MENSTRUA SORTITIONE.

AUSPICES mensis redeunt Calendæ:
Jam sacræ ritu celebri Patronos
Divident sortes, & amica lectæ
Fata Cohorti.
Cœca non istic agitatur urna:
Temperat sortes Dominus, novoque
More ducuntur superis dicata
Nomina fastis.
Quanta Divorum series, clientis
Quò vocant Cœtûs pia vota, Cælo
Tendit, immensas repetens sequaci
Agmine laudes!
Regius sanctæ Fidicen camœnæ;
Sive Jordanis virides ad oras,
Voce torrentem liquidâ moratus
Fluminis undam;
Sive natalis per opima Bethles;
Muta quem stipans pecudum corona
Carminis longo satiatur haustu,
Immemor herbæ:
Seu Sionæi super alta montis;
Numen, ac magni famulos Tonantis
Cælites, mistâ digitorum & oris
Arte sonabat.
O mihi, allabens tenui vel aurâ,
Spiritus dulci faveat susurrô,
Sacra qui pleno rapidus ciebat
Nablia flatu!

AUGUSTISSIMA TRINITAS
IN MARIAM BENEFICENTISSIMA.
ODE XVIII.

SUMME Rex Divûm, tibi corde vota
Consoni & plectro canimus clientes,
Quem poli sanctæ celebrant perenni
Laude catervæ.
O capax Natura, Triformis, omnes
Una transcendens numeros! bonorum
Fons inexhausto tua regna cursu
Prodigus imples:
Luce Titanem vigilesque furvæ
Noctis accendens oculos; & auro
Montium venas, pelagique ditans
Viscera gemmis:
Mille pennatam sobolem colorum
Pingere ornatu bonus; & vagantes
Per soli deserta feras, & altis
Pascere silvis.
Imbre fecundo riguas in arva
Dividis nubes: pecudum virûmque,
Gramina & lætas segetes in amplos
Elicis usus.
Prima sed dulces animas tueri
Cura; Virtutumque satu feraces,
Et sacris auctas opibus beandi
Providus ardor.
Una divino tamen inter omnes
Floruit cultu; superæque gazæ
Copiâ felix, Domini supremo
Gaudet amore.
Non tot ardentem radiis Olympus

Extulit, nubis ſine fraude, Solem;
Tanta nec, puræ vaga ſigna noctis,
Aſtra coruſcant:
Quot, Pater, claras tua larga dotes
Dextra cougeſſit MARIÆ, pudici
Corporis ſolers placitæque formam
Fingere mentis.
Nulla donorum pretio metalla
Talium certent. Ophiræa gleba,
Candidæ, rubri maris illa ſordent
Sidera, baccæ.
Lecta Naturæ Charitumque dona,
Gloriæ immenſo cumulata acervo.
Nec parem Auguſtæ ſimilemve Matri
Suſpicit Orbis.
Sola nil traxit maculæ, omniumque
Una collegit ſuperatque dotes
Cælitum, Virgo, niveæque nomen
Sponſa Columbæ.
Unicè affulget, Caput ô bonorum,
Unicè regnat tuus hîc benignas
Exerens vires Amor, & ſtupendæ
Munera ſortis.
Tu gravem terræ potioris orbem,
Templa procudas potiora cæli,
Si ferat nullâ cohibenda rerum
Mole voluntas.
At tuam (quod fas ceciniſſe) Diva
Vim Dei exhauſit Genitrix: volenſque
Repperit, nato MARIÆ, Poteſtas
Numine metam.

VERBUM INCARNATUM, DEI MARIÆQUE FILIUS.

ODE XIX.

QUAM ſacro JESUS peperit cruore,
Publicæ cuſtos vigilat ſalutis;
Matris at dulces propiore curâ
Servat alumnos.
Tartaro illiſi Reparator Orbis,
Pacis ô princeps, domitorque lethi,
Ultor ac noxæ Deus expiator,
Paſtor & Agnus!
Sponte dejectus, famulique formâ
Geſſit humanos habitus, ſacrato
Rite componens ſocianſque nexu
Æthera limo.
Sordido innatus ſtabulo per umbram
Phoſphorus mundi Superûmque Rector
Ah, tulit crudo tenerum notari
Stigmate corpus.
Sed tamen viles radiare cunas
Juſſit, Eoos agitante Reges
Proditus ſtellâ: Stygiæque ceſſit
Noctis imago.
Mox ubi oblatus Solymas ad aras,
Impii movit rabiem Tyranni;
Barbarâ Ægypti fugitivus egit
Parvulus orâ.
Hinc redux vitæ numeros acerbæ
Ordine implevit, ſua fata, Chriſtus,
Et probris mixtos alacri ſubivit
Mente dolores.
Tum nece exhauſtâ ſuperas in auras

Redditus, probris decora alta duxit.
Poſt Crucem æternus ſolium capeſſit
Victor & aras.
Jam triumphali ſuper aſtra curru
Extulit pompam; patriaque demum
Sede conſedit, paribuſque mundum
Flectit habenis.
Procidant imi Superique Chriſto.
Cuncta ſubmiſit famulum gerenti;
Judicis munus Pater omne Nato
Juſque dicavit.
Nec minùs gentes miſeratus, orbem
Suſtinet; Patri ſimul & Patronus
Supplices offert, & adhuc recentes
Corpore plagas.
Gratiæ ſparſis nova corda donis,
Miſſili flammæ rutilantis Aurâ
Temperans, caris etiam reſiſtit
Incola terris.
Fruge ſublapſus fugiente, mentes
Lactat arcano reficitque paſtu,
Hoſtia æternis recidiva in aras
Prodiga ſacris.
Sic pii Chriſtum populi frequentant,
Et ſuis urgent memorem trophæis:
Sic recurrentes operata feſtis
Templa per annos.
His & optatum meritis favorem
Seduli poſcunt MARIÆ Sodales,
Ut cadit ſignata ſuis in orbem
Teſſera faſtis.
Quam tulit, juſtam colit ipſe legem,
Sancit exemplo; meritoſque Magnæ,
Subditus rerum Dominus, Parenti
Solvit honores,

Natus & Matris decus & poteſtas;
Inque dilectos MARIÆ clientes
Larga derivans opifer benignæ
Munera dextræ.

MARIA DEIPARA.

ODE XX.

CERNIS, ut Virgo, pede quo doloſi
Anguis obtrivit caput execratum,
Ac venenatæ maleſuada fregit
Sibila linguæ;
Nunc laborantis reſupina Lunæ
Cornua inſiſtit; rutiloque circum
Funditur corpus, velut alba nubes,
Solis amictu?
Cingit auguſtam ſine more frontem
Splendidum biſſex diadema gemmis,
Quæ ſacris vincant radiis coronæ
Sidera Creſſæ.
Fida jactatæ Cynoſura navi,
Turbido excitos Acheronte nimbos
Ore detergit, tumidiſque pacem
Imperat undis.

S. GABRIELI,

DIVINO AD MARIAM LEGATO.

ODE XXI.

HUc ades, Cæli decus, huc ſupremi
Regis Orator, thalamoque caſto
Rite jungendi Paranymphe Verbi,
Pacifer Ales.
Numinis robur, fragiles in artus
Indui miro ſociale nexu,

Nuncius præfers, operiſque molem
Nomine ſignas.
Tu Genî fraudem, bonus, anguiformis
Credulæ innexam reparas puellæ,
Virgini clarâ juvenis figurâ
Pronubus almæ.
Quære maternum potioris Evæ,
Fidus interpres, pueris amorem:
Quamque portaſti placidâ ſalutem
Voce, redona.

D. PATRIARCHÆ JOACHIMO SANCTISS. VIRGINIS PARENTI

ODE XXII.

TER mihi felix Joachime ſalve,
Sanguis ô Regum, Proaviſque major
Regibus! nam quis tibi certet, almâ
Prole beato?
Unicus diæ Genitor Parentis,
Et Deo lætaris Avus Nepote:
Spes Abramæas, & anhela ſancis
Vota piorum.
Solus optatam Patribus ſalutem
Exhibes, Cælique fidem recepto
Liberas dono, Soboliſque regnas
Jure per Orbem.

IN D. JOSEPHUM
VIRGINIS VIRGINEM SPONSUM
DIVINÆQUE OECONOMIÆ FIDELISSIMUM
Adminiſtrum.
ODE XXIII.

NUBE Joſephi decus evolutis
Crevit immensùm radiis ; & altum
Nomen , & munus , patrioſque Chriſtus
Clarat honores.
Sòſpitatoris profugus Puelli
Ille ſervator , Pharias in oras
Splendidum cœcâ rapuit ſub umbrâ
Pignus Olympi.
Sponſus intactæ niveus Puellæ ,
Fidus & Teſtis , pius & Miniſter :
Et ſequax Agnum ſacra pavit inter
Lilia Cuſtos.
Ipſe miratus ſua regna , leges
Numini horreſcens dedit ; & Magiſter
Architectum Orbis , venerans , fabrili
Imbuit arte.

M. JOANNES BAPTISTA
EX VIRGINIS ADVENTU PROPHETA.
ODE XXIV.

VASTA Jordanis ſola pervagatum
Quis ſatis Vatem celebrare vates
Poſſit , & claræ Prodromum flagrantem
Lampadis inſtar ?

Gratiæ afflatum Puer hausit, auras
Ante communes, MARIÆ potenti
Voce subsultans, agitansque miro
Gaudia motu.
Jamque vocali, generosus Infans,
Prodit ostento veneratus Agnum:
Spiritu & Vatis resonat Puelli
Concita Mater.
Ora dein muto reserat Parenti
Editus Præco: rigidoque, totus
Viva Vox, turbas habitu & gementes
Personat undas.

JOANNI APOST. EVANG.
DILECTO CHRISTI DISCIPULO,
VIRGINIS PRIMIGENÆ ADOPTIVO.
ODE XXV.

THABORIS vivam speculate lucem,
Golgothæ diras etiam per umbras
Ad Crucem perstas, calicisque partem
Ducis amari.
Dum fidem præstas; tibi cura Magnæ
Virginis, Christi placitô, tuique
Invicem Matri data: tu Magistri
Splendidus Heres.
Conscium arcanis comitem & ministrum,
Antè; nunc Fratrem supèr, invidendâ
Sorte adoptatum, probat inter omnes
Christus Amicum.
Transvolans nubes Aquila, & supremo
Lumini insigens oculum irretortum,
Unicè divina tonas corusco
Arduus ore.

Idem & Hyblæo teneros amores
Suavior ſucco, roſeaſque flammas,
Numiniſque hauſtos gremio refundis
Nectaris amnes.

STEPHANUS PROTOMARTYR,

PRÆSENTI REGINÆ MARTYRUM OPE ROBORATUS.

ODE XXVI.

HORRIDOS audis crepitare nimbos
Corpori ſancto ſilicum ingruentum?
Mille jam plagis caput, & cruenta
Membra dehiſcunt.
Sed graves ictus Pietas amicis
Aſſonans blandùm precibus rependit:
Saxa fulgentem pariunt, pyropis
Verſa, Coronam.
Quaſſat immani Stephanum fragore
Sæva dum grando, pugilis cruentos
Spectat ac voto juvat efficaci
Diva labores.
Supplicem impreſſus genibus MARIAM Ex monum. Teriæ S.
Senſit, inflexoque lapis rigore,
Quam notam pronus veneretur hoſpes,
Duxit in ævum.

S. AUREL. AUGUSTINUS

VIRG. DEIPARÆ VENERATOR EXIMIUS.

ODE XXVII.

AFRICA pulchrum pariente monſtrum
Ingenî, portenta cadunt Averno
Proruta Errorum: tenebras coruſcus
Diſpulit ardor.
Lubricus fruſtra Pelagî bilinguis

Nexat in nodos ſua membra ſerpens :
Preſſus Aurelî manibus , venenum
Efflat inane.
Dum ciet magnus ſacra bella Præſul ,
Hæreſum adſpirat domitrix MARIA,
Lucis & docto radios clienti
Addit & ignes.
Culpæ inacceſſam Domini Parentem
Eximit turbæ ; Dominoque partæ
Publicam adnixâ pietate Matrem
Gentis adorat.
Corda ſuſpenſus , mediuſque Natum
Inter & Matrem dubitat, recluſos
Vulnerum fontes petat , an vocantis
Ubera lactis.

SS. DOMINICUS ET FRANCISCUS,

IRATO CHRISTO A B. VIRGINE INTERPOSITI.

ODE XXVIII.

MYSTICO floret MARIÆ roſeto
Guſmani Proles ; animoſa ſancto
Utilem marti Pietas profanos
Egit in hoſtes.
Quem Cruci confixit Amor , cruenta
Stigmata exornant ; & amica Egeſtas
Caſta præcinctum dedit ire torto
Ilia fune.
Igneis terras jaculis petenti
Hos Deo , ſpondens meliora , Mater
Siſtit ; hi ſubdunt Lateranæ Atlantes
Colla ruinæ.

D. ANNA DEIPARÆ GENITRIX.
ODE XXIX.

ANNA, divinæ Genitrix MARIÆ!
Elcanæ Conjux tibi, priſca longè
Anna decedit, Solymique Cœlebs
Incola templi.
Prole tu mirâ ſterilem ſenectam
Solvis, & mundi ſenium caduci:
Alma concepto ſine labe fetu
Gratia regnat.

JUSTINA VIRGO MARTYR,
INVOCATA DEIPARA DÆMONUM VICTRIX.

Ex Gregor. Nazianz.

ODE XXX.

UT Palæſtinâ malus hoſpes aulâ
Regnat, oppreſſum furians Saülem;
Blanda Jeſſæus Fidicen movendo
Arma triumphat.
Ilicet victus citharâ refugit
Orcus; & fracto data pax tumultu.
Sic & immiſſum magicas per artes
Expulit hoſtem,
Voce dum ſupplex gemituque pulſat
Virginem Virgo Dominam, ſuorum
Caſtra Jeſſidûm retuliſſe viſam
Ære canora. Cant. 7.
Inde funeſtas Cyprianus artes
Damnat; & Chriſtum venerans, decorâ
Morte, Juſtinæ ſociat MARIA
Auſpice palmam.


AD CÆLITUM ORDINES UNIVERSOS

In Sodalitii Mariani gratiam.

ODE XXXI.

Jamdiu summas, capita ipsa Divûm
Laude perstringens, volito per arces:
Nunc mihi totum citharâ movendum
Supplice Cælum.
Igneæ Mentes, volucres catervæ,
Queis Patris semper faciem tueri,
Exequi nutus, celebrare laudes
Una voluptas:
Prima qui Patres tenuere secla,
Principes sancti populorum, & amplas
Moribus finxere domos, & æquis
Legibus urbes:
Sacra qui Vates cecinere fata:
Quique, Præcones melioris ævi,
Cuncta terrarum peragrare Missi
Auspice Jesu:
Queis novæ Legis tabulas, & almi
Fœderis debet monimenta tellus;
Quotque mortalem studiosa Christum
Corda secuti:
Quæ rudis vitæ scelerisque Turma
Bethleo intentos Puero furores
Lacteo excepit jugulo, nefandi
Tela Tyranni:
Quotque cælestem rapuere palmam
Purpurâ imbuti Pugiles cruentâ:
Quotquot & sanxere piis professa
Dogmata factis:
Præsules, & qui docili Magistros

Plebe gesserunt : meritoque cultu
Quisquis augustas operatus olim
Flamen ad aras :
Quisquis & mundo profugus, vel intra
Claustra, vel duræ latebras Eremi,
Adstitit, jamtum prope civis, alti
Limen Olympi :
Fortis & mollem superare sexum
Virginum candens Chorus ; & pudoris
Laude præstantes Viduæ, Deoque
Jam bene nuptæ.
Gaudii nunquam fugientis heres,
Numen abducto speculata velo,
Numini viso similis, Beata
Turba faveto.
Supplices terræ dominator Agnus
Audiat vestrâ prece motus, Æthræ
Civitas omnis, cupidosque donet
Pace clientes.
Et preci pondus grave Mater addet
Numinis, per quam reparata labes
Prima terrarum, reparata Cæli
Pristina clades ;
Cùm Draco summas Aquilonis arces
Turbidus captans, rapidâque caudâ
Traxit involvens, Stygiisque mersit
Astra tenebris.
Principi quas ô Superi MARIÆ
Debitas grates canitis, neque ullâ
Arduis æquas meritis agendi
Laude facultas ;
Vertite ad caros Dominæ Sodales ;
Et laborantes animas, malisque
Vindice assertas ope, mox amico
Jungite cœtu.



LYRICON LIBER VI.

MISCELLANEUS.

PERSONATA RELIGIO,

SEU REFORMATA, UT VOCANT, ECCLESIA,

Ejus Antesignanos honesta specie fefellisse.

ODE I.



QUALIS Sicaniæ tremor
 Ridentem faciem, pictaque floribus
Vernis explicuit juga;
 Cœcis interea visceribus graves
Iras & rabiem coquit
 Lentis dissimulans Ætna vaporibus,
Dum candentia nubila
 Totis in Superos faucibus evomat,

Ac torrentibus igneis
    Dilectam Cereri proluat insulam.
Tali se specie tulit,
    Quæ, fuco teneræ compta modestiæ,
Labes Relligio novas
    Priscis induerat vafra coloribus.
Fraudem Simplicitas tegit,
    Immanemque humilis forma superbiam.
Error toxica subjicit,
    Chartarum aureolis sparsa leporibus.
Vultu scenica non suo,
    Et fronte insidias compositâ gerens,
Incauto insidias gregi;
    Dum spirat Charites, dum Superos sonat,
Imo corde nefas struit;
    Blando sævitiem nomine concipit.
Sensim Tartaream luem,
    Francis exitium parturit; ac brevî
Contractis opibus ferox,
    Insano populos turbine miscuit.

ODE II.

Ex Horat. l. 1. Od. XII. *expressa.*

QUO piâ versam trahis arte laudem
Barbite; Heroas veteres, Deûmque
Fabulas temnens, superæ canora
    Vocis imago?
Sive frondosa Libani sub umbra,
Aut in Horebo, rutilove Sina:
Fata pandentem nova quò secutæ
    Mosea turbæ;
Entheâ Virgâ refugos agentem
Hinc & hinc fluctus, vitreosque montes;
Rupium & venis faciles cientem

Verbere lymphas.
Unde fas musæ priùs auspicari?
Carminis princeps, Caput ille rerum,
Voce molitus patriisque flectens
Legibus orbem.
Haud minus summo Genitore Verbum;
Par & ambobus sacer ardet Ignis.
Proximos adstans tibi, Christe, cepit
Mater honores.
Aliger nec te sileam, Rebelles
Fulminans armis, fera monstra cæli;
Flammeis nec vos, Sociûm tremenda
Agmina telis.
Dicam & augusti Proceres Senatûs,
Ensis hunc, illum crucis expetitâ
Sorte palmarem, geminum Quirinâ
Sidus in arce:
Cujus allisu furor omnis Orci
Frangitur, pulsæque Pharo tenebræ,
Ac procellosi cecidere Divûm
Numine fluctus.
Abrahæ vernans senium, an, paterni
Victimam altaris, Juvenem; an Rebeccæ
Splendidam fraudem loquar, & Jacobi
Nobile furtum?
Prodigum vitæ Machabæum, & armis
Inclytos Fratres, animasque magnas
Patriæ sacras referam, ac Syrorum
Clade superbas.
Quondam & intonsis validum capillis
Samsonem letho dedit, & trophæo
Cara libertas tumulat, peractæ
Stragis acervo.
Crescit, Eous velut axe fulgor,
Fama Josephi. Mariæ sed omni

Prænitet cælo jubar : ipſa plantis
Luna miniſtrat.
Stirpis humanæ Sator ac Redemptor,
Virginis proles; tibi cura Sponſæ
Virginis, quæ tot peregrina cives
Gignit Olympo.
Illa ſeu Turcas Melitæ ingruentes
Suſtinet ſacro generoſa bello;
Sive ad Auroram Japonum cruenta
Regna laceſſit;
Te duce æternas ferat alma lauros.
Tu frementem irâ cohibes Avernum;
Tu diu cœcas recreas amico
Lumine gentes.

MARIA SOROR MOYSIS, EXPOSITUM IN CARECTO FRATREM Obſervans.

ODE III.

HEU qui te caſus labentem fluminis alveo
Excipiet, fragili,
Germane, cymbæ creditum?
Parva ratis, cui mœſta ſuos commiſit amores
Mater, & Iſacii
Florem decuſque ſanguinis;
Molli depoſitum gremio ſervare memento; &,
Sicubi Niliaco
Mitis vagatur littore,
Nutrici, precor, aut blandum quæ pignus adoptet
Prolis amans, ſterili
Matris feras vicariæ.
O ſcelerum gurges! ô inexſaturabile monſtrum!
Cædibus Abramidûm,

Væ, purpurate carnifex!
Insontes pueros, ut primùm lumina vitæ
Attigerint, rabidi
Tristes furoris hostias,
Exitio rapere, atque altum demergere in amnem
Sollicito miseræ
Parentis avulsos sinu!
Quo tanto immanes potuisti crimine pœnas
Commeruisse, Puer?
An crimen, Hebræum genus?
Care Puer, Matris dulce & lacrymabile furtum,
Quid latuisse juvat,
Hic si manebat exitus?
Heu, quâ te tua, parve, Soror queat arte tueri?
Quid dolor, & lacrymæ
Mixtis valent suspiriis?
Ah, vortex ne te rapidus voret, aut mala dentis
Tabe soporiferi
Aspis tenellum vulneret:
Mempheos aut Numen Crocodilus gutture vasto
Ad sua lacteolam
Carecta prædam exorbeat!
Parcite crudeles pisceſque feræque Puello;
Parcite arundineæ
Fluctus tumentes cymbulæ.
Tu sortes hominum varias qui numine flectis,
Omnipotens Genitor,
Periculosas dirige
Ipse manu cunas, felicemque annue cursum,
Una salus Pueri,
Spes una Germanæ, Pater.
En, blandis ut opem poscit vagitibus infans,
Mitia supplicibus
Quærens ocellis sidera!
Ah, saltem ante oculos spectantis & ora Sororis,

Ne meliorem animæ
    Fluenta, ne partem obruant;
Neu Matri jam lethiferi ſim nuncia luctûs.
    Sed Pharaonis adeſt
        Superba proles, quò vada
Fluminis invitant, & amicæ balnea lymphæ;
    Gramineamque legit
        Oram puellaris manus.
Supprime nunc gemitus, frontem compone, Maria.
    Prodidit ecce meam
        Fiſcella curam ſcirpea.
Quid, Patris infandi ſi Barbara juſſa faceſſat?
    Sed meliora piis.
        Materna tangat pectora
Aureolus nigris expoſtus fluctibus infans.
    Verte age corda Deus.
        Damnet Tyrannum Filia!

RUSTICATIO MUSARUM
AD VILLAM BADIFIAM.
ODE IV.

NYMPHA Carenta vocat, Permeſſo purior amni,
    Sinuſque pandit cœrulos.
Badifus, Clariis Flamen gratiſſimus aris,
    Invitat hoſpes ſplendidus:
Atque aliud veteris prærupto vertice Pindi
    Amœnius præbet jugum.
Ite alacres, ſolidumq; diem ſubducite curis.
    Nec ruſticari dedecet.
Seceſſus, nemoriſq; placent umbroſa Poëtis:
    Urbes Camœnis obſtrepunt.
Santonicâ ſed jam Muſæ ſcandere biremim,
    Napæa quam duplex agit:
Subter & antiqui labuntur fornice pontis,

Magno ſuperbi nomine.
Romani auguſtum tituli decus ardua ſaxa
Inſcripta ſervant Cæſari.
Hinc prata immenſo funduntur gemmea tractu;
Molleſque riparum tori.
Viva loci pictura nitet, lux plurima florum,
Arti nihil debentium.
At dextræ inſurgunt oræ, tremuliſque renident
Colles opaci frondibus.
Læto alios dives prætexit palmite Bacchus,
Largoque inundat nectare.
Frigida ſe attollit rupes, Heliconidis inſtar,
Quâ multa conſidet Dryas;
Vernanteſque agitatâ comas criſpantibus auris,
Oreadum admiſto grege,
Præterlabentes geſtit ſpectare Camœnas,
Et fronte demiſsâ colit.
Illæ per vitreos ſerpenti Naiade flexus
Iter, ſedendo, lubricum
Decurrunt; varioque hilares ſermone, nitentis
Augent voluptatem viæ.
Corbiacum præter vectis, xyſtumque, nemuſque,
Clauſoſque piſcium lacus,
Ardua Buſſaci proſpectum caſtra laceſſunt;
Metamque jam linter premit.
Exſcendit Phœbea cohors, cymbâq; relictâ
Clivoſa ſaxa tranſilit.
Mox via, quæ patulis ſeſe explicat obſita fagis,
Verno tapete ſternitr.
Ventum eſt ad *Plani*; Dominus quo nomine ſignat,
Serena *Montis* culmina.
Atria formoſæ ſubeunt ridentia villæ,
Cultoſque Badiſi lares.
Subjectæ facies urbis, turritaque caſtra
Colleſque cum ſilvis patent;

Flumina

Flumina cum pratis, flavi cum meſſibus agri,
Sparſæque, ceu nidi, caſæ.
Itur in apricum ſpatiis ingentibus hortum,
Quem ſpiſſiora frondibus
Poma coronarunt, & amœno pondere fructus
Ramos gementes deprimunt.
Hîc Pæſti cernuntur opes, hîc Delphica laurus;
Vivaxque Ocelli purpura.
Circumfuſa horto Lenæi regna Falernis
Certare clivis audeant.
Singula oberrantes meditato carmine creber
Salutat oſcen advenas.
Præcipuè, teneris adoleſcens frondibus, æquo
Intratur ut nemus pede.
Creſce nemus, curâ Domini cultuque beatum,
Felice conſitum manu;
Ne quis ſit lucus, Grynæo cedere juſſo,
Quo plus Apollo gaudeat.
Pelle graves Badiſo æſtus, urbiſque laborem
Blandis relaxa feriis.
At vos hinc illi, Muſæ, decerpite ramum,
Albiſque vittis nectite.

V. C. SAMSONI BADIFO,

CUM ODEN SUPERIOREM in Eruditorum corona recitaſſet, feſtivoque officii genere Autorem celebraſſet abſentem.

ODE V.

RURIS lepores ingenuos amant,
Badiſe, Muſæ. mœnibus urbium,
Ceu carcerum, longè relictis
In vacuo ſpatiantur agro.

Fucique fraudisque & scelerum fugax
Chorus beato regnat in otio,
Vestigia Astrææ suprema
Hîc relegens, niveosque mores.
Musas secuti, delicias petunt
Ruris, Poëtæ : nec sua gaudia
Tacent, & Orpheâ lacessunt
Assiduè volucres camœnâ.
Sic ille Mantûs fatidicæ Nepos,
Quo suaviorem Mincius abnegat
Tulisse Cycnum, dum silentes
Carminibus remoratur undas.
Sic blandæ Alumnus Parthenopes minor
(Alto Maronem Statius impetu,
Sed longe, adoratum, secutus)
Sic propriam resonare laudem
Silvas docebat. Ruris honoribus
Felix, amici nunc juga Tiburis,
Nunc ille Surrentina cantat
Littora, marmoreasque villas.
Et me vocatu Santonici tuo
Vidêre colles (ô patriæ decus,
Badife) Phœbeæque turmæ
Villa capax, solidique Pindi.
At non cruentam Synnada, non Thason,
Afras columnas, saxa Carystia
Demirer, aut tignos Hymetti,
Aut Libani spolia ampla cedros.
Me nec superbis addita postibus,
Et sumptuosum porticus atrium
Amplexa, cristatæque turres,
Nec volitans cameris voluptas;
Non Inda testudo, aut Ephyreïi
Lux tangat æris, cui pretium hostico
Ab igne crevit; non metallo

Dalmatico ſaturum lacunar.
Ruris modeſti me ſpecies juvat:
Natura puris culta laboribus
Arridet. hortus, ſilva, tectum
Munditias faciles amanto.
Badiſe, talem non ſine mutuis
Villam dediſti cernere gaudiis;
Talemque juſſi ruſticantes
Ad citharam celebrare Muſas.
Ut magnæ amœnam mentis imaginem
Libens retracto, Pictonicâ licet
Semotus orâ! parte ab omni
Villa tuos imitata mores.
Sic mens apertum ſurgit in æthera;
Majorque terris, atque humili procul
Sepoſta vulgo; ſic perenni
Flore nitet, decorumque ſilvâ.
Sic hoſpitali pectore Cynthium
Numen receptas, Aonium & chorum;
Sanctoque Virtutes receſſu
Rite colis, ſocias & Artes.
Solenne Muſis hoſpitium apparas,
Ubi ſerenum Phœbus agit diem
Æſtivus, ac longi ſequeſtra
Otia concilias laboris.
Quo more nuper cùm lepidum Chorus
Monplanum iniſſet; noſtri etiam memor
Narraris, abſentemque amicis
Officiis coluiſſe Vatem.
Dudum elegantis, munere debito,
Impenſa Villæ carmina laudibus
Non laude vulgari ferebas
In mediâ relegens coronâ.
Et ipſe noſtræ volvere paginas
Frequens Camœnæ, mente etiam geris

Fixas tenaci, nec ſonantes
Digna tuæ monimenta laudis;
Sed grata cælo te chelys efferet,
Villamque, mollis cui juga Tuſculi
Xerxiſque ſummittam togati
Deliciis operoſa regna.

GRATIA:

ODE VI.

Cùm Autor poſt Theologicas de Gratia diſputationes exhibita ſibi officia gratularetur ANTONIO VERNELIO S. J.

CONSERTA Nymphis jam Cythereïas
Geſtit choreas plaudere Gratia,
Molleſque Bacchantum procaci
Lætitias agitare cantu.
Heu ficta priſcis Gratia Vatibus,
Larvam profani detrahe gaudii.
Ah, ſplendidè nugax, inerti
Parce lyram violaſſe ludo.
Intacta vanæ Gratia fabulæ,
Poſt eruditi claſſica prælii,
Carmen repoſcit, blandioris
Artis opus, facilemque laurum.
Tantam nec ullis nixibus edidit
Natura prolem, nec ſociam innocens
Exegit; at Chriſti faventis,
Ægra, pio medicam cruore
Accepit, ipsâ clade beatior.
Ubi, malorum luxurians ſeges,
Jam culpa regnavit; bonorum
Gratia ovans cumulo redundat;
Illam ſuperno progenitam ſatu,

Séque ipſe cordi Spiritus intimo
Infundit, & donis ſacratam
Mentem animat, ſimilemque Divis.
Caris inhæret ſedibus, & ſuam
Exornat aulam, juſtitiæ parens;
Vires & acquirit manendo,
Promeritis opulenta creſcit;
Ni fors Averno extrudat amicior
Hoſpes latroni. Tartareæ ilicet
Peſtis ſub ingreſſum, nefando
Templa fugit temerata monſtro.
Quanquam hoſtici vim ſacrilegam mali
Certant amicis frangere viribus,
Terniſque Reginam actuoſæ
Auxiliis Charites tuentur.
Hæc, dormientem ſegnius, excitat
Mortalem, iniquo providus ac vigil
Occurrat hoſti; corda fido
Sollicitat male-cauta pulſu.
Hæc fœderatis partibus efficax
Juvat laborem, militiæ comes:
Hæc & ſequetur: Gratiæque
Intus agit ſociale Numen.
Ah, ſæpe complexu arctiùs improbo,
Ingrata, Mens ſomnum excita colligit;
Pacemque turbatam obſtrepenti
Exprobrat, invidiamque Cælo.
Vibrantem ab alto nec radium ferens,
Extinguit, umbræ incumbere pervicax;
Et dura tractanti reſiſtit,
Theſſalicas imitata rupes.
Fruſtra ſalubri Numinis halitu
Afflata, non hac, ſed popularibus
Movetur auris, & quæ ab imo
Infremuere Erebo procellæ.

Juſtifica Gratia.

Actuoſa Gratia, triplex.

Eheu, rebellem ſubde proterviam
Dulci Voluntas aſpera Gratiæ;
Crebroque prenſantes amoris
Officio reverere Divas.
Fatale nomen, bruta Neceſſitas
Haud ulla menti vincula liberæ
Intendit; aut flecti negantem
Imperio premit arctiori.
Orci catenas Gratia & horridos
Nexus reſolvit: ducit ad æthera,
Tollitque victricem decoro
Conſocians animam triumpho.
Reſponſat almæ Gloria Gratiæ;
Virtutem opimâ clarat adoreâ.
Jam vis Olympum, jam capeſſit
Pacta labor generoſus aſtra.
Proh quanta paſſi vulnera Martyres,
Ne vinclum Amoris nobile Gratia,
Semenque divini Parentis
Excideret, pretiumque regni!
Hoc nempe conſtant omnia pignore;
Stirpiſque ſupremum ætheriæ decus,
Et illa congeſtas avari
Orbis opes, adamantas, aurum;
Ceu vilem arenam, gaza ſupervolans;
Structam hoſpitali Gratia pectore
Quam ſervat Heroum, & remenſo
Gloria ſuſcipiens acervo.
Ut me recenti aſſerta periculo,
Inque erudito Gratia pulvere
Defenſa defendit clientem
Ipſa ſuum, pugilemque texit;
Gratia *gratis data*. O ſi Poëtam nunc agat artifex,
VERNELI, amico munere Gratia!
Et uſque debendas & uſque
Reddere amans canat ipſa grates.

EX MONODIA DAVIDICA

IN SAÜLEM ET JONATHAN,
AD GEMINOS APOSTOLORUM PRINCIPES
TRANSLATA,

ODE VII.

QUos amor vitâ ſtabilis revinxit
Principes terræ geminos, nec ipſa
Fata ſejungunt, varioque compar
Gloria letho.
Igneis Virtus animis leonum
Fortior duxit Stygiam in catervam;
Ocyor pennis aquilarum, in orbem
Impetus egit.
Lucidas, ictu metuente falli,
Ore torquebant pariter ſagittas;
Corda figebant penitus ſalubri
Vulnere victa.
Heu, quid indignâ cecidere pœnâ,
Caſta converſo dare jura ſeclo
Nobiles Myſtæ, gemina illa ſancti
Fulmina belli?
Regios ſacrorum apices, magiſter
Quos Deus fragrante oleo perunxit,
Heu, probro admixti lacerant cruentâ
Morte dolores.
Hoc quoque immani licuit Tyranno!
Impius poſtquam Nero cæde Matrem
Suſtulit, mundi perimit Parentes
Publicus hoſtis.
Sed, Quirinali potioris oſtro,
Lux pii Romam decorat cruoris;

Lib. II. Reg. c. I
In morte quoque non ſunt diviſi.

Aquilis velociores, leonibus fortiores.

Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorſum &c.

Quomodo ceciderunt robuſti & perierunt arma bellica?

Saul, quaſi non eſſet unctus oleo.

Quomodo ceciderunt fortes in prælio?

Clypeus fortium. Et sacram Virtus clypeo coronans
Protegit urbem.

Proxima in Palinodiam versa. *Montes (Gelboe, nec) ros (nec) pluviæ veniant super vos (neque) sint agri primitiarum.*

Vos piat, Septem, cruor iste, Montes;
Rore fecundo beat. inde pingui
Efferant agro generosa pulchram
Semina messem!

ADAMANTINUS ANNULUS
A CELSISSIMO S. R. I. PRINCIPE FERDINANDO FURSTENBERGIO,
EPISC. PADERBOR. COADJUT. MONASTER.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM
LUDOVICUM VERJUSIUM,
Apud varios Electores aliosque Germaniæ Principes Christianissimi Regis Administrum &c.

Sub ejus in Patriam reditum
DONO MISSUS
Cum elegantissimo & officiosissimo Epigrammate.

ODE VIII.

CUI laudes adamantinis
Incisas tabulis debeat unicè
Quæsitus meritis Favor,
Magni clara docent munera Principis.
Gaude Teutonicis redux,
VERJUSI, Patriæ gloria, finibus.
Quanquam publica gentium
Longis prosequitur gratia plausibus;
Et te splendida pignora
Regnantum, egregiis digna laboribus,
Insigni decorant notâ;
Pulchro nil Paderæ munere dulcius.

Quæ non Aula tuo gravem
Frangens invidiam nomine perſonat?
Vix florente puertiâ
Defunctum ſtupuit cultaque Tuſcia,
Romanique Lepos chori,
Et ſeptemgemino Calliope jugo.
Jamtum nobilis ingenî
Europe tenerum ſuſpiciens jubar,
Quâ mox turbida ſeculi
Inter luce micas nubila, ſenſerat;
Quantâ providus & ſagax
Regum impoſta geris mole negotia.
Teſtis, Luſiadûm caput,
Jactat quæ veteris nomen Ulyſſeï,
Aurato tumidum alveo
Urbs frænare Tagum, divitis & potens
Gangis barbara flumina,
Indi gemmiferos Oceani ſinus.
Teſtis, cœruleum premit
Densâ quæ Tameſin claſſe Britannia;
Tum qui nubiferis plagas
Latè ſuppoſitas temperat Alpibus,
Electroque fluentibus
Undis Eridani jura dat Allobrox.
Quid tu, vortice jamdiu
Spumans belligero Rhene ferocior?
Illuſtrem celebra Virum,
Dum ſtabunt Ubiæ tecta Coloniæ:
Et quàm vaſta frementibus
Terris, in varios cædua Principes,
Te, Germania, porrigis;
Obſtantem celebra cladibus Imperî.
Pacis Veſtphalicæ ſacris,
Nexum ſtringere amans non violabilẽ,
Vinclis inſtitit; & novi

Egit sollicitus fœderis artifex.
Seu coram alloquiis agit ;
Seu scripto, indecoris texta calumniæ,
Vanos dissuit & dolos ;
Causas actor ovat vincere Regias.
Illibata Viro Fides ;
Doctarumque vigens laudibus Artium,
Lucis conscia Mens suæ,
Ignavis fugiens artibus infici.
Quàm dexter populos juvat,
Invitosque ferè servat ; & intimis
Illabens animis regit
Discordes Proceres, blandus & efficax!
Nec, si quos furor abstulit
Cœco præcipites hosticus impetu,
Fatalis species mali,
Curas exuperans ; hic studiis tamen
Solers lusit inanibus,
Arcanoque trahens consilio moras.
Felix, emeritum probat
MAGNUS quem LODOIX, censor idoneus,
Grataturque laboribus !
FERNANDI niveo tu quoque calculo
Felix, ac gemino inclytus
FURSTENBERGIADÆ munere Principis ;
Quo non æquior arbiter
Leges imperii condere & ingenî !
Septemplex Adamas venit,
Æternæ memorem quam fidei notam,
Pignus mittit amabile,
Detractumq; sacrâ Præsulis annulum,
Et cordis specimen, manu.
Ferro, flammâ Adamas insuperabilis,
Junctis fœdere mutuo
Constantes animos signat amoribus.

O quantum dominâ lapis
Deduxit pretium ſidereus manu!
Donum quin etiam additis
Ornat carminibus, jam pretioſius:
Quod laudes adamantinis
Inciſas tabulis exuperet decus.

EXCELLENTISSIMO VIRO D. FRANCISCO DE MELLO, MARCHIONI DE SANDE, LUSITANIÆ IN GALLIAM EXTRAORDINARIO LEGATO.

ODE IX.

TITANA, longas ætherii vias
Permenſum Olympi, jam Tagus aureo
Feſſum receptabat cubili,
Cœlituum ſpecioſus hoſpes:
Cùm tu, remotas munere publico
Luſtraſſe gentes clarus, & arduæ
Sparſiſſe vivos mentis ignes
Borboniâ celebratus Aulâ;
O lux, & ingens Luſiadûm decus;
Labore verſem num ſolito ſtylum,
Melloë, quæris; quod Camœna
Cudat opus ſtimulante Phœbo?
Squallent inerti barbita pulvere;
Stant otioſo plectra ſilentio:
Seu livor Arti, ſeu gravatæ
Corpus obeſt animæ caducum.
Si notus intret corda ciens calor;
Si mente plenâ concipiam Deum:
Squallore jam abſterſo niteſcat
Laurigero chelys icta plectro.
Oborta cantûs magnifici ſeges,

Ultro micantem, sollicitet lyram;
Congressu ab hesterno flagrantem
Obvia laus animum lacessat.
Hinc Martialis fulget adorea;
Interque ahenis fulmina molibus
Contorta, fumosasque nubes,
Ardet Honos radiante curru.
Illinc togatis, nec minor, artibus
Vis splendet alti lyncea consilî;
Domique & externis in oris
Artifici metuenda Ibero.
Hinc &, Batavô difficiles fretô,
Acris procellæ viribus ingenî
Cessere; jactatæ per Orbem
Bisgeminum siluere lites.
Illinc jugali sorte Britanniam
Prudens & arcto fœdere patriæ
Innectis; Anglorumque vires
Hesperiis sociantur armis.
At magna quantum Gallia suspicit!
Stirpis Sabaudæ flos tibi creditus,
Gentisque non unius ingens
Gloria, deliciæque regni.
Imbellis ecquid te citharæ sonus
Juvet, curules quem bene machinæ
Lateque Præfectum tonantem
Per medias sonuere pugnas,
Tuo decorum sanguine, & hostico;
Ibericarum plurima Turrium
Ruina, & horrendo fragosi
Excidio cecinere casus?
Aut quem per urbes mitior extulit
Præconiorum vox popularium;
Terrâque certatim marique
Assidui retulere plausus.

Ah, morbus actis grandibus invidet!
Et contumaci decubuit malo,
Dux marte Legatusque pacis
Fœderibus memorandus Orbi.
Nunc tandem amicâ detumuit prece
Votisque victus supplicibus furor:
Morboque jam fracto, profundi
Molle Thetis dabit æqua marmor.
Muros Vlyssei, sic avibus bonis,
Ventis revisas rite faventibus,
Francisce! & augustum superbo
Depositum thalamo reponas.

MORTIS PROCREATIO.

ODE X.

QUAS Divûm timuit minas,
Visu qui cupido poma nocentia
Hausit credulus ambitus,
Divinæque fames cœca scientiæ?
Viles illecebras manu
Invadens avidâ, nec colubri dolos
Monstrique insidias cavens,
Morsu corripuit perdita fœmina;
Perdendique (nefas!) virum,
Cunctam & progeniẽ, blandior artifex.
Vix fetum exitialibus
Ausis, heu, vetitæ contigit arboris
Infelix nimiùm helluo,
Humani generisque & sceleris pater;
Diro, nec mora, semine
Fatalis soboles, illa suis priùs
Intentata parentibus,
Mors, pœna exoritur publica gentium.
En, ut par Superis homo,

Promiſſique potens anguinei, malum
Funeſto, ah meliùs rudis,
Uſu jam didicit; nudus, egens, probro
Oppreſſus, trepidus metu,
Et Cæli fugiens conſcia lumina!
Demens, qui latebris tegi,
Æternique oculos fallere Judicis
Sperarit, foliis opem
Captans, peſtiferâ non violabilis
Pomi raptor ab arbore.
Serus turbat agens præcipitem pudor.
Læſum inſtare Deum ratus,
Auræ ſub ſtrepitum, ceu tonitru, intremit.
I nunc, i temerarius
Contemptor Superûm, vanus & æmulus.
Pelles, ipſe ſibi gravis,
Brutas veſte novâ jam rubor induat:
Jam lethi ſpoliis ſuam
Sortem præcipiat terrigenæ pavor.
Primis caſſus honoribus,
Dejecto ad pecudem ſordet homo ſtatu.
Cælum ſtultitiâ petens,
Difflatur tenui pulvis anhelitu.

VANITATIS HUMANÆ SPECTACULUM, ISABELLÆ AUG. CADAVER.

ODE XI.

ACTÆAM, ſtudiis gens vaga, Porticum
Longâ quid petitis, nec facili viâ;
Argutumque nemus, Socraticæ domum
Et regnum Sapientiæ?
Vitam Mors tacito fingere certior
Et mores habitu (diſce, hominum genus),
Rerum vana docens ſpernere nobili

Laudatâque superbiâ.
Novit magnanimo conſcia Borgiæ,
Et miratur adhuc Illiberis Ducem,
Auguſtæ pheretro protinus aulicas
Doctum abrumpere compedes.
Ille ut Cæſareæ funera Conjugis
Longo per populos duxerat agmine
Majorum ad tumulos, ardua Bæticæ
Quà ſe Regia ſuſtulit;
Juratam repetit mos patrius fidem.
Mauſolæa ſuus ſervat honos ſacra;
Sollennique probat relligio loci
Ritu ſplendida pignora.
Pompæ vix patuit lugubre ferculum;
Tetri cùm facies horrida corporis
Senſus attonitos vulnerat, & procul
Magnates refugos agit.
Non jam Auguſta ſuis nota clientibus:
Auſus nec Dominæ Borgia, quas videt,
Teſtari exuvias, jam graveolentiâ,
Jam tabo haud tolerabiles.
Heu tabum, heu ſanies dira cadaveris!
Quid, ſi Tartareis pabula debeat
Inconſumpta rogis, ſulfureas datæ
In flammas animæ comes!
Magnos ſub rigido maxima Judice
Tormenta excipient. At Superûm pio
Cultrix illa quidem pectore, pauperum
Altrix munificâ manu.
Pollinctorum oculos quin etiam Pudor
Luxuſque artifices barbarici manus
Poſt lethum metuens, fœtida maluit
Exhorreſcere funera.
Quæ vixit nitido læta palatio,
Quam ſordente mori prætulerit casâ!

Et gestata juvet crux, animæ quies,
Æternum ad solium gradus.
Squallet versa novis scena coloribus.
Quæ partæ meritis, solæ aderunt opes.
Virtus, fida comes Manibus: aulica
Raptim deseruit cohors.
Fluxæ deliciæ, divitiæ breves,
Mendacisque micans bractea gloriæ;
Et formæ fragilis splendor & imperî;
Umbræ, somnia, fabulæ!
O, quem blanda rapit gratia Principum,
Fucatæ veneres, nomina grandibus
Ampullata sonis, pictaque detinent
Pompæ gaudia ludicræ;
En has, en pheretro, si potes, aspice,
Nuper conspicuæ, nuper amabilis
Formæ relliquias. Quæ tua fascinent
Nugæ lumina, detegis?
Acres hîc oculos Borgia fixerat,
Haud frustra meditans; hæccine Caroli
Isabella? virûm publicus hic stupor?
Lux hæc, flammaque Regiæ?
Ejus in sacro Transfugio sensus expressi. Sic secum tacitus (funere nascitur
Vita, & sarcophago parta salus Duci)
Mox altè vacuis visa recolligit
Suspirans penetralibus.

Præterit figura hujus mundi. 1. Corinth. 7.

ODE XII.

FLUXA FALLAXQUE RERUM SPECIES HUMANARUM ostenditur ex Iride.

ASPICE quam blandi nebulam pinxere colores:
Inane rerum, splendidam in scenam datur.
Fulsit ubi vario Cæli Thaumantias arcu,

Superba

Superba solvit imbribus spectacula.
Non solus vacuâ mentitur imagine Titan,
Utcunque fingit nube fucatâ Iridem.
Omnia fallaci specie mortalia ludunt;
Natura rerum fragilis,& fluxus decor.
Mendax, forma, color: primis ubi floruit annis,
Marcens amœno defluit vultu rosa.
Gloria vana micans ubi luce arrisit amicâ,
Obscura tristi Fama contemptu silet.
Lubrica Fortuna, atque oculos ubi cepit avaros;
Sensus metallo divite illectos fugit.
Sic vario nitida ostentant simulacra colore
Titulos, amores, cumque deliciis opes.
Picta sed aërii vanescit pompa theatri,
Fugax imago, splendidum ludibrium.

LICENTIÆ MILITARIS DEPLORATIO.

ODE XIII.

AH, piget nullo memorata seclo
Probra venturos trahere in nepotes;
Vix pharetratis imitanda Turcis
Barbara facta.
Miles infandas meditatur artes;
Quotquot & formas reperit nocendi;
Gaudet insontum lacerare atroci
Corpora ludo.
Ille & immotâ generosus irâ,
Igne festivo speciemque Troiæ
Edet ardentis, referetque visu
Digna Neronis.
Fortis est, quicunque Deum lacessit
Oris effræni petulante linguâ,
Et gigantæis petit astra, Terræ
Filius, ausis.
Huccine exemplum recidit vetusti

Moris ? hæc virtus ? sileo pudoris
Publicam cladem, Paphiasque sordes;
Dedecus ævi.
Mollis enervat Cytherea Martem;
Juncta Bellonæ graditur Megæra:
Instat ultrici Nemesis flagello, &
Ira Tonantis.
Fœda morborum sequitur caterva;
Et lues, quò quò mala turba movit;
Errat indignas populata raptis
Civibus oras.
Diruto, quid, cùm violenta muro
Militum irrumpens acies triumphat?
Scena quæ rerum! miserâ quis urbe
Luctus, & horror!
Prælio instructas, quid, ubi cohortes
Campus hinc, illinc videt; & cadentum
Corporum assurgens cumulis, cruore
Æstuat æquor?
Ecqua ferali caret ora busto?
Ecquod intactum mare purpuratos
Cæde non volvit tremefacta circum
Littora fluctus?
Exules migrant populi: parentes
Parvulis, eheu, gremio receptis
Viva per terras leviùs dolentes
Funera ducunt.
Nec manus templis cohibens Enyo,
Incolas audet spoliare Divos:
Ferculo abjecti rabidùm Tonantis
Numina calcat.
Proh scelus! sacræ tacuere Musæ:
Cessit Hipponæ locus hinnienti;
Peiùs aut præcone boat nefandi
Dogmatis ædes.

Flamines cultas quoties ad aras
Victimæ cæsi? quoties Olympo
Debita, heu, fœdis temerata ab hircis
Lilia marcent?
Sic habet Liber sua, sic Cupido
Castra: Vulcanum neque abesse lugent
Templa; & abruptum furialis orbem
Tæda perurit.
Exteris sed quæ probra nota castris,
Exulant Francis, ubi LUDOÏCUS
Regnat immitem cohibens severâ
Lege Gradivum.
Pulchra Condæus validis sub armis
Jura, Turennusque simul secuti,
Digna palmaris referunt ovantes
Præmia moris.

AGRI GARITENSIS AMOENITAS.

ODE XIV.

PÆSTANA rura, vosque, Thessaliæ decus,
Cantata Tempe cedite.
Video supinos mollibus colles jugis,
Læto nitentes gramine.
Ingens theatrum frondeâ scenâ viret,
Cavis reductum flexibus.
Nec-non superbos vite generosâ frequens
Clivos Lyæus insidet.
At flava cultis vallibus regnat Ceres,
Messesque miratur suas.
Garumna pingues amne fecundo plagas
Lato pererrat alveo.
Densæ tumenti carbaso cymbæ natant,
Pars fruge, pars vino graves.
Et glauca ripas, populo admistâ, salix

Longo coronat agmine.
Rident amœno flore translucentia,
Rivisque prata garriunt.
Crebris & oram consitam pagis frequens
Prætexit urbium decus.
Illæ adjacentes; hæ jugo impostæ, arduis
Pendent minaces mœnibus.
Puram explicatis urbium ad portas viam
Xysti remulcent areis.
Ut quina summis collium fastigiis
Procul renident oppida!
Candentum acervos parte diversâ erigi
Montesque dicas nubium.
Nive sed perenni tecta Pyrenes micant
Longinqua, crede, culmina.
O grata pariter dissiti spectacula
Circúmque porrecti soli!
Hic alta cernas castra, turritas domos,
Murisque conseptum nemus:
Illic beatas pace, nec Regum invidas
Celsis casas palatiis;
Quas innocentis gaudium vitæ fovet,
Divesque proventu labor.
Pascuntur amplâ nobiles silvâ feræ,
Cervique cum damis vagi.
Opima passim armenta felices agros
Saturique persultant greges.
Hinc blandum avenâ carmen upilio sonat,
Illinc bubulcus fistulâ.
Jocante crispat arborum undantes comas
Aurâ tener Favonius.
Nemorum voluptas, æmulæ alternis canunt
Dulces choris Sirenulæ.
Valete Pæsti rura, Thessaliæ procul
Jactata Tempe cedite.

Filii hominum, usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?
Psal. IV.

ODE XV.

VANI Terrigenæ, quam miseris diu
Nugis corda graves, nec memores poli,
Fortunæ aureolæ splendida somnia
Et mendacia quæritis?
Votorum caput ac meta, Beatitas.
Sed cursu temere quæritur avio.
Illam non parient Deliciæ breves,
Non ventosus Honos feret;
Non quas sollicito septus amor metu
Frustra servat Opes, morte citas rapi.
Unum corda sui quippe capacia
Immortale replet Bonum.

ÆTERNITAS HOMINI CONSTITUTA.

ODE XVI.

QUANQUAM caducos vita Terrigenas fugit,
Partusque sævum devorat Tempus suos;
Æternitati nascimur, Cæli genus,
Quæ fluxa vasto secula absorbet sinu.
Vili fatiscit corpus effictum luto;
Nec jus, nec ultra vis feræ Mortis patet.
Vacuo superstes corpori mens evolat.
Quin & supremo corpus excitum die,
Biformis, ibit, quò vocat Perennitas.
Æternitati vive, Mortalis; tuam,
Memor, nec unquam degener, sortem gere.
Supera inter & profunda librato, parem

Anceps metumque ſpemque fert Æternitas.

INFERI. ODE XVII.

HOc ſe theatro Numinis explicat
Immenſus, ardens, terribilis furor.
O peſte congeſtâ barathrum,
Perpetuæ laniena mortis!
Gurges malorum, fluctibus æſtuans
Nunquam enatandis; atra bitumine, &
Nunquam procellæ detonantis
Fulmine mixta fremens vorago!
Igne ſalietur. Marc. 9. Æquata juſtuſque & ſapiens rogus
Tormenta noxis irrogat; & ſalis
Atrocis inſtar, victimarum
Ille greges penetrans, in ævum
Theſaurus iræ ſervat, & integros
Mactare ſævis aſſiduus modis,
Sic ignis ultrici miniſtrat
Juſtitiæ, horribilis ſatelles.

IN IDEM JUSTITIÆ DIVINÆ THEATRUM ODE XVIII.

VÆ, ſtagnum liquido ſulfure torridum!
Væ, conſors Geniis turba nocentibus,
Ferales animæ, nec miſerabiles!
Cœcis, væ, tenebris horrificum chaos!
Fœdum, immane, rigens carcere aheneo,
Vis quem nulla virûm, nulla furentium
Infringat Geniorum; aut, miſeras priùs
Ars mentes acuens, irreſerabilem
Fallat; nec gemitus, nec moveant preces.
Haud flecti patiens, vel ſatiabilis
Tandem ſuppliciis, ira ſupertonat
Æterno implacidi fulmine Judicis.

Non hîc Tempus edax, innumerabili
Nec ſeclo attenuat membra flagrantia.
Tortorque ipſa ſui conſcia mens agit,
Manes & patitur, nil Furiis egens,
Et ficto Tityi vulture atrocior.
Hîc fumum lacrymoſum, hîc piceas faces,
Inſani fremitum pectoris, & feris
Stridentem rabiem dentibus horreas.
Heu, deſideriis ſaucia inanibus
Amiſſæ patriæ, ſiderei Patris,
Tabeſcunt ſterili corda cupidine:
Deſperanſque, odiis miſtus inæſtuat
Nunc felicis amor ſerior imperî;
Ardens & ſtimulis invidiæ, furor.
O flammæ! ô tenebræ! dira perennitas!
Pœnarum facies omnigenûm! ah dolor,
Ah vivax mediâ in morte, nec ultimi
Sortem explere potens exitii, dolor!
Væ, noctes ſcelerum, vincula, turbines!
Cœcum, immane chaos! dira perennitas!

COELESTIS HIEROSOLYMA. Ex Apoc.

ODE XIX.

QUAM formoſa Sion, nubibus altior,
Fulvâ quam redimit murus ïaſpide,
Sapphiriſque remiſti
Fundavere topazii!
Gemmâ conſpicuæ ſtant ſolidâ fores
Biſſex, liminibus ſemper hiantibus:
Inſternitque plateas
Aurum ſplendidus vitro.
Cryſtallo ſimilis compita perluit
Amnis, pomifero ſub viridario.
Templum Solque beato

Ipſe adſtat populo Deus.
Autorem Solymes ætheriæ Deum
Gratis, Cælicolæ, tollite cantibus,
Terrarumque coloni,
Sedes quos patriæ vocant.

AD DEUM OPT. MAX. ADSPIRATIO.

ODE XX.

DULCIS amplexus, Dominique ſanctum
Oſculum, fragrans & amoris uber,
Et voluptatis liquidæ beato
Nectare torrens!
Cervus ut fontes gelidos aquarum,
Seu malo paſtum ſitis urget angue,
Seu fugâ feſſum trepidoque curſu,
Ardet anhelus:
Icta flagranti, Deus alme, voto
Sic ſuum te mens inhians parentem
Ambit; ô idem via, dux, piique
Meta laboris.
Ille mirantem rapiat Sabæam
Gloriâ fulgens Salomon caducâ:
Tu meos paſcas oculos amico
Lumine, JESU!
O apex rerum, mea ſors, quid ultra
Te, Deus, terris cupiam vel aſtris?
Mundo inexpletus, ſatiabor uno
Numinis hauſtu.

AD ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. FRANCISCUM PERICARDUM, INCULISMENSEM EPISCOPUM,

Cum Poëticæ declamationis Auditor in ſcholas publicas deſcendiſſet.

ODE XXI.

POST lauros Mithridaticas,
Romanæque Aſiæ finibus additum
Vaſti dimidium imperî,
Victor Memnoniis à populis redux
Ludo Palladio ſubît
Pompejus, tenuem devenerans larem.
Faſces laurigeros, quibus
Summiſſuſque Oriens venit & Occidens,
Summiſit foribus Sophi.
Hoſpes noſtræ humilem major in exedram
Ultro Caſtaliæ venis,
Olim belligeros inter ovans Duces;
Hoſtem nunc potioribus
Armis Tartareum vincere nobilis.
Palmas cum ſpoliis refers;
Paciſque interea Numen amabile
Supplex æthere devocans,
Auges templa ſacris, Præſul, honoribus.
Solem affulgere myſticum
Ceu *ſponſum thalamo* vidimus aureo.
Candentem nebulam induit,
Erumpit radiis dulce tamen jubar.
Te veró ante alios petit,
Sanctis & propius corripit ignibus.
Nullum ſacrificâ diem

Defraudans operâ, te superimmolas.
Vulgo indicta piacula
Idem primus obis; ac tua, quas jubet,
Intendit pietas preces.
Nimirum imperio blandiùs efficax
Exemplum populos agit.
Ut divina, potens eloquio, tuæ
Plebi pabula dividis,
Dum censum pecoris Pastor inis vigil,
Pulchris ruraque & oppida
Perlustrans, litui regna, laboribus!
At quàm splendidus Arbiter
Discordes animos conciliare amas!
Rixas frangere providus,
Iras & gladios Nobilium premis
Arcens sanguine mutuo.
Ægrorumque inopes hospitio frequens
Turbas visere sedulus,
Mœrorem placidis alloquiis levas,
Largâ pauperiem stipe,
Et linguâ pariter commodus & manu.
Nec fortuna severior
Heroam solidi pectoris emovet
Vim casu insuperabilem;
Nec, si blanditiis mulcet amicior,
Incorruptum animum trahit.
Musarum, egregias pascit amœniùs
Mentes & reficit lepos.
Cum Musis sua sunt fœdera Gratiis.
Docto strenuus otio
Sic se Pieriis explicat in choris
Laxandi vigor ingenî.
His tu deliciis ingenuus capi,
Nec tantùm facili manu
Volvis, quod gravibus præla gementia

Excudêre typis epos,
Vocales etiam, Præſul, inis ſpecus,
Pronis excipere auribus
Dignatus gracilis carmina fiſtulæ.

POETICE
CHRISTIANORUM ANTISTITUM CULTU Sacrarumq; uſu Litterarum Conſecrata.
ODE XXII.

NON hîc *ex humili potens*
Myſtes Aonidum cantat Horatius.
Cæleſtem meliùs chorum
Docto concelebrant munere Præſules.
Caſtæ ſacra gerunt manus,
Muſas Relligio, quas colit, expiat.
His quondam & Damaſus litat;
Et cujus teneris involitans labris
Suaves *ambroſiæ* favos,
Ingens augurium, ſparſit apum globus.
Et noſter fuit, annui
Felicem venerans carminis orbitâ
Paulinus, Latii ſtupor.
Romanum, an * Danaum Gregorium canam?
An, quem vivida & ardui
Torrens eloquii vis Rhodano parem,
Et Parnaſſius ingenî
Eflert Hilarium magnifici lepos?
An te, Pictonicæ alterum
Seu Muſæ referam, ſeu decus infulæ,
Venanti? Libyæ jubar,
An te, purpureum ſanguine, * Cæcili?
Ten', præco, nec inermibus
O vindex numeris inclyte Gratiæ,

Genethliacum S. Felici M. pangebat quotannis.

* Eccleſiæ Græcæ.

S. Venant. Fortunatus Ep. Pict.

* D. Cyprianus.

Prosper ? ten' magis, Alcime, &
Longo Sidonium prosequar ordine;
Ac quos mille tulit pios
Vates Christiadûm Relligio, mitrâ
Tectos, non ederâ caput ?
Nec, quanquam studiis asperioribus
Horrent ferrea secula,
Phœbeas citharas implacidis tamen
Mavors cornibus obtudit.
Quin & parta sacris purpura vatibus;
Pindo & crevit honos rudi,
Dum prisco excutiunt senta situ loca
Felices operum manus,
Quæ templa imperiis astraque temperant.
Quâ cælestia gentibus
Linguâ Christicolis jura dedit Pater,
Cantus mouit amabiles
Urbanus, liquidi melleus eloquî;
Flavus cùm Tiberis novo
Facundæ intumuit nectare copiæ.
En quantos sequimur duces !
Illi tot meritis ac titulis graves,
Ipsi quorum apicem colunt
Reges tergeminâ sidereum infulâ,
Dignabantur amoribus
Musas Pontifices. Quid Chisium loquar ?
Ut lusit *Iuvenilia*,
Nullo quæ senio ingloria marceant,
Æternumque recentia
Crescant in viridi carmina laureâ ?
Quid te, olim Chisii cliens,
Rector nunc Paderæ, lumen & Imperî,
Nullâ culte mihi satis,
Furstenbergiade, laudis adoreâ ?
Vatum Maxime, & aureis

In Vates animis Optime Principum!
Artes Vaticinas alit
Immortalis Honos, quas ſacer entheo
Afflat Spiritus impetu,
Miris ipſe adhibet ſæpe Deus modis.
Verſu magnifica edidit
Oracla in populos, dignaque Numine.
Sic Jobum placet alloqui
Auguſtis medio è turbine vocibus.
Sic Moſæa iterum ciet
Sancito Iſacidis fœdere cantica;
Abruptam toties fidem
Ingratis animis Legifer exprobrat;
Diris corda rebellia,
Vatiſque ore tonans, exagitat minis.
Sic Davidica nablia
Illabens variis pulſa regit ſonis.
Jam caſtis Salomonios
Adſpirans numeros mulcet amoribus;
Jam turbas gravibus monet
Effatis dociles, fingit & integra
Terſis pectora moribus;
Mundi ſpectra oculis purgat inania.
Sic præcentor agit Deus,
Summus fatidici carminis artifex.

SIGNUM LYRÆ CÆLESTIS,

POETICÆ FERDINANDI GLORIÆ SYMBOLUM.

Inſignis ſplendore ſonoque.

ODE XXIII.

LYRAM canori vidimus Orphei
Micare Cælo. carmine gloria
Stat parta. Nec mortale Vates

Antè ſonans, dociles trahebat
Aveſque ſilvaſque, & placidas feras;
Aurita blandus ſiſtere flumina,
Curſuſque ventorum morari
Arte potens fidicen ſuperbâ.
Sic aſtra, Vatum debita Principi,
Famâ capeſſit notus ad æthera
FERNANDUS. Æriſque ac tubarum
Vel medio ſonitus triumpho
Non tam remulcet, quàm chelys aurea:
Dulceſque vibrans ingenii modos,
Vel aſtra vincit, concitoque
Pythagoræ numeros Olympo.
Sublimis Heros, qui citharæ fides
Urbeſque eadem Veſtphalicas manu,
Suaviſque fortiſque, & clientes
Temperat arbitrio Poëtas;
Non ille ſurdis negligit auribus
Lyras minores, aut tenuis leves
Venæ ſuſurros, dum ſonora
Aſſiliunt Paderæ fluenta.
Splendore multo quem genus inclytum,
Fortuna, Virtus, Gloria cinxerat,
Doniſque Princeps & benigno
Splendet opum celebratus uſu.

IN D. LUCIAM VIRG. ET MART. ODE XXIV.

NULLA pœnarum facies Puellam,
Debitæ Sponſo fidei tenacem,
Nulla vis movit, meditata fœdo
Trudere luſtro.
Ære, ſic ſtantem, ſolido columnam
Virginem credas, animumque corpuſque

Insidens castum Deus ipse tanto
Pondere fixit.

ORATOR DIVINUS
ILLUSTRISS. GUILLEL. LE BOUX
PETROCHOR. EPISC.
ODE XXV.

CLARO per omnes eloquio plagas,
Flammis Olympus sidereis micans,
Rectoris Autorisque Præco
Magnificus decora alta narrat.
Haud surda Tellus, laudis & æmula,
Mysten Tonanti suggerit, aureas
Per templa voluentem remistis
Fulguribus radiisque voces.
Sic ille Pactolo assimilis fluens,
Cui laude partum divitis eloquî
Cognomen, Antistes potenti
Bosphoron arbitrio ciebat.
Nunc ille blandis insinuans modis
Castos amores; nunc scelera increpans,
Ambone regnabat stupentes
In populos, Procerumque cœtus.
Illum, & diserti nectaris ubere
Quondam beatos, ac meritis graves
Heroas Orator suburget
Argolicos Latiosque Francus.
Te, Magne Præsul, vasta Lutetia,
Stellansque amœnis Regia liliis,
Augusta dicentem corona, &
Circùm inhians bibit aure mundus,
Urbisque & Aulæ scilicet in sinum
Collectus; utcunque aut dubiis opem
In rebus, & Pacis supremas

Borboniâ petit arce leges;
Aut elegantis ſplendida concipit
Exempla vitæ; ſeu decus Artibus
Lucemque, & immenſi, eruditis
Explicitam ingeniis, theatri
Pompam, & ſuperbæ culmina gloriæ
Ambire viſum eſt: undique gentium
Libatus accurrit beatæ
Flos ſtudio rapiente ſedis.
Jam Suada palmis Gallica laureas
Æquat Gradivi; primaque jam tuum
Aurora nomen, jam colonis
Læta novis America jactat.
Tractare partes rite memor ſacras,
Oris coërces vaniloqui levem
Et frangis exemplo catervam;
Utile conſocias decoro,
Ac forte dulci. cordis & ingenî
Miſcentur ignes. Gloria, ceu loquax
Imago, Virtuti reſultat:
Plebis Amor, vigileſque Curæ
Certant Honori. pulchrior infula
Relucet aſtris, pulvere quam ſacri
Spargunt labores. O Veſunna
Cæſareis memoranda caſtris!
Urbs apta Belli, Pacis & artibus;
Dejecto Averni ſtant ubi numine
Æterna Frontonis trophæa,
Semirutæ monimenta turris!
Felix, amico quam lituo regit;
Oracla pandit cui Superûm ſagax
Interpres, ardentique creber
Ore pios acuiſſe cives!
Nec tu Veſunnæ tantùm adytis ſonas:
Vocem magiſtram grex Petrochorios

Audit per agros, dum ſalubri,
Paſtor, obis tua regna cenſu.
Quin & Garumnæ reſpicis accolam;
Partemque curans vel tenuem hanc gregis,
Honore dignaris Poëtam
Aoniis potiore lauris.
Amplæ favorem teſtis idoneus
Laudis renarrat, plurimus & tui
Mirator, inſignique Francas
Nobilis eloquio per urbes.
Docto benignus carmina provocas
Amore: ponduſque, & venerem & decus
Addis legendo. ſplendor ipſo
Allinitur pretiumque tactu.

PSALMI PRIMI PARAPHRASIS.

ODE XXVI.

1. FELIX, virorum quiſquis obſcœna impii
Vitans gregis contagia,
Nunquam ſiniſtro devius flexu ſtetit;
Nec ſe profani dogmatis
Superbus autor ſede peſtiferâ extulit,
Virtute derisâ procax.
2. At uſque ſanctam Numinis legem ſequi
Gaudet ſtudetque ſedulus:
Noctu diuque corde verſata intimo
Præcepta factis exprimit.
3. Palma ut fluentis aſſidens perennibus

1. Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ (irriſorum, Hebr.) non ſedit.

2. Sed in lege Domini voluntas ejus: & in lege ejus meditabitur die ac nocte.

3. Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Fetu gravescit annuo;
4. Nec-defluentum vernat æterno comans
Arbos honore frondium:
Sic ille veris affluet lætus bonis,
Statuque florens prospero.
5. Non hic beatæ sortis, ac placidi tenor
Ævi scelestos respicit.
Sed vita sordens, casibusque exercita,
Vano rotatur impetu:
Ceu pulvis atro spargitur, ludibrium
Venti furentis, turbine.
6. Ergo coruscâ cùm reos Judex Tonans
E nube mortales aget;
Turbæ jacebunt perditæ, noxis graves,
Cœtu piorum segreges.
7. Rerum supremus quippe diversam Arbiter
Observat amborum viam:
Visuque amico rite directos probat
Virtutis ad metam gradus.
Contrà impiorum sparsus in cœcos labor
Erransque calles disperit.

4. Et folium ejus non defluet: & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur.

5. Non sic impii, non sic: sed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.

6. Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.

7. Quoniam novit Dominus viam justorum: & iter impiorum peribit.

AD JACOBUM FRESNÆUM,

AN. M. DC. LVI. *Tolosæ concionantem, primorumque Poëtæ libellorum officiosum lectorem* &c.

ODE XXVII.

ORATOR alti fervidus eloquî
Dum templa sacris motibus *aurea*
Misces Tolosæ; qualis olim
Igneus, igniferisque Vates
Posthac quadrigis raptus in aëra,
Flammata Hebræis verba paventibus
Tonabat, & victor sequaci
Cum populo proceres agebat:
Ecquid molestis versibus obstrepam,
Fresnæe, Suadæ, in publica commoda
Peccans; & imbelli sonantem
Acrè tubam citharâ morabor?
Annon remotos ambitiosiùs
Ignotus hospes Tectosagas peto?
Rudi peregrinæque Musæ
Palladiâ vacat arce sedes?
Theronus istic, cujus ovantia
In * ære vivunt carmina regio;
Effeta nec tristi senectâ,
Sed niveos imitata cycnos
Camœna, quovis dulciùs Orpheo,
Conceptæ * honores Virginis integros,
Nomenque Alexandrique pacem
Fatidico modulatur ore.
Istic diserti splendidus ingenî
(Cui non profanæ gloria laureæ,
Ligustra sed frontem coronant
Virgineo Mariana Vati)

* Equestri Statua Ludov. XIII. Paris.

* Ex Libello supplice Joan. Euseb. Nieremberg. tunc edito.

III.tomos edidit in VII. B. V.festa mysteria;
Et paraphrasin c. VIII. proverb.ac XXIV. c. Eccli.

Canutus, & ceu dives aquæ fluit
Septena fusus Nilus in ostia;
Magnamque adumbrantis Parentem
Per titulos Sophiæ cucurrit.
Non his superbum Vatibus inseri
Tironem inanis pellicit ambitus:
Quanquam faventes, obviique
Aonio juvenem Senatu
Patres reposcunt. Ah cave, laudibus
Fallas benignis credula pectora;
Levique ne pondus Camœnæ
Magnificus recitator addas.
Excita doctæ carmina prælegis
Blandus coronæ, primitias rudes;
Silvasque inornatas frementem
Ore sonas alacri per aulam.
Præco sed alti quid gravis eloquî
Ludicra jactas? æquiùs hîc, tuæ
Auditor interpresque famæ,
Plaudere amat, tua cura, Vates.

INVICTA ECCLESIÆ FORTITUDO.

ODE XXVIII.

ORBE diffusis animosa ramis
Palma, dum sævis premitur tyrannis,
Ducit insurgens validas ab ipso
Pondere vires.
Ridet insultans furias Virago;
Vim, dolos, ferrum superans & ignes.
Ipsa victricem decorant cruenta
Vulnera formam.
Fluctibus mersa est? rediit nitenti
Clarior gemmâ. data præda flammis
Arsit? excocto rediit coruscans

Pulchrior auro.
Illa nec, cœci tenebris Averni
Pressa, caligat; neque, trunca membris,
Deficit; sed per sua damna crescens
Clade triumphat.
Purpuram sanguis generosus addit.
Martyrum cædes, satus est Olympo
Debitæ messis: geminantque rapta
Pignora Prolem.

CALVINIANA TEMPLA,

Contra fas legesque variis locis erecta, ab Christianiss. Rege LUDOVICO XIV. *dirui jussa.*

ODE XXIX.

DISJECTAS alii terrificâ Borbonidæ manu
Arces turrigeras, Martis opus fulminei, canant.
Consors hîc Pietas Justitiæ, magnificentiùs
Victrix regnat ovans, laurifero carmine dignior,
Passim fana ruens sacrilegis addita partibus.
Civile increpuit Franciadas sicubi classicum;
Ardet læta malis, & placitæ nacta licentiæ
Tempus, nempe avido corripiens Hæresis impetu,
Turbati imperii res miseras apposuit lucro.
Sic nuper teneri dum solium Principis horrido
Circùm armata fremens Seditio turbine concutit;
Jam fræni impatiens, non timidum jam caput Hæresis
Effert, ac vetitis fana locis excitat insolens,
Justi Henriciadæ nil dominis territa legibus.
At non tu patrium, Rex, temere sic decus obteri,
Nannetum & celebri fas pateris dogmate conditum. *Edictum Nannetense.*
Increvisse, Babel, armisonis ausa laboribus,
Quid casum, querulis torva sonans vocibus, ingravas?
Templis, ah, quoties tu patriis Tartareâ manu

Visa inferre nigras, præbuerant quas Furiæ, faces!
Aris, heu, quoties mysta suis victima concidit,
Fœdavitque piis immoriens sacra cruoribus!
Nam quæ probra latens triticeâ sub specie Deus,
Sæpe abjectus humi, sæpe cani præda tulit datus!
At nunc imperiis Relligio Borboniis viget:
Victrix ruderibus stat Pietas altior hosticis.
Fanorum excidio Rex solium roborat, ac sibi
Æternæ monumenta ædificat templaque gloriæ.

IN S. EPARCHIUM ABB.

Hymni tres.

ODE XXX.

DIVE, florenti niveum juventa
Excolis doctas animum per artes,
Inclytæ stirpis patriæque lumen
Gentis, EPARCHI.
Arbiter Juris, placidusque Vindex,
Legibus frænas populos clientes
Censor exemplis, & Avi superbam
Corrigis aulam.
Mox & auratis pia corda vinclis
Explicas, seclum fugiens profanum;
Et sacro gaudes tacitam recessu
Condere vitam.
Voce nil tangunt querulâ parentes.
Non opum, non te species honorum,
Nec venenato malè blanda cepit
Melle voluptas.
Veste setosâ, tenuique victu
Corpus, ac duro teritur labore:
Fervidam raptat super astra mentem
Splendida virtus.

ODE XXXI.

O Deo ſacri ſpecioſa cordis
Servitus; nullo patiens teneri
Criminis nexu, facilique torquens
Omnia regno!
Supplicum votis Dominus benignas
Applicans aures, ſimul ad ſtupenda
Præbet intentam famulis, potenti
Numine, dextram.
Creber hinc ſignis radias, EPARCHI:
Hinc aves juſſis pecudeſque parent;
Sentiunt vocem domitæ ferarum
Protinus iræ.
Naufragos ponto rapis æſtuoſo;
Carceres fractis reſeras catenis:
Triſtibus morbis, ſtygiiſque purgas
Corpora monſtris.
Nec ſemel victam ſpoliaſſe Mortem
Te canit ſancto celebrans triumpho
Turba Patronum, meritoque ſupplex
Ambit honore.

ODE XXXII.

PUBLICAS laudes, meritiſque partam
Gloriam Virtus fugit; ac latebras
Unico quærit ſtudioſa vitam
Prodere Teſti.
Abditum ſilvâ Deus & cavernâ
Reſpicit, donis cumulans, clientem.
Fulget ex ipſis pietas EPARCHI
Clarior umbris.
Jam fugax Famæ Patriæque ſiſtit,
Quâ jubet claro manifeſtus ore

Christus ad lenem placitas Carentam
Figere ſedes.
Hîc ſacri Ductor gregis alta Cæli
Carpit incenſis aperitque votis :
Mox adorati potitur retecto
Lumine vultûs.
Sit Patri rerum Domino, Patriſque
Compari Nato decus, ac ſupremo
Flamini, cujus ſatiat beatas
Gloria Mentes.

EPEUCTICON FABULOSUM

Pro Eurylocho Poeta ægrotante.

ODE XXXIII.

Blanda quis Aoniæ turbavit gaudia ſedis
Novoque Muſis obſtrepit caſu dolor ?
Jam mœſtæ ſiluere fides : aut, ſi qua ſacratis
Pindi cavernis barbiti vox eſt ſuper ;
Flebile congemuit querulâ teſtudine carmen :
Dirceſque amarus lacrymis fluxit liquor.
Ah, dulcem Eurylochum ſubiti inclementia morbi
Leto clientum diſtrahit vatum choro.
Incidit in venas trepidæ vis ignea febris :
Malus per artus ſævit effetos calor.
Huc ades, emeritoque malum depelle Poëtæ,
Pæan, decorum laureâ incinctus caput.
Accelera Pæan, notaſque Salutifer herbas
Affer benignâ ſoſpes actutum manu.
Et quicumque juvat cantuſque, ſaporque laborem,
Panacea odoro quidquid & ſucco poteſt ;
Funde age, Phœbe, tui ſi qua eſt tibi cura Poëtæ.
Feres medelæ præmium, Soteria.

CHRISTO SOTERI OPT. MAX.

PRO SANITATE SIBI RESTITUTA

Sub festum Ascensionis diem an. M. DC. LIV.

Ascendens in altum... dedit dona hominibus Ephes. 4.

ODE XXXIV.

PRocul Machaon, & Podalirius,
Deusque serpens, Romam Epidauriâ
Advectus orâ, dum Quiritum
Exitio furit atra pestis.
Artis repertor Pæoniæ vale,
Fallax Apollo. Pergamei senis
Coïque, succis impotentem,
Docta cohors premat officinam.
Tu Sospitator, pallida tristium
Fugare morborum agmina tu potens
Blandusque, JESU: tu caduca
Corpora, depositasque mentes
Sanare præsens, quas proprio foves
Cruore, Numen. tu medicâ manu,
Quos tangis, elidis dolores:
Et validis operosa verbis
Lingua, & sacrarum fimbria vestium,
Mortalis hostes corporis exigunt.
O si triumphali coruscus
Dum repetis tua regna pompâ;
Per te soluto corpore liberam,
Tuoque devinctam obsequio simul
Educeres tecum sub astra
Hanc animam, patrioque Cælo
Civem locares! at gravioribus
Onusta culpis hæsit iners solo:

Tu victor, ascendens Olympo,
Læta bonus geminare dona.
Sic ille in auras dum fugit ignei
Auriga currûs, invalidum sequi
Vatem relinquens, axe missum
Elias Elisæo. Ferre dedit rutilante pignus.

SOMNUS AMICE SOLLICITUS.

ODE XXXV.

Quid pavidum fictâ crudelis imagine torques,
Eheu, doloris artifex veri sopor?
Crudelis Morpheu! crudelis tu quoque, Damon,
Sic mentem amicam somnio exercens gravi!
Horrueram ignotos casus, faciemque pericli,
Velut recenti trepidus auditor malo;
Cùm fossæ exceptum insidiis, undaque referres
Stagnante mersum pænè Lethæâ caput.
Mortalis cœca ô nimiùm discrimina vitæ!
Terrisne, an undis brevior ad lethum via?
Quid caveas, nunquam cautum satis. Omnia morti
Vacant: ubique nexiles fati plagæ.
Tu tamen immanem potuisti abscondere casum!
Quin variæ amicum sortis in partem vocas?
Quas ego reddiderim Superis, te sospite, grates!
Quàm plectro eburnam concitem blando chelyn!
Talia volvebam, narras dum serus amicis,
Colloquia tristi læta corrumpens sono.
At simul abscessi, primoque natantia somno
Mitis jacenti lumina insedit quies;
Turbida sollicitæ subeunt insomnia menti,
Durosque casus hausta simulacra exprimunt.
Quadrupedisque equitisque super Damonis imago
Altum natatu gurgitem dubio secat.
Cervicem attollit fossæ obluctatus iniquæ,

Vanoque creber impetu assultans equus:
Qualem Isalæ, credo, fossam duxisse Batavos
Fertur per agros bellicus Drusi labor.
Tunc ego Najadas votis, votisque Napæas
Vocare supplex pectore attonito urgeor.
Scilicet auxilio vos, Numina cassa, vocarem,
Homines perosa monstra Tartarei lacûs;
Ater inextincto Vulcanus ubi æstuat igni,
Mortemque vivo sulfure æternam coquit.
Te verò, cui sacra dies præluxerat, unam,
Stella advocavi, turbido imperitans freto.
O Maria, ô nullam ducens ab origine labem!
Tibi vota medius tacita concepit sopor.
Nec nulla est animo concepti gratia voti.
Immotus hæret sessor innanti fero;
Ac tandem innixus terrâ, quæ fortè reperta
(Procurrit usus tenuis in magnos humus)
Evadit; madidaque gravatus veste, sodalis
Dextrâ prehensâ, victor in siccum exilit.
Vix demum sonipes, etiam sessore levatus,
Emergit altâ naufragus voragine.
Sic tua percellunt vigilantem incommoda, Damon,
Tuo laboret anxia ut casu quies.
Quod superest; tanquam servati in littore nautæ,
Persolve mecum vota Soteri Deo.
Et Dominam venerare, maris terræque potentem.
Certâ clientes sospitat præsens ope.

CRATES CHRISTIANUS.

Laus voluntariæ Paupertatis.

ODE XXXVI.

DAMNOSA inertis lucra pecuniæ,
Plebem fatigate; & Proceres trahat
Aurum superbos, heu, bonarum

Mentium onus, pretiosa labes.
Congesto acervo plenæ opulentiam
Stupescat arcæ, qui vacuus sui,
Inopsque virtutis, beatas
Nescit opes, propriamque gazam.
Contenta paucis, æqua necessitas.
Ipsâ cupido fervida copiâ
Grassatur. hinc lites & arma,
Hinc scelerum genus omne fluxit.
Aude, & caducas perdere opes ama,
Ne mox inhærentem exitio trahant.
Da splendido, ne parce, quæstu,
Rite datas habiture semper,
Ultro & relictas, fœnore quas Deus
Reddat beato. Pauperie tibi
Mercandus Æther, omniumque
Una Salus redimenda damno.
Qui multa quærit, pluribus indiget.
Nihil petenti nil animo deest.
O sacra Paupertas, Eois
Ditior, ô, meliorque gazis!
Cælo minantes, quàm gravior domos
Ruina & arces præcipitat solo!
Insana ventorum procellas
Culmina sic temere lacessant?
Impune fastu non datur improbo
Cristas in altum tollere. fulminis
Surgunt in occursum. & laborant
Mole suâ fragiles, & annis
Insigne debent ludibrium æmulæ
Turres Olympo. Quid rapidi impetus
Mavortis? ut flammâ repostas
Vastat opes, avidoque ferro!
Prædantum avarus cui furor hostium
Pepercit? aut quid callida fraus, rapax

Vis liquit intactum? recessus
Insidiæ penetrant domorum.
Et ipse custos appositus gravi
Timendus arcæ. vitam etiam petet
Latrone mutatus satelles;
In dominum sua tela vertet.
Quæ criminosis scilicet artibus
Parata, rursum criminibus perit
Fortuna: protruduntque iniquos
Usque novi dominos tyranni.
Pœnis sed instans ultor agit Deus,
Transfertque gazas, falsa malis bona
Permitttit; indulgetque lævus
Pulchra vagæ spolia illa sortis.
Nam quid lapillis obsitum, & aureo
Fuco lacunar? picta quid atria,
Signisque fumosis avorum
Cincta juvant, populique fluctu
Valvæ frementes, ac penetralibus
Turbans sub ipsis pompa clientium?
Ah, quas palatinis opertas
Blanditiis meditata fraudes!
Proh sumptuosæ splendida servitus
Fortunæ, & amplas cura terens opes,
Noctemque confundens diei,
Et placidæ impatiens quietis!
Me cara sancto Pauperies sinu
Amplexa, nusquam sollicitum dabit,
Crœso invidendum, vel tyrannis
Assyriis opulentiorem.
Soluta curis pectora, & intimas
Puri medullas ubere gaudii
Perfundet. huic sentes amœno
Flore nitent, lacrymæq; gemmant.
Mihi coruscâ pervigilat faces

Stellatus æther. ſigna adamantinis
Pars fixa, pars caſtris movenda,
Et rutilis globus ales armis,
Illuſtre tectum, præſidium & decus
Securo adornant. Pavus, an, intereſt,
Non elaborato retundat
Eſuriem cichorea victu?
Cibo quid aurum? quid latici virens
Affert ſmaragdus? Lumina mulceat
Paſcatque convivæ; ſed acri
Corda fame maleſana tentat.
Metus, cupido, viſcera Divitis
Anhela carpunt; luxus opum vorax,
Prædâque ſuccreſcens egeſtas,
Viſceribus populorum adeſis.
Quantis voluptas bruta doloribus
Ægreſcit! At me non Mareotico
Infuſa deprendant venena,
Gemma capax ubi fata miſcet.
Sarrano amictu ſplendida nec premant
Venena. durum quid rudibus vetat
Lanis, neque infectis aheno
Sidonio prohibere frigus?
Tabe oſtreorum Dives ovans micet,
Latéque amictus regifico trahat
Cultu laborantes. & urit
Delicias oneroſa bombyx.
Velo pudoris ſimplice, principes
Mortalis ævi ſat tunicis Deus
E pelle texit. Quantum inanis
Addidit ambitio malorum!
Ergo profanas deſpiciens opes,
Spes & ſuperbas, atque cupidines
Mens calcat. incaſſum uncinatis
Fluxa tenax premit ille palmis.

Terris avarus quos amor illigat,
Lethum refixos urit acerbius.
Amiſſa reſpectant Avernas
Nudæ animæ miserùm per umbras.
Quid corpus, olim grande negotium?
Abſiſtit anguis? fert violas humus?
Aut molliùs tecti quieſcunt
Marmoreo cineres ſepulcro?
Paterno Abrami Lazarus è ſinu
Ditem ſepultum carcere flammeo
Irriſit, ah, guttam precantem,
Quâ Stygios levet oris æſtus.
Et, pauper ultro, ſummus Olympiæ
Regnator aulæ, non ſtabulum puer
Refugit, & nudus probroſâ
Immoriens trabe vir pependit.
Sic mira factis anteit arduus
Oracla, ſancitque; ac proprio dicat
Uſu, beatam pignerato,
Pauperiem Deus ipſe, regno.
Flaventem avarus quærere pertinax
Glebam laboret. ſidera concipit,
Spe læta, deſponſumque Olympum
Pauperies. Sequor, ô, vocantem
Divam expeditus. *Poſſidet omnia*,
Quæ ſpernit, ultro nil retinentium
Magiſtra, quam votis frequentat
Relligio: trabeiſque Reges,
Palmis ſuperbos expoliat Duces;
Datoſque vinclis colla volentia
Deducit, æterni triumphi
Auſpice ſigniferoque Chriſto.

FONS DRIBURGENSIS
IN AGRO PADERANO AQUARUM SALUBRITATE INSIGNIS, A CELSISSIMO PRINCIPE FERDINANDO EPISC. PADERB. COADJUT. MONASTER. VARIE SPLENDIDEQUE ORNATUS.

ODE XXXVII.

MEDICÆ quiſquis amœnum caput undæ
Viridanti ſpatiatus petis orâ;
Age, gratus Ducis effer generoſi Monumentum.
Aganippes ſimul idem Paderæque
Sacra fonti celebratus dare jura,
Mihi PRINCEPS operosâ geminavit decus arte.

Fons ipſe pellucidus, at modico limo ex ferri venis, quas perfluit & ſapit, labrū oraſque prati rubefacit.

Vaga ferri per opertas aqua venas,
In apricum ſalienti pede pratum,
Viden', ut purpurat altus placito gurges acore?
Quod inemptæ fluit uber panaceæ,
Canit unà popularis, canit hoſpes.
Spada noſtro medicatum timet æquare fluentum.

Joan. Rotg. Torckius, Nicol. Heinſius, Ant. Verjuſius.

Laticem hinc æger amicum ſibi Vates
Heliconis bibit undâ potiorem:
Reſonat ſoſpes amicâ numeroſam fide laudem.
Tua longè præit omni lyra Pindo:
Neque curas tibi mutæ labor artis;
Neque, PRINCEPS, opulentæ ſatiant munera dextræ.
Humus educta niteſcit; Bibuloſque
Nova ducit per opacum via xyſtum.
Locus ornatus, & ægris aditu ſtructa voluptas.

Paderæi * quibus auctus lepor agri,
Titulos inter, & altè mihi surgat,
Tremulum * si ferat arvum, Pario marmore cippus.
Micet auro quoque carmen, quod amoris
Speciosum tua, PRINCEPS, mihi testem
Inararit sacra docto manus æterna metallo.
Atenim Saxonici rudera castri
Reparans, vertis in usus meliores.
Opus immite Gradivi, placidæ servit Hygiæ.
Tua me juncta Camœnæ rapit omnes
Celebrem Fama per oras: neque * certat
Italæ Blandusiæ, vel Siculæ fons Arethusæ.
Ego quid laudis & artis Monumento
Referam, nil satis altum modulatus?
Strepitanti levis undâ tibi Fons perennè plaudam.
Pia sub jura fluentem suus urget
Honor, & blandus amoris ciet * ardor.
Tibi jurata, propaget dominam lympha salutem.
Nova me dona magistro didicere,
Meditantur nemorales philomelæ,
Nemus * & pervolitantum simul auræ Zephyrorum.
Tulit ætas vetus almo sacra fonti.
Mea cuicunque levamen parit unda;
Meritas, ô, recreati cape, FERNANDE, coronas.
Opifer tu mala sanas miserorum:
Populo largus apertâ fluis Aulâ;
Liquidi melle, vel auro pretiosi vice fontis.

* Ferdinandus tractum Paderb. crebris insigniit monumentis marmoreis cum aurea carminum inscriptione.

* Solùm fonti proximum, substructionis impatiens.

Driburgum, olim Iburgum, idemque munimentum Saxonum, pro quo ædes Hydropotis commodas Princeps ad radices finitimi collis designavit

* V. lib. I. Heroic.

* Magno fons, tametsi frigidus, impetu ebullit.

* Fonti vicinum.

Coronabantur ab antiquis fontes.

TORQUATI TASSI
POETARUM ITALORUM PRINCIPIS HIEROSOLYMA LIBERATA, ILIADOS ÆNEIDOSQUE IMITATIO.
ODE XXXVIII.

THuscis imago clara ſonans jugis
Silviſque, cani quàm bene principes
Ævi Poëtas reddit, una
Biſgeminæ aſſimilis Camœnæ!
Vox illa Taſſi. quidquid & Ilias
Inſigne, quidquid cultior exhibet
Æneïs, ingentes in uſus
Tranſtulit, ingenuaque fraude
Graias remiſcet cum Latiis opes,
Suiſque celat. Non temere aſſuit
Pannos nitentes; at decorum
Arte novâ pretioque texit
Opus Minervæ: ceu Colophonium
Secutus olim Virgilius Ducem,
Haud erubeſcendis ovabat,
Invidiâ ſtrepitante, furtis.
Quàm blandus aures, dum Solymæ canit
Abrupta collo barbara vincula,
Devinxit! Heroum ſuperbæ
Nominibus ſonuere chartæ.
Non hîc Atridæ, non Pylius ſenex,
Non deeſt Achilles, non Telamonius
Ajax, vel Interpres Deorum;
Non Priamus, ſociique contrà.
Dux Chriſtiani maximus agminis,
Bellique rector, nempe Agamemnona

Bullonius gessit, sed acri
Consilio meliorque dextrâ.
Neque ira præceps, aut amor impotens
Versat tyrannum. fulmineæ manûs
Libidine * incorrupta virtus:
Sæpe Arabum cataphracta, ferri
Vibrantis ictu, corpora diffidit.
Pius sub armis, & MARIÆ cliens,
CHRISTIQUE miles, crebrum amico
Auxilium volucresque Cælo
Venisse turmas vidit, & igneis
Ardere telis. ocyùs inferæ
Cessere pestes. *Balduinus*
Fratri aderat, Menelaus alter.
Francusque Nestor, Tectosagum *Comes*;
Pelidæ & instar, fictus ad ardua
Stat *Reginaldus*: par furentem
Æstus agit juvenilis iræ.
Castris remotum fœdior abstulit
Amoris æstus. segnis & immemor
Circæo in *Armidæ* quiescit
Hospitio, vitreisque tectis:
Fatale robur dum revocantibus
Belli Magistris, excutiat gravem
Tandem veternum; redditusque
Ipse sibi, medios feratur
Victor per hostes, non sine fœnore
Dilata reddens prælia Barbaris.
Virtute *Tancredus* secundâ
Ausonius numeretur Ajax.
Sacris ab antris prodiit, & sagax
Ventura *Petrus* nunciat, augurem
Calchanta præstans. *Agareni*,
Ecce Phryges, peritura turba.
Lacæna Achivos enumerat Duces,

* Hanc ipse sui roboris causam aliquando mirantibus edidit.

Hermina Gallos. Inde tuam, Maro,
Clorinda bellatrix Camillam
Æquat Amazoniis in armis.
Hæc *Godefridum* ſauciat alitis
Ferro ſagittæ; Dardaniden priùs
Juturna: ſanavitque læſos
Ambroſio panacea ſucco.
Alecto ab imâ luctificam Styge
Juno evocavit: ſuſcitat horridam
Innoxiâ Torquatus arte
Tartareo Furiam barathro.
Deſerta motu quàm vario exprimit
Armida Eliſam! Perfurit hoſtica
Irrumpere audax ſepta Turnus?
Tantum & atrox *Solymanus* audet.
Quid, cùm obvolutus nube ſupervenit
Regi Sionis? Trojugenæ ſimul
Amictus occulti recurrat,
Matre cavam glomerante nubem.
Imaginoſæ pompa ſuperbiæ,
Spirante in auro quæ magici fores
Cælat palatî, ficta veris
Texere amans ſpecioſa rerum;
Annon Latinæ limina regiæ
Exſcripſit, arcis Chalcidicæ decus,
Clarumque Vulcani laborem,
Actiacæ ſimulacra pugnæ?
Spumantis argenti è ſolido tument
Fluctus metallo; ſanguine decolor
Pars horret undarum: ſequaci
Morte fugax Cleopatra pallet.
Jam Reginaldus ſidereo flagrat
Spectatque laudes in clypeo ſuas;
Famamque Majorum, ac nepotum
Facta humero generoſa tollit.

Homerus iſtic plurimus emicat,
Vatiſque tanti non minor æmulus.
Achillis Æneæque diâ
Scuta manu fabricata pingunt.
Hîc & futuri præſcia, pervio
Cryſtallo Eoum ſomnia ſub jubar
Emiſſa, pulchris Godefridum
Conſiliis animiſque firmant.
Serenam *Hugonis* ſic placidus ſopor
Oſtendit umbram magnanimo Duci.
Præluſit Anchiſes Sicanas
Elyſio veniens ad oras;
Turbatum imago quæ monitis regit
Solata natum. Scilicet & frequens
Recluſit antiquis eburnam
Somnus, agens ſua viſa, portam.
Nec, quæ propinqui nuncia funeris,
Nocturna inanes monſtra cient minas.
Excluſa jam muris Clorinda
Hectoreo jacet icta fato,
Mixtoſque caſus Euryali refert.
Quid plura? Hetruſcis talia Cantibus,
Ut annulis gemmæ coruſcant,
Ut liquido vaga ſigna cælo.
Libata curſim hæc: cetera perſequi,
Quidquid Latinis fontibus hauſerit,
Quidquid Pelaſgis, non iniqua
Hora ferat, neque ſilva rerum.
Duella, cædes, hiſtorias, dolos
Omitto, & artes nobilis ingenî:
Quæ cuncta diſtinguit colore
Aucta novo, variatque ſcenam.
Taſſus priorum non pede diſpari
Veſtigia implet: ſubſequitur chorus
Recens Poëtarum, & magiſtros
Caſtaliâ legit arte greſſus.

D. BERNARDI ELOGIUM.

ODE XXXIX.

NOTOS ad citharæ, Dive, redi modos;
JESU blanditiis & MARIÆ ſacer,
Claræ-gloria-vallis,
Franci gloria nominis!
Romanæ columen Sedis, & impii
Erroris domitor, Chriſtiadûm arbiter;
Sanctæ pacis oliva, &
Sacri buccina claſſici!
Auguſto medius concilio Patres
Certâ voce regis, Pontificum Parens:
Per delubra, per aulas
Regnum plurimus explicas;
Europæ imperitans, ac monitis pios
Dum flectis Proceres, fulmineo Duces
Sternens ore ſuperbos,
Sermonum atque operum potens:
Dignus, cui nivei copia nectaris,
Magnæ virgineo Matris ab ubere
Irrorata, beatis
Linguam ſenſibus imbuat!
Ex quo per populos ſuavior eloquî
Fluxit diluvies. Lactis adhuc memor
Vivæ vocis imago,
Scriptis ducta perennibus;
Cæleſtis riguos ambroſiæ ſapit
Succos, & liquidis ebria gaudiis
Paſcit corda legentum,
Hyblæo melior favo.
Almæ imbuta nitens Virginis ubere;
Chriſti fonte ſimul purpureo madens,

Crebro vulneris hauſtu
Bernardi pietas calet.
Divini capitis ſerta rigentia,
Geſtatamque manu Regis arundinem,
Haſtam, flagra, columnam,
Clavoſque accumulat Cruci.
Numen ſanguinei flebile Golgothæ
Amplexus recolit pectore ſaucio,
Congeſtoſque dolores,
Pulchri ſemina gaudii.
Myrrham quam Domini faſcis amarior
Collectam cupido ferre dedit ſinu;
Dulcis ſarcina, palmis
Evincitur amantibus.
Sic & corda mihi conſcia myrrheo
Sponſus faſciculo, non grave onus, premat;
Telorumque ſalubris
Configat penitùs rigor!
Accerſat geminos huc latices Amor:
Matris lacti inhians, candidus & tener,
Natoque acer inhærens
Flammas ſanguine combibat!

SANCTA SINDON CADOINENSIS.

ODÆ VII.

QVarum petita ſunt argumenta partim ex Beda l. de Locis Sanctis c. 5. partim ex inſtrumentis vetuſtiſſimis Aſceterii Ciſtercienſium Cadoïnenſis. Atque hæc rite omnia recognita publicis actis ſanxit Illuſtriſſ. Ioannes de Lingendes, tunc Sarlatenſis Epiſcopus (quâ in diœceſi Cadoïnum eſt oppidum) ſplendidâque illâ ſuâ facundiâ Sindonem auguſtiſſimam celebravit. Cum autem plura Chriſti fuiſſe lintea ſepulcralia conſtet ex Ioan. Evangelio; & corpore jam excitato ſudarium quod fuerat ſuper caput ejus, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum: hoc ego, Sudarium capitis, ut vocat Beda, funebribus unguentis divinoque ſanguine paſſim oblitum, ad venerationem propono. Religionis antiquiſſimum certiſſimumque monumentum, Galliæ ampliſſimum omnique prædicatione digniſſimum ornamentum. Quod quidem & Maximorum XIV. Pontificum, & Regum, non Francorum modò, ſed Anglorum etiam Aragoniorumque, diplomatis largitionibuſque ſacris jam olim piè magnificeque cultum, Cadoïnenſes tabulæ ex ingenti ſuperiorum temporum naufragio reliquæ, inſigniaque donaria clariſſimè comprobarint.

I.

AD SANCTAM SINDONEM.

Operis Consecratio.

ODE XL.

AUGUSTA SINDON, funebre Numinis
Velumque pignusque, & Syrii memor
    Unguenti, & admixti cruoris
        Nobilibus maculosa guttis!
Cœleste munus, quo pia gloriam
Æquat Sionis Francia; quâ potens
    Felixque prædâ, transmarini
        Servat adhuc pretia ampla belli!
O, quam infulati cum populo Patres
Votis frequentant; aurea Principes
    Cui dona, regalesque pompas
        Magnifico statuêre cultu;
Exile sertum, laureolam sacræ
Nexam cupressi frondibus, ac, tuas
    Juratus in laudes Poëta,
        Cor pariter citharamque pono.
Litat, neque aris sordet inops, Amor
Se dives uno. turicremos focos,
    Greges opimos victimarum
        Præstat, Achæmeniamque gazam.
Et ipse quovis ore cani Tonans
Sinitque mandatque; haud tenues minùs
    Per arva dignatus cicadas,
        Quàm niveos super astra cycnos.

II.

SANCTA SINDON

In Saracenorum delapsa manus, flammisque injecta, miraculo se recipit ad Christianos.

ODE XLI.

HEU, qui te misero Christicolûm gregi
Adversi rapuit turbinis impetus?
Heu, quâ barbaricam sorte tyrannidem,
Sindon regia, sustines?
Ah, lenti nimium, surgite vindices
Probri, Christiadæ! cur Arabum canum,
Velato celebris Numine carbasus,
Fœdis in stabulis jacet?
Vestris, Christigenæ, digna sacrariis,
Sindon Golgotheo conscia funeri;
Vestras illa manus invocat, exteris
Migratura penatibus.
Necdum ex jure pias conseritis manus?
Causæ, judice vel Majuvia *, locus.
Hostis difficili subdita calculo
Vincet causa superbiùs.
At non ambiguæ jus ego Sindonis
(Rex inquit) dirimam. prome domesticum,
Musulmane, sacrum: roboris ardua
Flammam concipiat strues.
Interpres dubii juris, & arbiter
JESUS litis erit. Christiadûm potens,
Custodes placitos delige, & ignibus
Judex testibus approba.
Hæc altè Solymo Rex Arabum foro
Effatus, rapidis injicit ignibus

* Rege Saracenorum, Hierosolymis tunc imperante.

Christi funeream Sindona, barbaris
Elatam penetralibus.
Vasti flamma rogi, comprime, comprime
Undantem rutilis vim temere globis:
Byssum, ô, parce furens inviolabilem
Sævo corripere impetu.
Mirum! sacrilegas nil metuit faces;
Insultatque pyræ byssus, & igneos
Sublimis volitans inter ovat globos;
Auro clarior emicat.
Sic quondam bifidi montis in editâ
Flagrans arce rubus, Numen habentium
Vocalis foliorum, innocuæ sacris
Flammæ fulsit honoribus.
At postquam supero lusit in aëre,
Et suspensa diu pectora civium
Incerto tenuit carbasus exitu,
Orbes orbibus implicans:
Paulatim liquido tramite defluit;
Ac, ducente Deo, certa pias adit
Partes Christiadûm, quò trepidis vocant
Votis fervida pectora.
Cæli judicio, munere Numinis
Victores, Domino plaudite; dum stupor
Saracena premit, dum pudor agmina;
Christo plaudite vindici.
Tanti nempe fuit barbara Sindonem
Captivam redigi sub penetralia;
Quò, jam splendidiùs libera, sic suos
Rursus Christicolas vetat.

III.

SANCTA SINDON

Hierosolymis primùm transfertur Antiochiam; mox è Syria navigat in Galliam.

ODE XLII.

AUDAX in Superos, novi
Titanis Babylon prælia suscitat.
Victis, en, Solymis ferox
Insultat Caliphas; ah, sacra pignora
Et Christi memores notas
Ferro ignique petens. O scelus! ô furor!
At tu, si qua via est, manus,
Sindon Sancta, manus effuge barbaras.
Turbatæ propera sinu
Elabi Solymæ. tutiùs hospitas
Sedes & latebras dabunt
Inscripta Antiochi nomine mœnia.
Mox Europâ Asiam, Syros
Muta Francigenis. Lilia jam Cruces
Inter purpureas micant;
Lecto Christiadûm flos ruit agmine.
Toto velivolis mari
Vindex accelerat Gallia classibus:
An. 1098. Jam victricibus insidet
Signis turrigeras Antiochi domos.
Prædæ pars melior venis,
Sindon, barbaricas exuperans opes.
Magni Romulidûm Patris
Legatus spolium nobile vindicat.
At mors invida Præsuli,
Francis exuvias illa tamen sacras

Ademarus, Anicii Velaunorum Episcopus, in exercitu Christiano Legatus Apostolicus.

Intervertere sedibus,
    Sancti nec valuit martis adoream.
Legati pius assecla,
    Tectum qui niveâ frugis imagine &
Subducti specie meri
    Numen sacrificis vocibus immolat;
Heres pignoris inclyti,
    Vastatis Syriæ finibus avolat.
O tu principe navium
    Argô nobilior, quâ tacitus sacri
Vector longa secat freta;
    I, puppis, fragili depositam alveo
Portans Sindona Galliæ;
    Non lanam rutili velleris auream,
Sed byssum pretiosiùs
    Divini maculis sanguinis oblitam.
Irati fremitus maris,
    Ventorumque truces, ecce, cadunt minæ.
Tutam per vada naufraga
    Syrtesque & scopulos, nec violabilem,
Sanctæ gratia sarcinæ
    Præstabit, Superis rite faventibus.
Cælo sidera candido
    Arrident, placido marmora gurgite.
Auras ætherii cient
    Pennis Aligeri lenè sonantibus.
Sic felix cupidas ratis
    Prætervecta plagas, Massiliam tenet.
Belli ingens pretium sacri,
    Sindon sacra piæ reddita Franciæ.

IV.

SANCTA SINDON

Iterum victrix ignium, Cadoinum deportatur.

ODE XLIII.

Ergo iterum in flammas per tot maris æquora, Sindon,
Venisti, Eoo transfuga infelix solo?
Mitius experta es terris mare. Tethyos undis
Illæsa, terrarum impio exciperis rogo!
Scilicet ut patriæ intulerat Petrochorius oræ
Cæleste Flamen pignus, arcanas opes;
Ædis & obscuram secreta in sede locarat,
Defosso avarus qualè thesauro incubat:
Augustum furiis monimentum invadit, & atros
Tartareus ignes gutture eructat Draco.
Corripuere aras flammæ; jam culmina victor
Populatur æstus, lacerat ambesas trabes.
Tabescunt muri, & vasto collapsa fragore
Jam tecta fœdam clade tellurem obruunt.
Turbidus it fumo glomeratus ad æthera vortex:
Lambunt favillæ sidera, & nubes flagrant.
Qualis ubi Enceladi mentito inclusa sepulcro
Trinacriam vis dira succussit plagam;
Sulfureos Ætnæa vomunt spiracula nimbos;
Aër procellâ squallet horrificâ minax.
Volvitur & piceus commisto pumice torrens;
Abrupta montis viscera in campos rotat.
Sic incensa volant templi fragmenta per auras;
Solumque fervens stravit incoctum cinis.
Quàm bene Orontæâ sedisses urbe, Sionis
Frustra superstes barbaro Sindon rogo!

O breve Gallorum decus, & male tuta voluptas!
Sancta, heu, profanos byſſus in cineres abit.
Sed quid ego hoc autem divinam Sindona luctu,
Vanâque præceps næniâ exuſtam queror?
Illa quidem rapido flammarum involvitur æſtu:
Sedenim æſtuantes byſſus exarmat rogos.
Victricem Solyme, victricem Gallia vidit.
Clarant verendam, non cremant byſſum rogi.
Huc pia Ciſtercî deducta colonia regnis,
Recens propinqui turma Cadoïni hoſpita,
Currite, iô, moniti mira ad ſpectacula Myſtæ;
Auferte ſacræ byſſinum ſacrum manus.
At tu, deprenſum abſumptæ penetralibus ædis,
Cæleſte cui velamen abſenti perît;
Heus, medio intactam buſto, elatamque ruinâ,
Piis repoſcis Carbaſum raptoribus!
Quin Cadoïnenſi potiùs ſuccede ſacello,
Tuam ſecutus, fide Cuſtos, Sindona.
Hæc decus æternum ſurgentibus afferet aris
Gemino ſuperſtes Aſiæ & Europes rogo.

V.

SANCTA SINDON

D. Ludovici, *ſacram expeditionem adornantis, regia peregrinatione piè religioſeque culta.*

ODE XLIV.

JACTA martis alea
Utcunque juſſit Iliæ nepotes
Belluata mœnibus
Efferre ſigna; ſeu dolis & armis
Sævus urbis æmulæ
Furor laceſſat Punicis ab oris;

Sive perfidi nefas
Dirum Jugurthæ vindices repoſcat;
Romulæque gloriæ
Cruore labes eluenda Mauro:
Antè ſupplices Jovi
Manus tetendit Conſul, ut cruentas
Fida per vias comes
Victoria iret, ac Ducem Triumphus
Ora ſub Quiritium
Albis referret inclytum quadrigis.
Grande Franciæ decus,
Aulæque clarum, Ludoïce, ſidus;
Tranſmarina pectore
Dum bella verſas, & Crucis trophæa;
Teſſerâque jam ſacri
Signatus Heros militis coruſcas:
Aulicis cohortibus
Stipatus, ingens huc iter capeſſis;
Aſperæque ſic viæ
Præludis; ac te, denſa quæ minantur,
In pericla providus
Cultuque obarmas fortis auſpicato.
Quæ ſupina Cælitum
Opem invocavit, rite dextra ferrum
Splendidéque moverit,
Inauguravit quam Deus triumphis.
Sindonis ſacrario
I, perge, ſacrum vindica Sepulcrum.
At graves juvat moras
Tantique nodos expedire belli.
Libero priùs freto
Commercium armis explica. Sionis
Inde vincla conteras;
Terramque partâ nobilem ſalute
Soſpitator aſſeras,

Sive

Francis & olim ſplendidam trophæis.
Sive clauſtra barbari
Tentare Nili, ſeu placet Tuneti
Admovere coſtias:
Peluſiamque Punicamque certus
Concutit tremor plagam;
Utrinque palmæ laureæque ſurgunt,
Pulchra gloriæ ſeges,
Victoris enſe demetenda Regis.
Crux ubique conſita,
Tuoque creſcant lætiora cultu,
LUDOÏCE, lilia,
Stellata cæli dona; Barbarorum
Irrigata ſanguine,
Iſtis & aucta moribus nitorem,
Gratiora floreant,
Tertiſque fundant ultimis odorem.
Sin lues ovantibus
Cœptis reſiſtet, atteretque Francos;
Clade major emica,
Tuique, Princeps, Tartarique victor.

VI.

SANCTÆ SINDONIS.

Cultus per nefariam Hæreſeos graſſationem interruptus, ac poſtliminio revocatus.

ODE XLV.

HOSTIS ſacrorum, triſte portenti genus,
Famoſa terrarum lues;
Quam caſta Pietas fugit, & patrum fides,
Cæloque amica Veritas!
Non tu Sabæo templa ſuccendens foco,

Gratis vaporas nubibus ;
Sed, heu, ſuorum cæde fumantes libet
Aras videre Flaminum.
Nec ſolam aduncâ diripis gazam manu,
Votiva templis munera :
Nec ſigna tantùm, fanaq; in cinerem vocas;
Sed ipſa Olympo debita,
Raptans cremanſque, funeri ſuperſtitum
Integra Divûm corpora.
Quin liba cælo miſſa, Cæleſtum dapem
(Nefas !) moloſſis objicis.
Cœco furore Numen, æternam hoſtiam,
Mundi piamen, proteris.
Heu ferro & atrâ Galliam evaſtans face,
Malo triumphas publico.
Quis impia inter arma Cadoïno ſtatus,
Almæve cultus Sindoni ?
Vix, nuda & arcam byſſus exuta auream,
Ungues fefellit hoſticos.
Arx illa patriæ, quæ triumphales dedit
Gallis Tribunos militum,
Fugienti aſylum Sindoni fidum patet
Turrita Bironi domus.
Hîc fama longùm jacuit, & ſanctæ prior
Sepulta byſſi gloria.
At tu, profano quas premis ſedes jugo,
Hoſtis ſacrorum, deſere.
Cede, & barathri mergere in Stygii lacum,
Quæ digna monſtris patria.
Purgata repetat adyta jam Sindon ſuis
Regnanſque ovanſque ſedibus.
Clarum, ecce, nomen revocat, & miraculis
Priſcum refloreſcit decus.
Ut denſiori contumax umbrâ vapor
Cùm ſolis oppreſſit jubar ;

Pallet ſtupetque luce dilutâ gravis,
    Terramque contriſtat dies.
At ſi nigrantem fortè jaculatus globum
    Diſcuſſit ictu fervido,
Cæloque jam ſol liberum & roſeo caput
    Igni comatum ſuſtulit;
Nimbo evoluta, gratiùs ridet dies
    Vibrantis auri lumine.

VII.

SANCTÆ SINDONIS

Encomia.

ODE XLVI.

REGUM ſuperbo murice clarior
Aſtriſque Sindon, quam pius ultimo
    Pollinctor * impendens honori
        Numinis exanimi ſacravit!
Te dives, audens, nobilis, impiger
Quæſivit emptor. ſplendidus huic comes
    Ipſe * ille, qui primùm ſilentes
        Chriſtum adiit timidus per umbras.
At nunc retectis ultro animis cliens
Uterque Chriſti prodit; & impio
    Livore, communique gentis
        Merſum odio veneratur heros.
Mixtos odores, triſtia munera
Largè pararunt; corpus & arbore
    Ungunt ab infauſtâ refixum,
        Nil Solymos veriti furores.
O Mater, ô pars funeris altera!
Letho rigentem dum gremio foves
    Complexa Natum; quot cruentis
        Vulnera congeminata membris,

* Joſeph ab Arimathæa, celebratus à IV. Evangeliſtis.

* Nicodemus.

Et corde totam colligis intimo
Necem, orba Mater; non penitùs tamen
Deserta : & immensi levamen
Hoc aliquod tibi, Diva, luctûs.
Feralis ingens officii decus,
Cultûsque mœsti relligio tuos
Solatur, ô Virgo, dolores,
Auspicium melioris ævi.
Jamtum sepulcri gloria præsciæ
Menti subibat, pompaque gentium
Ventura, sollennesque ad aras
Dona ratis cumulanda votis.
D. Ioannes. Sublecta * Christi munere candida
Proles Parenti, virgineus comes;
Honoris & curâ supremi
Fœmineus comitatus adstat
Ultro allaborans. Interea bibit
Matris decoras subdita lacrymas,
Quæ byssus unguentis natantes
Mox Domini religavit artus.
Hîc ergo sanctum vulnificæ caput
Passum coronæ spicula, sentibus
Jam fronte detractis, quievit?
Compositi jacuere vultus,
Summi refulsit queis Patris eminens
Antehac imago; sordibus oblitæ
Sputorum, & informes probrosis
A colaphis, rigidæque malæ?
Vivæne amoris siderei faces,
Illa, illa Christi lumina, tristibus
Oppressa jam fœdè tenebris,
Hîc gelido accubuere somno?
Imbuta amaris ora liquoribus,
Hîc muta, quondam oracula Numinis,
Sedêre? concretusque inhæsit

Sanguineâ illuvie capillus?
Tot vitæ inanes, non vacuas Deo,
Cepisse felix relliquias, caput
Sublime rerum, mentis almam
Implicuit sacra byssus arcem.
Testes per omnem Sindona lividi
Guttæ cruoris, quasque aloë notas
Et myrrha fecit, quando pingui
Numinis exuvias odorum
Nimbo rigarunt. Jam simul, inferi
Vastator antri, spiritus induit
Porrecta signato sepulcro
Membra redux, stimulumq; victæ
Mortis refregit; lintea vividis
Simul refecti corporis artubus
Amovit, exceptante turmâ
Alite, funereos amictus.
Sed obligando quæ capiti tulit
Primas honoris munere lugubri
Partes, adoratamque Sindon
Circumiit veneranda frontem;
Illam sepulcri rupe cavâ novi
Secretam, & ipso præcipuam situ
Cœlestis involvit Minister,
Ora micans, niveusque vestem.
Quo te colono, quo rear ubere,
Felicis agri filia, tam pios
Crevisse & augustos in usus,
Carbase? frugifero Canopus
Gaudens opimus diluvio, & satu
Cultuque Nili, te viridantibus
Crearit arvis? an superbâ
Extulerit Syra glebâ messe?
Quâ fas laboratam artificis manu,
Textam officinâ dicere? Cælitum

O cura, ſacratæque mirum
Artis opus, duplicique limbo
Prætexta Sindon! Tu Superi necem
Vitamque Regis conſcia poſthumam
Teſtâre: tu, qualem * Britannus
Beda refert, Cadoïna Sindon.
Tu pulchra litis materies piæ,
Quæ Chriſtianis in Mahometicas
Certata turbas; quam * Toloſa,
Quam Lemovix agitavit ora.
Proh quanta rerum gloria! Te duplex
Probavit ignis: tu gemini rogi,
Lethique morborumque victrix,
Mille potens titulis triumphas.
Non ipſe tantùm, vi propriâ valens
Magnes, ſuperbis imperioſior
Aurique & argenti metallis,
Per ſe agitat domitatque ferrum:
Sed quidquid affrictu imbuerit levi;
Impreſſa virtus reptile pertrahit
Ferrum: & catenatos ſine ullo
Aſpicias per inane morſu
Pendere longis tractibus annulos,
Prior ſequacem dum tacito alterum
Nectit vocatu. nil tenaci
Vis eguit ſocialis hamo.
Sic ille ab alto myſticus æthere
Lapis, benignam corpore vim ſacro
Affudit & certam bonorum
Illecebram pretiumque Chriſtus.
Ceſſante dextrâ nec minùs efficax,
Et voce nudâ, & ſimplice fimbriâ
Sanabat olim: veſtiumque
Cuncta pio mala pulſa tactu.
Hinc gratiarum ſoſpita copiam,

* Octo pedes longam &c.

* Objecto metu, ne ab Anglis raperetur; Cadoïno Toloſam, ac ſubinde in agrum tranſlata Lemovicenſem: utrobique honore ſummo habita, nec niſi ſummâ contentione à Cadoïnenſibus recepta.

Sindon, refundis. Cingula ſeu tibi
Admota contrectant, vel aras
Supplicibus coluere votis;
Præſens in ægros emicat, artibus
Tentata fruſtra Pæoniis, ſalus.
Feſſis laborantum malignæ
Artubus incubuere febres?
Tu ſparſum in omnes ſanguinis alveos
Reſtinguis ignem. per populos lues
Graſſatur, exhauſtaſque in urbes?
Vindice te ſuperata peſtis,
Mors ipſa fugit. Nam quid ego hîc tuo
Linguæ renarrem vincula munere
Soluta, facundoque mutos
Ore tuas ceciniſſe laudes,
Audita ſurdis carmina; dum novum
Stupent recluſis luminibus diem
Ridere cœci, teque viſâ
Primitias capiunt recentis
Fructumque doni? Quin etiam truces
Nigrâ tyrannos è Styge, corpora
Inſeſſa torquentes, revincis
Sulfureas abigens ſub undas.
Te * Vaticani relligionibus
Sanxere biſſeptem ordine Præſules:
Te ſæpe donis purpuratus
Regificis peregrinus auxit.
Te ſena Francis ſecula jam vident
Florere terris, publica gentium
Tutela, protecti Clientes
Quâ Proceres populique, Sindon;
Sic, ô, decoris clarior in dies
Splendeſce nævis! ſic age Franciam
Tuere; ſic rurſus per omnes
Chriſtiadas tua fama currat!

* Clemens III. &c. Paulus III. deceſſorum ſuorum diplomata recenſuit & confirmavit.

Et quæ faventum munere Cælitum
Beata SANCTAM Francia SINDONEM
Servavit, addicto Sepulcro
Et Solymâ potiatur arce!

EPICITHARISMA
SERENISSIMO DELPHINO.
ODE XLVII.

Ode ad Sereniss. Delph. Genethliaca in aditu Lyricorum.

MAGNI deliciæ Patris,
Spes, DELPHINE, tuæ curaque Franciæ;
Primus tu fidibus labor
Et prædulce meis auspicium & decus:
Jam longo emeritæ sono
Te summis referent carminibus fides.
Stet Natalitiis honos:
Regnent Aonio lilia vertice,
Lætis obsita laureis,
Æternoque tibi vere nitentia.
Sic tu, candidus aspici,
Florentem studiis, moribus integram,
Formâ corporis explicas
Insignem & niveâ mente puertiam.
Franci nunc decora imperî,
Laudes & patrias, scilicet & tuas,
Ac vatem placidus novo
Experti radio luminis imbue.
Chartas * nam facili manu
Dignatus graciles nuper, & ingenî
Aspergens nitidum jubar,
Artis nota probas Castaliæ sacra.
Musæ quâ tenues modos,
Libatæ specimen grandis adoreæ
Præmissum obvius excipis,

* Oblatum in anniversariam Natalitiorum gratulationem, regiæque Pueritiæ Exercitationes libellũ.

Audacem ſtimulat Gratia barbiton;
Pleno provocat agmine,
Quot ſubjuncta tuis carmina laudibus.
Hinc & læta ſeges tibi
Accreſcit, meritis ſpargere frondibus
Tento dum Proceres, tuis
Nexos obſequiis, ſplendida nomina:
Et quâ plurimus emicas,
Auges ipſe tuos, inclyte, gloriâ.
Doctis ut redimicula
Contexunt ederæ debita frontibus,
Amplexu priùs hîc tuos
Circumſerpere amant non humili pedes.

ANNIVERSARIA GRATULATIO IN REGALIBUS NATALITIIS LUDOVICO GALLIARUM DELPHINO

CAL. NOVEMB. AN. CIↃ. IↃC. LXXIV.

Ætat. XIV. feliciſſime Auſpicanti.

ODE XLVIII.

GEMMA notatus jam niveâ dies,
Et liliatis conſpicuus redit
Faſtis; neque unius voluptas
Ille dies, honor ille ſecli;
Spes ampla rerum. Creſcis Olympii
Delphinis aſtro pulchrior aureo,
Noviſque Natalem coronas,
BORBONIDE, radiis ſuperbum.
Vix te ſub auras luminis editum

Vidêre, blandâ cùm properæ chely
Ortum salutarunt Camœnæ;
Primitias cecinere laudum.
Chori ipsa princeps; &, meus es, Puer
Auguste, dixit Calliope, & manum
Injecit; ornavitque mentem
Pervigili studiosa cultu.
Summi elaborat Gratia muneris
Consors, & artus dædala regios
Finxit; palatinosque suavis
Agglomerat Genius Lepores.
Tanto ministræ circùm operi vacant
Artes, biformi Gloria quas agit
Satellites aptas Minervæ,
Paci habiles, rapidove bello.
Nil otiosæ passus inertiæ,
Ludisque tantum sceptra decentibus
Qualemque Alexander palæstram
Ambierit, LODOÏCE, gaudes.
Sic eruditum, sic alacrem excipit
Te, sancta Regum jura puertiâ
Qui solvit * annus. fixa plebi
Franciadas neque meta Reges
Tardavit. Ætatem antevolat tuæ
Matura, præcox, vis sapientiæ;
Molles & artus durat acer
Iste animus, propiorque Divis.
Vibrat, sed alti non temere ingenî
Erumpit ardor: nec puerum sonant
Nata ora Suadæ. splendidum Orbi
Prodigium sine more surgis:
Ac gestientes jam populi stupent
Dignum Parentis numine Principem.
Communis exultat stupori
Mixtus amor, patriæque plausus.

* Annus XIV. Franciæ Reges tutelâ eximit.

En Aula ſeſtis ridet honoribus;
Gratantum adorat crebra clientium
Caterva, ſollennemque fervet
Officiis agitare lucem.
Doctis laborant interea modis,
Caſtiſque amores illecebris tuos
Captant, honoratiſque Muſæ
Purpureum ſtudiis Alumnum
Lætæ remulcent. Qui tibi * Galliam,
DELPHINE, Vates gemmiferas ſtitit
Feſtinus ad cunas, beatos
Augurio meditatus annos:
Jamtum dicato, nec ſine laurea,
Idem ecce plectro dulcia nunc refert
Tributa; partæ vota laudi
Sollicitâ pietate nectit.
Par evolutis aut melior tibi
Annis refulgens, limina cui ſacræ
Pandunt Calendæ, jam recenti
Annus eat ſpecioſus auro;
Pulchrave mites Pace oleas ſerens,
Denſaſve claris addere liliis
Palmas amicus, Belgioque
Ardua perdomito trophæa.
Ut victa Magno Sequana gens Patri;
Ut Dola, crudo robore contumax,
In caſtra provecto ferocem
Viſa tibi poſuiſſe faſtum;
Ut Rege fractos auſpice diſpulit
Condæus hoſtes; nec ſemel aſperas
Turennus attrivit catervas:
Uſque novi ſubeant triumphi,
Urbeſque genteſque ambitioſiùs
Sub jura cedant Francica. Te duplex
Phœbique Gradivique, PRINCEPS,
Certet ovans redimire laurus.

* V. Heroic. l. 4. & Oden

EXCELLENTISSIMO

CAROLO SAMMAUREO

DUCI MONTOSERIO,

SERENISS. DELPHINI GUBERNATORI.

ODE XLIX.

DUDUM regendis quæ populis manus
Assueta, MAGNI Progeniem regat,
Dignumque DELPHINUM Parente
Perficiat, patriæque votis.
Latè decoris functa laboribus,
Hæc illa summo dextera muneri
Prælusit, & claros per usus
Emeriti Ducis acta cura.
Testis perenni laude Carantonus;
Seu quà Incolismam flumine prænatat
Errans amœno, fontis instar,
Et vitreâ taciturnus undâ;
Præpingue seu quà Santonis irrigat
Arvum coloni. Nec Ducis immemor,
Ferrata Rhenus tauriformis
Cornua fronte gerens minaci,
Vidit, Brisaci Vimmario additus
Heros ut arces vicerit arduas;
Virtute nec partam minori
Strenuus Alsatiam tueri.
Prorege felix Neustria, & arbitro
Superba rerum ! sed populis Ducem
Invidit, affixamque ut Astro
Borbonio tenet Aula Mentem.
Duris probatam temporibus fidem
Dignâ quis æquet laude? quis inclytos

Seu pace, ſeu bello labores,
Ingeniique animique lumen?
Vexilla ovanti rapta canent manu,
Denſos per hoſtes fulmineo impetu,
Per tela rumpentem ſecutæ
Pegaſides, ſua turma, Nymphæ.
Et Martiorum inſignia vulnerum,
Queis larga in ævum gloria fluxerit,
Dicent, inundans purpuraret
Cùm ſaturo chlamydem cruore.
Sed lætiori pectine concinent
Decuſque & artis præſidium ſuæ;
Novoque Mecœnate priſcos
Aoniæ referent honores.
Muſas & olim magnanimi Duces
Colunt in armis, & lituis lyras
Vatum remiſcent. viva mutis
Carmina dant animam trophæis.
Doctâ ipſe condis, Montoseri, manu
Æterna, duris nec latebris adhuc
Premenda, quæ Phœbus repoſcit,
Caſtaliæ monumenta laudis.
Virtute Delphinum, ac ſolidâ imbuis
Fingiſque vitâ clarus, & aulicæ
Lepore florentem palæſtræ, &
Artibus imperii ſupremis.
Nec pignus altæ certius edidit,
Quâ librat orbem Rex, ſapientiæ;
Juſtive, ſpectatos coronat
Quo Proceres, ſpecimen favoris;
Quàm te regendæ cùm Soboli Pater
Admovit; & ſpes ipſe ſuas, decus
Præſentis, exemplum futuri
Ante alios tibi credit ævi.

AD ILLUSTRISSIMUM
JACOBUM BENIGNUM BOSSUET
CONDOMENSEM EPISCOPUM, SERENISS. DELPHINI PRÆCEPTOREM.

ODE L.

Poëtices amorem ſtudiumque Principes decere.

VANUS Chimæræ magnificæ parens,
Urbiſque formam non imitabilem
Molitus autor, quem loquaces
Cecropidûm tenuere ſilvæ;
Vatum, gravatam crimine non ſuo,
Artem ſeveris legibus arceat,
Ipſumque donatum coronâ
Mœoniden fragili relêget.
Non ſic, Eoï maximus imperî
Latæque victor Perſidis; inclyto
Gratatus æternas Achilli,
Invidiâ ſtimulante, laudes.
Caro incubantem debita carmini
Regem fovebat magnanimum quies:
Gemmata * Rex vati ſacravit
Barbarici monimenta luxûs.
Major triumphis gloria carminum
Poſt longa clarat ſecula Cæſares:
Dextram nec Auguſtos pigebat
Laurigeris adhibere plectris.
Magnus capaci Gallica qui manu
Et ſceptra junxit Romula Carolus,
Suaves palatino recepit
Hoſpitio ſolioque Muſas.
Ut quemque Famæ, ſic & amor ſacræ

* Alexander M. Darii ſcrinio capto.... inquit, *librorum Homeri cuſtodiæ detur* &c. Plin. l. 7. ſ. 29.

Tangit Camœnæ. fœnore providus
Multo repenſandos honores
Prærogat, illecebras favoris.
Agnovit, & jam Pieridas probat
Colitque Princeps, ille tuam datus,
Antiſtes, in curam, per altas
Ille tibi expoliendus Artes.
Delphina mulcet cantus, & allicit
Per ſtagna lætum accurrere cœrula,
Vateſque ſervare. hinc Arion
Attonitis equitavit undis.
Permeſſo amœnùm ludere geſtiens,
Aut Hippocrenes dulcibus innatans
DELPHINUS exultanſque lymphis,
Aonio trahitur canore.
Cognata magnas temperat & rapit
Mentes Poëſis, myſticus entheæ
Concentus auræ, pura blandis
Inſinuans numeris voluptas.
Ingentem Alumnum certo alacrem pede
Cirrhæa ducis ſub penetralia;
Tuoſque miraris beato
Ingenio ſuperare cultus.
Seu, quos vetuſtas candida principes
Inter Quirinæ lumina purpuræ
Sacravit autores, revolvit
Præſide te; Latioſque Franco
Phœbi Miniſtros ore docet loqui,
Noviſque inaurat priſca leporibus:
Seu parva contrectans dicati
Munera nobilitat clientis,
Suæ ipſe laudis conſcius, & ſagax
Interpres: ô quàm pulcher amabili
Fulgore Parnaſſus renidet,
Ætherium aſſimulans Olympum!

O, qui Poëtas nunc aget impetus!
Quàm lætus ardor, plectra ubi Regius
Puer capessit, jamque ovanti
Laurum avidus legit ipse dextrâ!
Simul Poësi copia Gratiæ
Cuncta enitescit. floribus hinc tener
Exurgit, illustrisque & ardens
Corda agitat domitatque sermo.
Flexus per omnes prævius Artium,
DELPHINO & umbram discutis, & tuâ
Spectabile accendis per orbem
Luce jubar, roseumque sidus.
Te, quem coruscas ore pio faces
Vibrare, festis non sine plausibus
Sensitque, regnantemque sacro
Eloquio celebravit Aula;
Hic te vel unus, dum cupidus tibi
Museo in alto BORBONIDES vacat,
Bearit auditor, superbâ
Hic Procerum potior coronâ.
Tua illa doctis perque manus volent,
Perque ora, chartis aurea pignora:
Libris hiantes præstat unus
Hic Proceres populosque lector.
Princeps Magistrum scilicet altiùs
Extollet; ac te jam super æthera,
Crescente doctrinâque & almâ
Egregius pietate, vexit.
Augusta quondam sceptra dabit Pater;
Tu das mereri. partibus artifex
Divinus absolvis futurum
Rite suis cumulasque Regem.

LEONARDI FRIZON

E SOCIETATE JESU

POEMATUM PARS QUARTA,

SILVARUM LIBRI SEX.


ERUDITO LECTORI.

ETSI velocitatem nimiam styli, rebusque temere congestis levitatem probare Fabius non potuit; sequendos tamen interdum affectus idem sanè prudenter admonet, in quibus ferè plus calor quàm diligentia valet. *Quod si locum in Oratoribus habet, multo certe amplius in Poëtis, qui propria mentis vi & quasi divino spiritu concitentur Felices profectò, qui scribunt ex tempore perinde ac si fuerint diu meditati: aut quibus justa meditatione curaque sic expeditum absolutumque carmen est, ut, politissimum cùm sit, sua tamen sponte, labore nullo, natum fusumque videatur. Ego verò cum neutram mihi gloriam scriptionis arrogem; veniam à te potiùs, Erudite Lector, quæsivi, cùm hanc meorum carminum partem quartam, Silvas inscripsi; quod est operum festinatorum nomen, à Statio crebrisque aliis & veteribus & novis usurpatum autoribus; librisq; e suis, non veritatis, ut opinor, studio magis quàm modestiæ præscriptum. Atque huic titulo subjicere mihi quidem licuit superiorum etiam partium Heroïca Lyricaque plurima, quæ paucas intra horas effusa in lucem publicam Principumque manus venerunt. Sed tamen hujusmodi non sine ratione delectus & ordo est institutus: ac nonnulla, quæ locum sibi facilè in Heroïcis vindicarint, eorum perfectâ jam editione succreverunt. Iam primo & altero libro res temporum nostrorum insignes canuntur. Tertio Colores dialogus exequitur. Ceteris promiscua, neque, ut spero, ingrata occurrent argumenta. Et quidem ludicra multa intexta; si non gloriam, quam Plinius ingeniosis tribuit lusibus, æquè ac seria consequentur; oblectationem fortasse parient non illiberalem, neque ab ingenua utilitate sejunctam.*



SILVARUM
LIBER I.

AD CLEOBULUM,
LAUDES
PRINCIPUM SERENISSIMORUM
CONDÆI ET ENGUINEI
POETÆ CANENDAS OFFERENTEM.



PRINCIPIBUS jurate Cliens, Natoque Patrique,
Amborum æternas avidus diffundere laudes
Quò tenuem, CLEOBULE, vocas urgesque Poëtam?
Tu bello in medio Batavas oblata per urbes
Carmina CONDÆO, peregrinaque dona benignus
Objiciens ultro, tacitis hortator agebas

Sæpe modis, rursum & studiis confessus apertis.
At non tarda mihi, & stimulis agitanda voluntas,
Si modò, quas fingis, tanta in præconia vires
Sufficiant, placitis & vox respondeat ausis.
Scilicet Heroëm teneris miratus ab annis
Borbonium, juvenemque puer; vix tela ciebam
Prima rudi Phœbea manu, cùm lætus ad arma
Principis exarsi, & lituis plectra æmula movi,
Regia dum toto Rupes Helicone sonabat,
Primitiæ ingentes, & digna exordia Martis.
Mox Pindi laureta jugis, silvamque perennem
Friburgum, Nortlinga, sequacibus ordine pugnis,
Absumpsere; simul torrens, non singula carptim
Oppida, sed totas rapuit Victoria gentes.
O quoties alacri testatus gaudia plausu,
Claustra maris, Dunkercam, atq; ardua castra Philippi,
Lentiacasque acies, & adactum in vincla Mosellam,
Edomitum Scaldim, atque infractum cornua Rhenum,
Teutonas, Hesperios, Belgas gratabar, & uno
Marte triumphatos, Franci quot nominis hostes!
Quà se cunque dedit cupidæ via libera voci,
Fervidus arripui laudes; insigniaque alti
Nomiuis ambivi, chartasque ornare superbis
Luminibus factorum, & ovantes Principe Musas.
At solido, fateor, plenas invadere laudes
Carmine, per mediosque vehi, Cleobule, triumphos
Quadrijugo curru, sollennis & agmine pompæ,
Non antè expertus; seu fors tempusque locumque
Invidit, campumque ingentem aversa negavit;
Sive impar oneri, & vastæ fiducia moli
Defuerit. justos nec jam Pæanis honores
Aggrediar, fessæ requies ubi nulla Camœnæ,
Præscriptique instat series operosa laboris.
Tum nimiæ fugiens lucis pudor; ipsaque fontis
Aonii ductu si qua est opulentia venæ,

Hîc obstructa, hærens, brevibus subsideret undis.
Et quisquam temere sublimi carmine Vates
CONDÆI affectet magni fastigia? Nec me
Tam Regalis apex Fortunæ, & gloria Martis;
Phœbeæ quàm lucis honos, ac vivida mentis
Vel doctis metuenda acies, ut fortibus ensis,
Movit. & audaces oculorum fulgura terrent.
ENGUINEUM geminæ consortem laudis & artis,
Ingenio pariter florentem animoque, Parenti
Hinc atque hinc Natum assimilem, miracula famæ,
Audieram, & dudum cecini. Lætissima talem
Francia suspexit; pavidus talem approbat hostis:
Fulmineamque armis agnovit Belgica dextram;
Hispani sensere animos, sensere Batavi.
Sensimus ingenium, atque usu stupet icta recenti
Conscia Pieridum, suscepto Principe, sedes.
Audieram longe famam decora alta sonantem:
Nunc ipsum juxtà suspensis auribus, ipsum
Coràm oculis haurire datum est, cùm splendidus hospes
Intima Dux Clari subiit penetralia Montis.
En turbæ facilem sese, grandisque remoto
Fortunæ strepitu, privata fronte remiscet
Augustus Regum Sanguis! quàm mutua blandus
Conserere alloquia, & miro condita lepore!
Principe nam dignus, facundo gemmeus ore
It nitor eloquii, puroque micantior auro.
Quas, ô, delicias civili munere Vesper
Candidus, & quantos Parnasso invexit honores!
Suavibus illecebris ut sacræ impensa Cohorti
Pignora ceperunt animos, penitusque revinxit
Æternùm obstrictos meriti vis blanda Sodales!
Sic Lojolææ cumulans jam stirpis avitum
Et patrium HENRICUS Natis transfundet amorem.
Hinc quoque (gratantes si Musas audiet orbis)
ENGUINEUM, ad tales ultro descendere cultus

Sereniss. Ducis officiosus in ædes S. J. Claromontanas adventus pridie Idus Febr. an. M. DC. LXXIV.

Dignatum, excipiet venturis gloria seclis;
Regius & latè populis celebrabitur hospes.
Virtutesque Artesque Ducis, Cleobule, renarras;
Justitiæ quàm verus amor, quæ cura decori;
Mitibus imbutos studiis ut pectore servat
Egregiè memori fructus, & acuta Lyceï;
Largus ut officii Princeps dictisque benignum
Explicuit factisque animum. Sic dextera linguæ
Consona mulcere, & donis excurrere gestit.
Seriaque ingenuosque sales matura juventus
Temperat: exuperansque annos Prudentia, raro
Virtutum sociat disjunctas fœdere partes.
Assiduos, Cleobule, tibi spectata per usus
Tanta refers; nec tu surdo canis inclyta facta.
Omnia quæ meditans numeris explere canoris
Optarim, dexter si quando adspiret Apollo;
Inque novam heroï molem quæsita laboris
Otia sucurrant Vati, quem proxima rerum
Spes acuit, festoque jubet proludere cantu.
Ampla seges laudum: jam Belgica terra triumphos
PRINCIPIBUS, lætisque parat nova carmina Musis.

ILLUSTRISSIMO

JOAN. DIONYSIO LESTONACIO DAULEDE,

SENATUS BURDIGALENSIS PRINCIPI,

De suo Epigrammate gemino

In silvam superiorem, & Protrepticon adversus Turcas.

TUNE etiam, DAULEDE, novis urgere Poëtam
Aggressus stimulis, Cleobuli fautor; & altas
Carmine CONDÆI laudes tentare superbo,
Audacique jubes laurum sperare Camœnæ?
Judice te, quisquam valeat certare Maroni,
Communique Heroa canens æquare triumpho!
Quin age, purpureo qualis spectandus amictu,

Juris amans, Legumque potens, ſublime tribunal
Scandis Aquitani Princeps auguſte Senatus;
Exere vim juſtæ, conſueta oracula, mentis.
Quantus & Aonii ſuperas faſtigia collis;
Seu Latios inter medium conſidere Vates,
Seu Franco inſignem placuit procedere cultu;
Huc acres intende oculos, animumque ſagacem:
Neu blandæ nimiùm voces, & prodiga laudis
Officia immeritum fallant, tua dona, clientem.
  Nam quis inacceſſos æquarit Phœbus honores
Principis invicti; quo ſe Duce Francia, quantum
Pelláve Alexandro jactat, vel Cæſare Roma?
Nec verò Muſas (ceu crudo barbara Marte,
Neſciaque ingenuas manſueſcere corda per artes
Sæpe rigent) durâ CONDÆUS mente repellit.
Palladio eductus gremio, faciliſque Camœnas
Suſcipit: ac morbo nuper vexatus acerbo,
Jam tenuem optabat repetito carmine ſilvam;
Jam rapido citharæ modulatos pectine verſus
Auribus exceptans placidis hauribat; & ipſe
Viſentum in cœtu Procerum, quâ voce feroces
Accendit lituos, animam vimque addere plectro
Dignatus, creberque ultro prælegit, & acres
Ingenii vibrans radios, delecta notavit.
  Atque utinam tanto exuperans *Crux* vindice regnet
Chriſtiadûm, Ottomanoque rubeſcens ſanguine *Luna*
Deficiat: ſed quem affingis, mihi carmina fulgor
Allinat, armatiſque imitetur Oriona flammis.
Te verò ingentem, Præſes, moderante Senatum,
Juſtitiæ famâ doctrinæque inclyta creſcit
Gloria Burdigalæ; cui longè ſplendida curvo
Littore procurrit, tumidaſque amplectitur undas,
Oceanum quæ Luna ſinu rapidumque Garumnam
Concipit, & portu peregrinam divite claſſem.
Dividit hinc geminos DAULEDI nomen in orbes.

EPINICION,

CUM SIGNA MILITARIA C. VII.
POST SENEFENSEM VICTORIAM
HEROIS CONDÆI PRINCIPIS,
AB CHISTIANISSIMO REGE
LUDOVICO MAGNO
MARIÆ
CÆLI REGINÆ, FRANCORUM PATRONÆ
DICATA,
PARISIENSI BASILICÆ APPENDERENTUR
AN. M. DC. LXXIV. XI. CAL. SEPT.

BELLIPOTENS Virgo, cui regia ſervit O-
lympi,
Et ſacra jamdudum regali Francia voto
Sollennes Patronæ agitat, Cælo æmula, pompas;
Aſpice, quos acie partos LODOÏCUS honores
Te Duce victor ovans; quæ templo inducere gaudet,
Ipſe tui conſors, ſpectacula clara, Triumphi.
Non aliàs majore fremens Lutetia plauſu
Geſtiit, auguſtaſque tibi confluxit ad aras.
Accipe Borbonii monumenta & pignora cultûs;
Fulmineâ quæ ſigna manu CONDÆUS Ibero,
Quæ Batavo extorſit, Germanorumque catervis,
Tergeminos unus ſuperans Dux inclytus hoſtes.
V. Lyric.l.III. Od. XLIV. Proh, quibus hæc animis, quanto decora alta labore
Principis invicti, quàm ſævis rapta periclis!
Vos, Belgæ, teſtes, & quondam ignobilis ora

Senefi, totum famâ celebranda per orbem;
Horrificæ, immanis, qualem nec longa tulere
Secla, trucis pugnæ regio, palmæque cruentæ
Dura parens, fumanſque hoſtili clade theatrum.
  Borboniden primo ſpectavit Phœbus ab ortu
In caſus arrectum omnes, dum caſtra moverent
Teutones, Hiſpani, Batavi; ſocialiaque arma
Cominus explorare, acrique laceſſere bello:
Vidit, jam medium cùm ſcanderet arduus axem,
Per miſtas rumpentem acies, per tela, per ignes,
Cædere ad extremam rapidum trepida agmina lucem.
Conſumpto generoſa die nec vincere dextra
Abſtitit, & noctem in mediam mavortia facta
Porrigere, & factis creſcentem ad ſidera famam.
  Conſiliine Artiſque priùs vibrantia dicam
Lumina? quàm præſens, caſus quàm provida in omnes,
Mens ſecura Duci; &, tacitâ ceu pace, tumultum
Inter & arma, ſuo libratam pondere ſortem
Verſare ac ſubitis occurrere certa periclis?
Heroiſne animos, atque imperterrita mirer
Pectora? non galeam, aut ferro thoraca rigentem
Induitur. levis in tenui bombycis amictu
Tot ſeſe adverſum cataphractis millibus infert.
  Qualis erat fronte in primâ, quantuſque cohortes
Ductor agens, mileſque! ruit per iniqua locorum;
Voce, manu pugnax volitat: juſſa ardua firmat
Prævius exemplo, mollitque aſperrima rerum.
Fulgurat idem oculis, & dextrâ fulmina torquet.
Imperiis tantoque ferox ſeſſore ſuperbùm
Naribus igneſcit patulis equus, armaque calcat
Inſultans; miſtos ſpumis agit ore cruores:
Et fati ſenſu credas geſtire decori.
Nec ſonipes longi rapidos certaminis æſtus

Duravit. ferrique inter flammæque procellas
Succubuit, crebro perfossus vulnere, triplex
CONDÆI bellator equus, vitamque profudit.
Uni etiam (horrendum !) tormenti turbine truncæ
Immanique abrepta globo, ceu fulmine, crura.
Ah, quem vel ferrum extimuit, vel flamma refugit,
Collapsâ ne mole premat Dominumque peremptus
Exitio involvat quadrupes ! Tibi nempe sub omnes
Impavido casus (nec movit tibia duro
Bis contusa ictu) pulchri causa una timoris.
Hæc fuit, ENGUINEE, hic solus discriminis horror.
Sic tua, sic rigidis Pietas splendescit in armis.
Proximus ut patrio lateri, nec degener ibat
CONDÆO, paribusque assurgens Filius ausis;
Unus opem invicto meruit præstare Parenti;
Egregio par Scipiadæ. Sed clade Quiritum
Ille patrem eripuit, victorique abstulit hosti:
Tu cursu in medio palmaris & ordine pugnæ
Magnanimo vindex aderas, HENRICE, Parenti.
Ac tali intentum quæ te, fortissime Princeps,
Officio violat, minus improba plaga cruoris
Quàm decoris parit; & summæ jam præmia laudis
Digna tulit. Factumque probat, risuque sereno
Gratatur Genitor, casu inconcussus; & hosti,
Mutatô sublimis equô, spectabilis Heros,
Acrior instat agens, extremumque obterit agmen.
At non extremi clades una agminis implet
Ingentes animos. ultrà tenditque premitque
Proturbatque aciem : & primæ dant terga phalanges.
CONDÆUM quis tardet obex? Nec simplice pugnâ
Res agitur, solitove paratur gloria campo.
Hîc cunctæ belli facies, hîc omnia tela.
Obsidio, assultus, peditumque equitumque remisto
Concursu latè fervent. hîc arcta viarum

Impediunt : hîc fœda palus uligine fallit :
Hîc fossæ, hîc rapido torrentes gurgite inundant:
Hîc silvæ, hîc sæpes : suggestuque edita collis
Densa globis tormenta tonant, piceâque tenebras
Nube cient : muris hostem castella tuentur.
Franciadas sedenim frustra numeroque locoque
Exuperans, vim, fraudem agitat. Virtusque Furorque,
Quidquid Iber, quidquid Batavus cum Teutone versant,
Concidit : & placitâ regnat CONDÆUS arenâ.
  Sanguine jam rivi spumant, pinguisque cruore
Stagnat humus : vastis horrent castella ruinis;
Huc, illuc disjectæ ædes, latebrosaque septa.
Mille necis facies, horrendæ stragis acervi.
Corporibus stratæque viæ, silvæque domusque,
Immensique latent campi, squallentiaque arva.
Tot demessa jacent victricibus agmina telis!
Captus & Hispanos summus qui Ductor * agebat; * Assentarus Marchio.
Vulneribusque infixa gerens fata ultima, castris
Oppetiit Francis, curas expertus amicas
Victoris, stantique gravis mitisque jacenti.
Interea trepido sub mœnia tuta receptu,
Qui superest, fugit incertis exercitus armis :
Ceu caudâ mutilus cæsâ se proripit anguis,
Nequicquam & varios lacero dat corpore flexus.
  Jam tumet exuviis miles, laudisque beatus
Parte, Ducem invictum celebrat; quo Principe fretus,
Exultansque animis, & non superabilis, acri
Ambierat pugnam voto. Quàm splendida præda!
Quot currus! quæ gaza! Ducum quàm lauta supellex,
Haud parcâ direpta manu! vix Gallica tantæ
Turba capax prædæ. Tercentum incendia currus
Jussa vorant, festisque rogis præludere visa;
Qualibus accensas passim rutilare plateas
Aspicimus flammis hilares, dum tota remugit

Bombardis alacrique ſonat Lutetia plauſu.
Mox aliæ excipient ſtudiis certantibus urbes
Publica lætitiæ & juſti decora ampla triumphi.
Pompæ aderat tranſmiſſa ſeges, ſi Francia priſco
Auſonidûm evinctos ritu protraxerit hoſtes,
Splendida ludibria & vivi ſimulacra trophæi,
Tot captos gente ex triplici Proceresque Duceſque.
Regali ſpecioſa tenet cuſtodia caſtro,
Vicennæ ſeptos circùm nemoralibus umbris:
Spargitur & varias, quæ plurima turba, per arces.
At vano parcit victos illudere faſtu
Francia. quin placidum & captis ſpectare triumphum
Sponte dedit, quà Regis iter, quà libera turba.
Quinque adeo, tituliſque Duces & ſanguine primi,
Clade nec indecores, & crudæ vulnere pugnæ,
Adſtabant Francæ teſtes virtutis; & ultro
Prælia narrantes, generoſâ laude favebant;
Pulchraque, dum ſpectant, ipſi ſpectacula præbent.
Ipſe etiam Batavûm rector, pars optima pompæ,
Venerit Auriacus, ni denſo ex agmine raptum
Alipedis fuga ſervet, & hoſtica lumina fallat
Imperii abjectum decus atque inſigne ſuperbum,
Inventam largo miles quam vendidit auro,
Faſcia. Vexillis potiùs conjuncta, ſub aras
Sternatur; dehinc templo altè ſuſpenſa niteſcat
Captivas Aquilas inter captoſque Leones.
Quæ tu, Diva Parens, Lodoïci Regia dona
Suſcipe; totque inter fulgentia ſigna, ſacratis
Digna tholis admitte. Tuo Rex numine victor,
Clara adytis monumenta piiſque aggeſta trophæis
Ipſe ſuo erexit toties quæſita labore.
Auſpiciiſque ſuis, cognato à Principe nuper
Tergemino detracta hoſti ſpolia inclyta, centum
Ecce tibi vexilla ferens, tua munera reddit.

Astra supervectæ * quo tempore Franca triumphum
Patronæ instaurat Pietas; nova gaudia festæ
Rex urbi, temploque novos cumulavit honores.
Ergo age, & augustum, Cæli Regina, Clientem,
Borboniamque Domum, populosque urbesque tuere,
Ac Duce Condæo semper victricia castra.

* Ipsa die octava B. V. Assumptæ sacra.

TERRÆ MOTUS AQUITANICUS,

præsertim ad Pyrenæos,

Mense Junio AN. M. DC. LX.

Quis tremor iste novus, quidve hæc insueta minatur
Tempestas! nutare solum, totisque moveri
Parietibus visa ecce domus: pendetque gemitque,
Ceu fluctu jactata ratis, firmissima moles.
Talia quærebam, & stupefactâ mente morabar
Cælestum pacem exposcens, dum perfida tellus
Nescio quæ subito meditatur fata tumultu.
At trepido brevis ut Motûs defuncta periclo
Omnia conticuere, domusque agitata resedit:
Protinus ille, animum qui tunc pulcherrimus Hymen
Dulcibus implebat musis, & ovantia latè
Gaudia narrabat, ridenti talia vultu
Subjicit, & dictis tremefactum illudit amicis,
Dextrâ oleam myrtumque gerens, & fronte coronam.

Motus hic sub Regis Nuptias & digressum à Pyrenæis contigit.

Quid nova te rerum turbant miracula, Vates?
Nunc & cernendi rutilant impune cometæ,
Et centum ludens in formas vertitur ignis:
Mentitos æris tonitrus, simulataque volvit
Fulmina, pulvereas inter candentia nubes.
Personat & geminos Triton circumvagus orbes;
Cantabrici spectata maris quæcumque per oras,
Congressusque sacros narrans & fœdera Regum:
Quo cantu posuisse undas, ventosque renident

Gadesque Baltisque, & jam non ultima Thule;
Aëre nunc toto pluit aurum missile donis;
Cunctaque lætitiæ sensus elementa peragrant.
Ne dubita, tremot inde solo: micat excita Tellus
Lætitiâ; exultant convulsæ sedibus urbes
Pæne suis. Dominæ adventu gestire propinquo
Sensisti trepidas, & festo assurgere Motu.
Dixerat; hærenti cùm certior advolat autor,
Qui mihi mentito veteris pro numine Phœbi
Cultus, & adspirans facili vim carminis aurâ,
Cæsariem chlamydemque & pictas aureus alas
Eudæmon, placidoque hæc Nuncius incipit ore.
Blanda, Hymenæe, canis, lepidoq; accommoda Vati:
Et grato, ut memoras, fervent nunc omnia motu.
Hesperiis digressa plagis lectissima Conjux,
Dignaque BORBONIO magno, per Gallica regna
Ingreditur: Pax Reginam comitatur ovantem.
Publicus augustæ merita ad spectacula pompæ
Impetus incessit populis, penitusque morarum
Impatiens ardor: vibrantur conscia voti
Pectora, lætitiæque novo salientia sensu.
Sed vis major agit: vasto Natura labore
Turbida Aquitanas concussit funditus oras:
Captivusque Auster cœco per operta meatu
Quæsivit clausis trepidans erumpere terris.
Dum rimatur iter, dum carcere pressus anhelat,
Inde tremor latè; nec tantùm, Pictava * qualem
Sensit humus, nutuque levi stridentia tecta.

* Ubi tunc agebat scriptor.

Disce adeo (simul hæc texens, in me ora reflexit)
Disce, Pyrenæis quantam sub finibus asper
Ediderit Motus stragem, qui lenis & ipso
Infractus spatio vix Pictava contigit arva.
Effractis montes scopulis subsidere visi;
Oppida collabi; crebro discedere hiatu
Terra vorax; ruptâque viâ vis effera venti

Voluere se tremulam per humum, summamque procellâ
Oram humilis legere, & gressus vexare caducos.
Tum clamor gemitusque virûm, dirusque ruentum
Tectorum fragor, atque alio quassà omnia motu.
Quò fugiat titubante solo miserabile vulgus?
Si ferro flammâque ferox incumberet hostis;
Si tumidi immensis stagnarent fluctibus amnes:
Insedisse jugis licuit saxisque Pyrenes,
Castraque, vel campos hinc despectare natantes:
Portum arcemque darent prærupto vertice montes.
Fulminibus gravidas, capiti impendente ruinâ,
Mugitu horrifico rumpant si fulgura nubes:
Vim Cæli atque minas latebris eludere & antris
Concessum est; fidique alta tellure receptus.
Ast ubi succutitur Tellus, atque ipsa tremiscunt
Fundamenta Orbis; pernicibus ardua carpat
Pennis astra timor. quærendo hic solus asylo
Jam locus est, queis terra aperit subducta sepulcrum.
Nec superant, post absumptas cum civibus urbes,
Mox coëunte solo tantæ vestigia cladis.
Deprensi stupuere malo, subitaque ruinâ
Impliciti, subjecta colunt qui rura Pyrenæ.
Quot lapsu obtriti tectorum, & strage sepulti!
Quot mutili, & mediis tandem vix eruta saxis
Membra trahunt! fugêre domos, propriosq; penates;
Ac totis figunt, quà fas, tentoria in hortis,
Insomnesque agitant sub iniquo sidere noctes.
Nec tuti, quamvis minitantia septa domorum
Effugêre. gradu crebri fallente tremores
Horrorem ingeminant, & subsultantia trudunt
Corpora, colliduntque; pilas quo more videmus
Impactas resilire solo. feralis ubique
Exitii facies. nil præter vota relictum est.
Et non illa quidem frustra suscepta, Patronam

Excivere polo, dum ſquallida templa piorum
Concurſus lugubri habitu precibuſque fatigat.
Prodigio ſancita virûm fiducia crevit.
Disjecto Magnæ Signum venerabile Matris
Delubro ſtetit, & facilem placavit Olympum.
At vos, Terrigenæ, motus condiſcite juſtos,
Et ſummum tremite (ipſa docet Natura) Tonantem,
Quo Regum tremuere apices, pallentiaque aſtra.
Natali dum ſtare loco negat, improbaque effert
Altiùs Ambitio; ſolidæ jactura quietis
Facta Homini; tergoque gravem indignata repellit
Fœdifragum Tellus, inſaniſque exprobrat auſis:
Et, læſi annuerint ſi fors ultricia Cæli
Numina, præcipitem jam jam merſura barathro.
Ingruit atra dies, & lamentabile tempus,
Cùm toto inſtabilis pavitabit corpore Tellus;
Cùm juga Pyrenes imis æquanda fatiſcent
Vallibus; abſiliet Capitolî mobile Saxum;
Mundus & abruptâ infelix compage labaſcet,
Terrigenûm ob noxas undâ luſtratus & igni.
Hanc juſſit legem Omnipotens. ſed parcior iræ
Suſpendit Genitor pœnas, extremaque fata.
Admonitu interea crebro revocare nocentes
Sollicitus, venturæ olim præludia cladis
Triſtibus oſtentat monſtris: immotaque brutam
Mens Tellurem agitans, certo ciet omnia Motu.
Sic ait, & ſacro perfuſum horrore reliquit
Candidus Eudæmon, tenueſque abſceſſit in auras.

Versus qui exciderant è superiori paginâ, proximè ante v. Tum clamor.

* Sulfure turbati, mutati ſanguine fontes;
Deſtituitque ſuus thermas calor, & novus undas
Invaſit gelidas nebulis fumantibus æſtus.
Quin ipſæ inter ſe rupes confligere; & alto
Aut excuſſa jugo aut imâ radice ſoluta,
Inque auras ſubjecta immani pondere ſaxa,
Ceu tædæ ingentem flammam per inane volantes
Edere; belligero vel ahenea machina jactu
Ceu lapides rotet accenſos, æriſque flagrantem
Maſſam; aut ſtridentis commiſto ſulfure ferri.

DELPHINO
AD ORIENTALES TRIUMPHOS AUSPEX
D. FRANCISC. XAVERIUS
INDIARUM APOSTOLUS.
CUM AUGUSTI PUERI NATALITIA

In Regio Pictav. Colleg. Societ. JESU *celebrarentur sub ipsa Heroïs sanctissimi, novique Thaumaturgi solennia.*

JAM tenerum officiis Regem cælestibus ambit
XAVERIUS, patriæ decus ac tutela Navarræ,
Trans Indum Gangemque vocans, quà fervidus Heros
Movit, inaccessos ausus perrumpere fines,
Signaque Memnonium fixit Romana per orbem,
Mystica bella priùs Francis meditatus in oris.
Victor ad Oceani fluctus, Eoaque longè
Littora fulmineis Macedo provectus in armis,
Post Aras tanti monimenta erecta laboris
Regna triumphalem duxit per barbara pompam;
Qualem Nysæo descendens vertice Liber
Instituit, Divûmque altos præsumpsit honores.
Longiùs hic, quà terra patet, quà funditur æquor,
Protulit ætherii pennas indutus Amoris
Imperium, Morbosque fugans, domitisque procellis,
Armatosque ciens tremefactis montibus ignes;
Et Morti prædam, & Stygio spolia ampla Tyranno
Eripiens: Japonasque feros pia sub juga misit
Grande triumphato nomen lucratus Eoo.
Sinica quin etiam claustra emolitus, Olympo

Mille alias raperet gentes, immensaque regna;
Lustraret rapido igne polos, maria alta remensus;
Prodigiumque ingens Europæ redditus Heros,
Undique concursu celebratus & undique plausu,
Iret per medias latè venerabilis urbes;
Hesperiæque suæ, jam noto major, amica
Subsidia & Numen præsens Oriente referret.
Occurrit vastis properata laboribus, & spes
Abrupit Mundi, toties Mors antè subacta.
Sola adeo metam Heroï Mors, ultima rerum
Linea, præfixit. sed Virtus ardua Cælo
Invexit flagrantem Animam; radiisque micantem,
Sideris in numerum Divûmque in templa recepit
Gloria: & illustri jactat se Goa sepulcro.
Spirat, adoratum, tantò post funera Corpus.
Hic tibi se, Delphine, ducem comitemque viarum
Offert Loiolæ Geminus, sociumque laborum:
Et, placidus quà jura dedit divina volentes
Per populos, Christi felicia tela coruscans;
Primigenam poscit Fidei, sacrataque bella.
Borbonidum Hesperius fato nec sufficit Orbis:
Nec tibi summa operis fuerit Mavortia, Princeps,
Thracia, magnanimi dextrâ frangenda Parentis.
Pulchra rudimenta & lætæ juvenilibus annis
Primitiæ, Solymæque arces, Jordaniaque arva.
Inde Palæstinis raptim victricia palmis
Tempora circumdans, lucis fontemque caputque
Exquires; Persasque tuis, opulentaque Serum
Imperia adjunges Francis. Jam lilia Susis
Addita, jam Ligeri Tigrim decedere cerno;
Sinarum intextos scopulis & montibus æquos
Regis in adventum penitùs subsidere muros.
Gemmiferi maris unda, & gazis feta Pequini
Regia, certa tui merces, Delphine, laboris:
Dignior & superæ florens palma arce Sionis,

Xaverius bellique autor ſponſorque triumphi,
Ipſe maris terræque dabit cælique potentem.
Tendere in adverſos hoſtes armataque inermis
Agmina ſuſtinuit quondam; ſtragemque ferentes
Increpuit, validâ ſtupefactos voce repreſſit,
Ore minax, totâque ardentia fulgura fronte
Incutiens. Nec vox hominem, nec forma ſonabat.
Et meruit, nil tela pavens infeſta, timeri.
Barbaricas idem claſſes, ſpoliiſque ſuperbas
Chriſtiadûm, ſceleris quàm ſplendidus obruit ultor!
Luſiadis Vates animos vireſque ciebat.
Quid, cùm fœdifragas urbes, Chriſtoque rebellem,
Militis exigua ille manu, ſed Numine fretus,
Disjecit populum, & Chriſti ſub jura reduxit?
Dum ſupplex movet aſtra Pater, fremit excita tellus
Imperio; ſubitoque abrupti montis hiatu
Summittit cineri miſtas ad claſſica flammas:
Mœnia procumbunt æquatis pervia foſſis.
Hæc potuit mortalis adhuc: nunc arce potitus
Sidereâ, quam non fulgentibus igneus armis
Præſtet opem? quas non Orientis panderet oras
Hoſpitibus quondam Francis gratiſſimus Auſpex?
Quæ Grege pro ſacro Regi debere fatetur
IGNATÎ Conſors, reddet Natoque Patrique.

NATALITIA DELPHINI

A LUDOVICÆO PICTAV. COLL.

Supplicatione ſacra, Ludis Academicis, Pompis Ignibuſque feſtivis celebrata.

STELLATIS alii purâ ſub nocte feneſtris
Diſcutiantq; umbras, faciemq; imitentur Olympi:
Bombardarum alii cœco per inane tumultu
Lætitiam, & feſtis agitent per compita flammis.

Nos animis lætos certatim accendimus ignes;
Corda pius flammavit Amor: nos laude canorâ
BORBONIO æternos PUERO molimur honores.
Subjicis ipse faces exemplis Inclyte * PRÆSUL,
Auspice quo nuper templis resonantibus altè
Sanctior ætherias Pæan sublatus ad arces.
Regia solenni grataris munera ritu
Nunc etiam LODOÏCÆAS operatus ad aras,
Plebem avidam Proceresque inter, fidissima Regi
Lumina Pictonicæ gentis; sacroque Camœnas
Carmine gaudentes, & vocibus æmula plectra.
Inde theatrales Musarum invisere ludos,
Atque alios juvit DELPHINO impendere plausus.
Ecce Coronatus picto micat æthere DELPHIN,
Astrorum venerante choro. salit æquore DELPHIN;
Tritones circùm & resonâ Sirenes in undâ
Exultant. plaudente solo simul Aurea Secla
Emicuere: simul sortitæ quattuor Orbem
Quadrifidum Nymphæ; Tempestatesque feracem
Autumnum invidiâ, & votis DELPHINA secutæ.
DELPHINO ardentem transcribis, Phœbe, coronam;
Textilibusque caput radiis præcingis amicum:
Cœruleum DELPHINO aptas, Neptune, tridentem:
Innexas oleis, augusta insignia, lauros
Addis ovans, Tellus. medium DELPHINA choreis
In numerum lustrant variis, Regemque salutant.
Jam tuba successit fidibus; jam tympana raucos
Dant sonitus; alacresque vocat lux altera turmas
Florentum juvenum, pompamque ostentat equestrem.
It generosa manus, totamque instructa per urbem
Mirantes populi sensus, Procerumque lacessit.
Ipse caput viridi Clenus circumdatus ulvâ,
Festivum ad strepitum vitreo sese extulit antro,
Sustinuitque amnem tacitum, & sic ore profatur.
Quò rapidi concursus & incita gaudia vulgi!

* Illustriss. Gilbert. de Clerambault Ep. Pictav.

Cui nitor insolitus juvenum, cui pompa laborat!
Agnosco. pictas undantia signa per auras
Inscripto DELPHINE tument. Jure omnia feruent
Lætitiâ, & vultu juvenes habituque decori.
At tu Franciadûm DELPHIN Regnator aquarum
Oceanique decus, tenuem ne despice Clenum:
Ingens obsequii studio nec Sequana præstat.
  Pictonidûm interea templis spectata juventus
Cephamque, Hilariumq; suum, Magnamq; Parentem
Conciliat supplex DELPHINO; & pignora voti
Cuique suis vexilla dicat splendentia formis.
Aurea Pictonicas transmittens Corda sub ædes
Regina, & paribus LODOÏCI ANNÆQUE sacrarat
Consocians donis, alboque adscripta Clientum.
Prodiga respondit concesso Principe votis,
Sidereo effulgens solio regnansque Sepulcro
Mirifico RADEGUNDIS, & aurea Dona rependit.
Hinc Lodoïcæis adytis, jam luce malignâ,
Haud vani influxit species revocata triumphi.
  Cetera nec desunt hilari spectacula Pindo.
Excubiæ ardentes, densæ vasta atria circum
Lampades assurgunt, turritaque tecta coronant:
Sublimi rutilat DELPHINUS Regius astro.
Congestâ in medium silvâ rogus arduus auras
Implet, & auratos fluctus ad sidera volvit:
Simplice nec volitat flammâ; circumque nitrato
Fulgurat intorquens crepitantia pulvere tela.
Incensi studiis Juvenes, cristisque corusci
DELPHINO vitam, DELPHINO fausta precantur
Omnia. congeminant festos cava tympana plausus,
Æreaque in seram conspirant cornua noctem.
  Accipe Vota piæ, PRINCEPS, cultumque Cohortis,
Quæ tua facta canet, dociles que Heliconis Alumnos
Exemplis monitisque perennibus ad tua fingit
Obsequia, & pulchros afflat jam cordibus ignes.

FERDINANDO PRINC.

Episc. Paderbor. Coadjut. Monaster.

De ipsius Gratulatione Poëtica

LVDOVICO REGI CHRISTIANISS.

An. CIↃ. IↃC. LXXII.

MArmorea qualis conchâ cryſtallinus humor,
Aurea Phœbeæ influxit cui lucis imago,
Dulcè micat; quáque ora patent argentea, ſuavi
Deſilit in numerum plauſu, lenique ſuſurro
Lympha laboratum ſtrepitans illapſa canalem;
Purpureos inter flores dominantiaque hortis
Lilia, jucundos exercet læta meatus:
Tale tuum, Princeps, it divitis ubere venæ,
Clarum, illime, ſonans, perfuſum nectare carmen.
Sic ego, dum Paderæ fontes, Mellita fluenta
Haurio, Caſtaliis potiores fontibus undas;
Gemmati decora ampla lego, tua munera, Libri:
Sic adeò expertus, liquidiſſima gaudia ſenſi;
Et quæ deliciis vincant laudemque fidemque,
Principis uſque inhians Muſæ miracula adoro.
At mihi, dum ſtupeo & venerans opera inclyta luſtro,
Ecce aliud ſuper atque aliud mirabile donum
Advenit; oppreſſo tantâ jam mole clienti
Blandum incumbit onus, Cirrhæoſque addit honores.
Ut Batavas latè victricia ſigna per oras
Relligio ſequitur, Lodoïco Vindice tandem
Poſt ſeclum exilio & fœdis revocata latebris;
Auguſtum Heroem, ſimul-ac Rhenumque Salamque
Fulmineo adventu & ſacris domitum obruit armis,
Ore tuo, Fernande, canit; gratanſque ſuburget
Vincentem Superis, Rupellæoque triumpho

Majorem, & Justi transvectum facta Parentis;
Ardua inoffenso cursu tot castra, tot arces,
Et rapido attonitas versantem turbine gentes.
Aurea, Borboniisque incidi nata trophæis,
Carmina jam Vatum Princeps meditatus, & ipse
Supremique Ducis consors Regisque triumpha.
Unus te dignam Lodoïcus Vate ministrat
Æternæ segetem laudis, palmasque superbas;
Unus tu Vatum Lodoïci pangere facta
Dignus eras, capitique æternam innectere laurum.
Mutuaque hinc, gemnium quæ didita fama per Orbem,
Crescit; & ambobus communis gloria surgit.

AD EUNDEM CELSISS. PRINC.

De Poëtarum effusis in eum studiis Laudibusque meritissimus.

NON ita præcipiti Batavas torrente per oras,
Agger ubi disclusus hiat, prorumpere apertis
Faucibus Oceanus gaudet, nec jam altera novit
Quàm sibi quæ vasto metatur littora cursu.
En tibi Pegaseus totâ ruit Aoniâ fons;
Toto avidos rapit orbe, tibique ad limina Vates
Sistit, & immenso circùm undique funditur æstu.
Et mihi quæ nuper latebroso margine septa,
Mutaque inersque situ torpebat vena; benignam
Quà, Fernande, viam reseras, impulsa repente
Prosilit, exundatque tuæ læto ubere laudis
Alta sonans; nec se ipsa capit, jamque immemor alvei
Amisium affectat, Paderæque incurrere gestit.
Tu fluvios, patriosque insigni marmore fontes
Splendidus exornas Princeps; at clariùs idem
Aureus inscripto decorasti carmine Vates.

Vestphalicis & jam Romanus fontibus *Humor*
Invidet, Iburgi aut Smechtani ruris ocello;
Ille tuo quondam imperio cultuque superbus
Humor: & Arctoos Tiberis suspirat amores.
Auspiciis properant Franci Regalibus amnes:
Pieriis Caput agnoscunt venerabile Nymphis,
Argutoque tuos plausu meditantur honores.

Romanam Humoristarum Academiam Princeps rexerat.

At tu nec tenues obscuro nomine rivos
Despicis, absterso que doces se evolvere limo,
Felici alliciens ductu per amœna roseta.
Hinc mihi se agglomerans undam vocat unda sequacem,
Neuhusiosque petit lucos. ipse obvius ultro,
Et molli invitans aditu blandissimus hospes
Accipis, Aoniâque obtendens fronde coronas.

INUNDATIO BATAVICA

Regiis armis objecta.

I.

FINITIMI exitio, depressis parcere terris
Oceanum docuere, furentumque agmen aquarum
Aggeribus multaque operosi mole Batavi
Castigant, franguntque minas, frænisque coercent.
At LODOÏCÆAS acies depellere frustra
Mœnibus obnixi, & vallo rapida arma morari.
Jam Franci incursu Martis, vastoque trementes
Diluvio involvens terras Victoria mersit.

II.

Hactenus educto patulos munimine fines
Littoraque egregiæ certantes viribus artis
Oceani assultus contra furiasque tueri;
Quis labor hic vobis, quæ mens nunc læva, Batavi,
Molibus abruptis spumantem accersere pontum?
Scilicet auxilio Neptunum in Franca vocastis

Arma, laboranti si quà succurrere Terræ
Evaleat: pavidasque immissis fluctibus urbes
Cingitis, atque alto latitantia gurgite castra.
Haud aliter potuit torrens Victoria sisti!

III.

Nequicquam experti Vulcania tela Batavi,
Agmina subsidio Neptunia denique poscunt,
Et Franco objectant undosa repagula Marti.
At liquidos obices glaciali frigore coget
Proxima hiems, bellique moras in commoda vertet.
Vincla ferens Nereus sese substernet ovanti
Ipse etiam Gallo domitus. Ni Regia discat
Jura pati, ponatque animos gens victa rebelles;
Tunc alio rubeant stagnantes gurgite campi.

IV.

Amstelodamææ quæ mœnibus urbis oberrat
Circumfusa maris facies! fugientia latè
Arva natant, Phariosque imitata Batavia tractus.
At limo felix Ægyptus, & ubere Nili
Frugifero. salsâ steriles uligine campos
Quattuor hîc miseri deflent in lustra coloni.
Quis furor, ô cives, placido præferre furentem
Nerea victori? tot opes censusque beatos
Perdere, ne pereant? ac, ne Gradivus inundet,
Sternere agros, longoque obsidere mœnia fluctu?
Oceani dives spoliis, & pinguis alumna
Tethyos, Eoas quæ traxerat æquore gazas,
Gens pelago & ludum & prædam debere fatetur.

V.

Unde procelloso confusa elementa tumultu,
Et nova diluvii campos oppressit imago?
An solito major Nereus, validoque tridente
Acrior impacto assurgens, munimina terræ
Dispulit; exuperansque obices; immane ruinâ
Littoreâ molitur iter ferventibus undis?

Fulminibus parcens ultor, num Juppiter Austris
Turbidus ac nimbis, & Plejade sævus aquosâ,
Immensæ autor agit cladis? num torvus Orion
Oceano excivit fluctus, cælove refudit?
Hoc Mavortis opus, miserique ars dira pavoris.
Intempestam hiemem, dum belli incendia flagrant,
Æstate optabat mediâ, votisque vocabat
Tempestatum iras Batavus, pluvialiaque astra.
Sed frustra. siccus Lodoïco militat æther.
Terra nec oratam dudum, variasque per aulas
Quæsitam præbebat opem cunctantibus armis.
Tutelæ insolitam speciem tum denique ab ipso
Hoste petit lymphatus; & aggere vasta recluso
Claustra emolitur, ferratosque objice postes:
Auxiliarem undam trepidantibus advocat oris.
Ilicet horrendâ ruit ingens mole, revulsis
Finibus exultans, spatiisque excurrit apertis
Omnia permiscens convolvensque omnia pontus.
Densa repentino circumsonat insula fluctu;
Urbs Batavo quàm crebra solo & stagnantibus arvis.
Jam scopulos arces referunt, turritaque castra:
Aërii affuso decrescunt gurgite muri.
Æstuat ingenti tremefacta Batavia motu,
Fracta armis, fœdè laceris nec jam artubus hærens:
Ac metuens graviora, vagæ quàm Cycladis instar
Vellet in æquoreos abrupta evadere tractus!
Orbis ad extremos, Europæ transfuga, fines
Proriperet sese; Eoo nec tuta recessu,
Franco instante, suis pavitans sese abderet Indis.
Quod superest; via subsidii quæ proxima, pontum
Evocat, admissumque hosti veterem objicit hostem.
Naufragio tentata salus. Victoria terras
Occupat, attonitosque urget. spes omnis in undis.
Amphibium hinc pendet genus, & Neptunia turba.

VI.

Necdum etiam ſatis eſt undarum! Æſtaſque Batavos
Et glacialis Hiems pariter metuenda ſubegit
Damnoſa auxilia & fluctus accire furentes.
Sic juvat hoſtilem pelago reſtinguere flammam,
Sanguineaſque abolere notas. Jam littoris altas
Perfodiunt moles, arctoſque odere meatus.
Ut portæ patuere, latent ſub fluctibus arva:
Jamque ſuperfuſo tercentum gurgite pagi
Occubuere; unâque involvit cuncta ruinâ
Naufragium inſuetum, horrendum. maris ille tyrannus
In terras conſpirat atrox, & turbidus undas
Auſter agit, plangente ſolo. commune ſepulcrum
Oppidaque populoſque immenſo funere merſit.
Pinguibus inſultant armenta immania Protei
Æquoribus camporum, ubi ludere mollibus agnis
Ante datum eſt: & quo paſtores gramine nuper
Inflabant calamos, conchâ Tritones anhelant.
Ah cœcus nimiùm Timor, atque improvida rerum
Cura, malum accerſens fugiendo! & clade periclum
Præſenti redimit, fatiſque occurrit acerbis.
Quanquam anceps Batavos, Timor an Furor? impetus armat.
Quo noceant hoſti, Trajectoque influat æquor,
Oceani rupere moras, ſeque ac ſua mergunt
Ultro ipſi: nec jam laxis temeraria clauſtris
Temperat Ars, rapidoſve coërcet limite fluctus.
At Francum glaciata vetat ſi flumina ſicco
Exuperare gradu; remis per aperta vagari,
Navalique dabit terras perfringere bello.

VII.

Expectata diu Batavis, tandem agmina vindex
Impulerat, Franco armorum violata tumultu

Juraque Septemvir majeſtatemque tueri
Fervidus Imperii, raptaſque repoſcere prædas,
Corpore divulſa auguſto componere membra.
Hinc Batavis oblata Salus, hinc alma refulſit
Libertas. Juncto proceſſit fœdere moles
Conjuratorum Procerum, quos Cæſaris ales
Antevolat, Galloque movet fatalia ſigna.
Heu miſeri, quos illa petit vis alta Tonantis!
Horrida fulmineâ nubes ſuperimminet irâ.
Sed graviter, lentoque trahens veſtigia motu;
Poſt varios flexus, longarum dura viarum
Per terras ſpatia & crebros emenſa per amnes;
Quæſitam ut demum Rheni ſtetit agmen ad oram,
Jamque obſtructa videt latè loca robore Francô;
Finibus excluſum Lotharis, Bataviſque repulſum,
Mœſta retro flectit trepido veſtigia curſu;
Votaque Cattigenûm, ſpes & fruſtratur hiantes.
Prævalido ceu cùm frænatus ab aggere torrens,
Torquet agens ſeſe nequicquam, ac ſpumeus irâ
Infremit, atque in ſe rediens denſo æſtuat orbe.
Quid vos, Cattigenæ? lapſis quam denique rebus
Exoratis opem? glacie concrevit inerti
Plurimus & foſſas humor conſtravit & amnes.
Nec frigent, hiemes inter, Mavortia Gallis
Pectora, nec poſito langueſcit dextera ferro.
Celtica Dux agitat qui LUXEMBURGICUS arma,
Trajecti regit imperiis victricibus oras;
Sidere jam veſtro & brumâ metuendus amicâ,
Sollicitos premit, ac tremefactis mœnibus inſtat.
Hinc rogus, hinc ſanguis pagos funeſtat & urbes.
Ergo littoreas latè recludere moles
Præcipitant Batavi, atque operoſa reſolvere clauſtra,
Vinctaſque hiberno fluviales frigore lymphas
Proluere; armorum incurſus errantibus undis
Siſtere, inacceſſas urbes & caſtra fovendo.

Quæ pelago amorint, præfixa repagula Franco
Nempe rati, patriæ memores nec parcere, inundant
Omnia, dum Celtas reprimant, periisse parati.
Aggeribus tot jam Oceanus per lustra superbis
Incassum obluctans, fræna indignatus, & alto
Cum fremitu assultans quassansque immania claustra;
Protinus immissis regnat violentus habenis.
Rerum unam cernas faciem, campumque liquentem.
Arvaque fluminaque, & crebris plaga consita villis
Castellisque jacent nullo discrimine, eodem
Hausta lacu. pecorum strages, hominumque profundo
Rapta quis enumeret confusis millia fatis?
Scilicet invictos restagnans unda moretur
Franciadas. domat effusum vigor igneus æquor.
Sic, ubi congressus Pelidæ Xanthus, aquarum
Agminibus torrens victorem involvere certat;
Vulcanus rapido immittens violentior æstu
Undantûm flammarum acies, erumpere ripis
Ausum Semideum proturbans hostis agebat
Fervidus, in medioque urgebat torridus alveo.
Nam quid fossa ingens Drusi; nomenque timendum
Romulidis, & Cæsareo vix ponte subactus,
Fidentes juvit Batavos in Gallica Rhenus
Arma fremens, geminoque minax in prælia cornu?
Intrepidus, tumidoque insultans Guichius amni,
Ferrum inter flammamque adversos tendit in hostes.
Quo duce mox animis ardentque ruuntque manipli:
Spumantem audaci Rhenum fregere natatu.
Ærea belligeri subiit juga pontis, in altum
Diffugiens, strepitu domitum se questus inani;
Nudavitque arces, turbataque castra reclusit.
Oceanum frustra, conjuratasque procellas
Armetis, Batavi. prodit se talibus amens
Auxiliis pavor, atque animos læto adjicit hosti.
Ipsa etiam nunc arva metu fugiuntque tremuntque,

Terrarumque latent pallentes undique tractus.
Præceps heu nimiùm, & propriæ gens arbitra cladis!
Per latus ipsa suum Gallos petit, ac perit ultro
Ne pereat : clademque semel sibi barbara, quantam
Nec velit aut longis valeat Mars Gallicus armis,
Conscivit furiis atrox, & naufraga terris.

At tu multifidum, ceu rivis sectile, carmen
Accipe, Musarum Princeps, undamque loquacem,
Diluvii Batavi quâ plurima ludit imago :
Neu, fluctus optatum inter lenimen amaros,
Quo Musæ moresque tibi maduere, beati
Nectaris huic pigeat partem aspersisse fluento.
Sic tua, Pæoniæ fons nobilis ubere lymphæ,
Pinguia qui creber felicibus arva fluentis
Dulcè rigat, tristes avertat corpore morbos,
Diluat & curas Domino : nec suavia tantum
Iburgi Smechtæque tuæ liquidissima mella,
Quantum læta sacræ decurrant flumina venæ.





SILVARUM
LIBER II.

CANDIA.

An. M. DC. LXIX.



Lla ego, cui pugnax in partes ſcinditur Orbis,
Meta Muſulmannûm furiis, & publica cura
Chriſtiadûm, majorque meis ſpectata ruinis,
Æterno premor obſidio: tot ferrea luſtra
Exhauſi; mille aſſultus, mille agmina fregi:
Nec victos viciſſe datum eſt. En, maximus urget
Imperii dux Ottomani; ſævitque perennis
Impetus, accreſcitque morâ. Sultanus & ipſe,
Jam propior, vireſque ſuis animoſque miniſtrat:
Barbariæ toto incumbit mihi pondere moles.
Naufragiis ſparſos infamant funera portus;

Sanguineum exundat campis mare; fulminat aër;
Tartareis etiam bellum ſurrexit ab antris,
Vis armata dolo, & cœco graſſata meatu.
Omnia ſubvertit ferro crudelior ignis.
CANDIA jam cinis eſt, urbiſque informe cadaver.

At vos, ô Proceres, ſacro quos nomine ſignat
Relligio; quos aut Pietas, aut Gloria tangit:
Heu, laceram, atque inter fumantia buſta jacentem,
Dum licet, aſpicite, & medio revocate ſepulcro.
Tandem Chriſticolas poſt civica prælia gentes,
Quà patet Europæ tractus, Pax alma reviſit
CLEMENTIS magni auſpicio: nunc altera bella
Pace ipsâ meliora vocant, ſolitiſque triumphis.
Et Pacis Martiſque idem ſanctiſſimus auctor.
Cuncta movet, terraque Pater cæloque repoſcit
Anguſtis in rebus opem, labarumque coruſcat.
Signiferi auguſti motum atque exempla ſecutæ,
Ingentes animæ, tenues ſervate clientis
Relliquias. Mundo fatales hactenus iras
Suſtinui, immanemque objectu corporis hoſtem
Arceo, jamdudum veſtros torrentibus armis
Incurſare avidum fines. In me omnia regna,
Communiſque arcem cauſæ defendite, Reges.
Teutones, Auſonidæ, Hiſpani, quoſcunque lavacrum
Cæleſte intinxit populos, Chriſtoque dicavit;
Ah, tanta obluctantis adhuc poſt vulnera morti,
Auxilio properate! cruor fluit undique membris;
Undique ſuffoſsâ pendens tellure labaſco.

Tu, decoris ſtudio ante alios & robore princeps,
Victricem huc, LODOÏCE, manum & felicia tela
Tende age, Turcarum terror, ſpes ultima Cretum.
Quod ſupereſt, Venetis opifer virtute tueri
Fortunâque potens, captivaque littora & urbes
Aſſerere, huc lectas vindex immitte catervas,
Quò

Quò Deus, Heroumque vocat dignissima palma.
Subsidii jam primitias, floremque juventæ
Nobilis admirans; possit quid Gallicus ardor,
Agnovi, dextrasque & prodiga pectora vitæ
Thracum acies sensit, castrorumque horruit agger.
Mox Francæ emeritas classi involitare cohortes
Præcinit, Odrysiis cladem, mihi Fama salutem.
Molibus insanis operum, castrisque superbis
Vizirum ac trepidos cerno diffidere Bassas.
Annuat, ô, nostris evictâ cladibus irâ
Bellipotens, scelerum vindex, hostilia tela
Natorum in pœnas certo qui temperat ictu,
Frangitque, ac tumidos elidit numine fastus.
Armatum & læsâ pro Relligione Leonem
MARCUS agens, tantam placido spem sidere firmet,
Bistonias elapsa plagas, mihique ipsa superstes
CANDIA, ruderibusque meis invicta resurgam.

De Cretica expeditione l. 4. Heroic.

IN EANDEM NÆNIOLA.

OCCIDIT, heu, sævoque jacet captiva Tyrannō
Candia. quæ studiis Orbem distraxit & armis,
Occidit infelix irato Candia cælo,
Virtutisque theatrum ingens, vastumque sepulcrum.
Non Ostenda suos æquet, non Troja labores,
Illa triennali, hæc bello prostrata decenni;
Quamvis fama loquax, quamvis & fabula casus
Extollat victarum, & cladibus addat honorem.
Nec quidquam votis, nec quidquam viribus actum
Christiadûm. Si quà servari Candia posset;
Francâ etiam servata manu, præreptaque fato,
Odrysiâ æternum staret de gente trophæum.

IN VOTUM LAURETANUM CHRISTINÆ AUGUSTÆ,

Cùm VITALIS THERON *Carmen ſic inſcriptum ad Autorem dono miſiſſet* An. M. DC. LVI.

Delphin Coronatus, carmen lyricum Theronis, LUDOVICI XIII. natalitiis impenſum.

ECCE Coronati fidicen DELPHINIS Arion
Æquora permulcens geniali Gallica plectro,
Itala nunc idem peregrino littora cantu
Perſonat, Adriaciſque Domum quæ præſidet undis.
Palladiæ; Vitalis, honos & cura Toloſæ,
Octonos decies canis vivacibus annos
Exuperans, ſtudiis necdum juvenilibus impar;
CHRISTINAM, heroo Fidei cœleſtis amore,
Guſtavi genitoris opes Arctoaque ſceptra
Linquentem ſequitur longè, & veneratur euntem
Picentum ad ſacras arces atque aurea templa.
O templa! ô ſacræ turritis collibus arces,
Numine quas Magnæ præſentia Virginis implet!
Auguſtæ haud indicta mihi donaria Cellæ,
Nuper ubi, ſolennem inter Pæana Quiritum,
Sancta triumphalis cecini ſpectacula pompæ!
Aſt œſtri quem nunc temerarius incitet ardor
Therone audito, numeris qui grandibus hoſpes
Lauretum ingreditur, non inſcius ille locorum?
Dumque aris oblata canit Regalia Dona,
Sceptrumque & multo ſtellantem adamante Coronam;
Virginea ipſe ſibi texit de fronde coronam.
Ecquis ſit lucus, quo ſe plus gloria Vatis?
Qui Vates, quo ſe Laureti gloria jactet,
Chriſtinæque ingens pietas & fama perennis?
Fortunate Senex, & in hunc ſervate Triumphum,
Cùm Romam, Errorum domitrix, Regina petivit
Illius auſpicio, totum quæ ſola per Orbem

Tercentum capitum feralem contudit Hydram.
Vive diu, mellite Senex, ævumque propaga
Ipſe tibi æternâ librorum prole ſuperſtes.
Te veniens ætas etiam poſt fata canentem
Audiet Aonium muſæ immortalis olorem:
Audiet, & ſertis ſparget fragrantibus urnam.
  Interea emerito tenerum ſuccreſcere Vatem
Blandus ama, quem dono acuens plauſuque laceſſis.
Neſcio quas venæ ſalientes ubere fingis
Divitias bonus, & raros Heliconis honores.
At quæcunque manet tenuem fortuna Camœnam;
Spes gratata tuas, & amicæ credere luci
Parcior aſſurgens, magnæ ſe ſubiicit umbræ.

AD CLARISS. JUL. HIPPOL. MENARDERIUM.

DUNKERCA

Ex Britannis à Rege Chriſtianiſſ. Recepta.

PALMARUM decorumque ferax, Neptunia Francis
Nunc demum triplici ceſſit Dunkerca triumpho,
Urbs pelagi dives ſpoliis, mox præda Britanni
Fœdere pacifero parta & ſocialibus armis.
Bis ferro domita, & largo priùs empta cruore,
Mollibus hîc Regum pactis auroque recepta
Æternos placidi celebrat Victoris honores,
Mutato felix Domino, ſacrataque jura
Gratatur vinclis aſſerta, jugoque profano.
  Advolat, hibernâ nil tempeſtate moratus,
Ire per Arctoas glacies, Borealia contra
Tendere flabra ferox; & curſu fulgura, & acri
Sidera Rex animo motuſque imitatus Olympi,
Nocte dieque viam vorat indefeſſus agendo.
Littoreæ invecto tremuerunt Principe moles;
Oceani poſuere minæ, longeque coruſco
Sole refulgentes, nova lux incendit arenas:

Adverſa emicuit candentibus Anglia ſaxis.
Et jam magnanimo Pietas comes addita Regi
Ingreditur, ſanctæque agitat ſpectacula pompæ.
Munifica explicuit facilem Clementia dextram;
Splendidaque arceſſens gemino commercia mundo,
Immunes aperit portus, gratiſſima nautis
Hoſpitia, & valido creſcentes aggere muros.
Belgica concurrit, plaudentibus undique turbis
Victorem mirata ſuum, cæleſtiaque ora
Fulmineo aſperſam Marti geſtantia Pacem.
Ipſe autem plebi immiſcens ſeſe arduus Heros
(Inſolito ſummota cohors prætoria juſſu
Dum lateri procùl abſiſtit) conferta ruentum
Excipit officia, & placito importuna tumultu.
Cuncti ardent, Regemque alacres contingere certant.

Clare Menarderi, Pindo ſpectatus & Aulâ
Omnigenas vaſto qui pectore colligis artes;
Dic age, fecundo interea quæ pectore verſas
Conſilia, ô Francæ decus Auſoniæque Camœnæ?
Ecquo Borbonias meditaris carmine laudes,
Jucundum ſolitumque tibi? curaſne moratur
Tergemina Obſidio; bellumque in pace retractas,
Pacis opus ſævo armorum molitus in æſtu?
Certantem hiſtoriam Criſpo, lectiſſima facta
Gallorum, Inſubres pariter Belgaſque ſuperbis
Urbibus exutos, monimenta ingentia condis.
Et rebus fidum egregiis adjungere teſtem
Dignatus, comitemque viæ, Famæque perennis
Præconem, Dunkercæ olim ſub mœnia duxit,
Caſtraque virtuteſque avidus ſpectare ſuorum
Borbonides, campumque Hiſpanâ ſtrage calentem.
Attonitæ ante oculos Gravelinguæ, arceſque ſub ipſas
Heſperio necdum excuſſas, per aperta tetendit
Jactum intra tormenti equitans; frontemq; tremendam

Extulit hoſtili volitans Lodoïcus in actâ.
Ergo age, quid Pindum lentus fruſtraris & Aulam?
Quin celebris monimenta viæ, doctoſque labores,
Muſeo preſſos nimiùm, cæloque negatos,
Ire per ora virûm, ſuperaſque erumpere in auras
Annuis, & veterum primæ ſuccedere laudi?
Saltem quæ patriæ, ſummo quæ gloria Regi
Debita, languentes accendat corpore ſenſus,
Relliquias morbi abſtergens; animoque caducas
Suſtineat vires, operoſaque cœpta coronet.

HEROICÆ PATIENTIÆ

Christianæque fortitudinis imago

Ex delineatione rerum Canadenſium expreſſa.

Horrendæ viſu facies! homineſne, feræne?
An nova monſtrifero rabies erupit Averno?
Barbarica attonitæ nam quæ ſpectacula menti
Obiicit, atque oculos inſueta exterret Imago!
O ſcelera! ô tragici monimenta infanda furoris!
Silveſtres Furiæ victricibus omnia tædis
Incendêre: volant undoſæ ad ſidera nubes,
Tartarei vapor ignis; & implacabilis ira
Funeſtam exequitur cladem, rapidoque per omnes
Turbine ſanguineæ graſſatur Imaginis oras.
Conjurata Dei creſcentem exſcindere cultum
Agmina bacchantur: mediæ inter crimina cædis
Feraleſque rogos lymphato corde triumphant.
Fervet agens Orcus, ſtimuliſque immitibus iras
Incitat, admiſſuſque intra præcordia ſævit.
Heu mundo æquævi ſaltus, ſtabula alta ferorum
Hiroquiûm, glacie nivibuſque horrentia latè!
Heu nemora indigno toties perfuſa cruore
Chriſtiadûm, & flammis toties recalentia noſtris!

Ecquando tantæ vidiſtis ſtragis acervum ?
Quæ tanta in fragiles diſperſa incendia quondam
Erravere caſas ? & ferro victor & igni
Omnia permiſcens, Huronibus addere Francos
Geſtit ovans, natiſque Patres, ſacroſque profanis.
Confuſâ hoſtiles ſaturarunt funera flammas.
Terribiles vario formas illuſa colore
Larvarum in ſpeciem, gens inſidioſa latronum;
Nec magis urſorum villoſas corpore pelles,
Quàm mores induta animis, ruit impete vaſto
Silvarum è latebris: pagos nil tale timentes
Invadit, nullo defenſos milite pagos.
Murice pars torquata nitens, pars duplice gyro
Ceu teretis gemmæ duram circumdata frontem:
Tela gerunt alii, celereſque in fata ſagittas;
Bombardâ ille minax, rigidâ ferus ille bipenni.
Eminet hîc vultu ira truci, pictique furores
In charta vivunt, & adhuc crudelè renident
Aſpectu læti ſcelerum. Quò te ignea mentis
P. Antonius Daniel S. J. Vis, DANIEL, rapidos adverſum impellit in hoſtes?
Scilicet ut ſubita deprenſæ in peſte, fugaces
Elabantur oves, rictus atque ora luporum
Sanguinea incurrens, & murum pectore ſupples,
Prodigus, ah, vitæ Paſtor; certumque laceſſis
Obvius & denſo recipis cum vulnere lethum.
Hinc tua membra, Pater, flagranti injecta ſepulcro,
Ædiculæque ruinam inter, ſtragemque tuorum,
Funereâ abſumet flammâ rogus. At pius ignes
Sacrilegos inter, nil jam luſtralibus antris
Flammarum debens, purgatoque emicat auro
Clarior, ætheriaſque animus ſuccedit in arces.
PP. Joan. de Brebeuf, & Gabr. Lallemant. En turba in media gemini, par nobile, Patres;
Qui captare fugam moniti, pedibuſque ſalutem
Quærere; conſtiterant animis cæleſtibus ambo
Invicti Heroës, magnaſque inſtante periclo

Devovêre animas. alienæ cura ſalutis
Immemores agit uſque ſui, lethoque paratos.
Hinc atque hinc trepido turbata mapalia caſu
Pervolitant: & vitæ alacres, fata inter acerba,
Æternæ reſerare aditum, pueroſque ſeneſque
Hoſtis ad incurſum luſtrali ſpargere lymphâ;
Aut, pia quos Metanœæ adigit vindicta fateri
Suppliciter noxas & conſcia prodere corda,
Abluere ardentes, ſtygiiſque exſolvere vinclis.
Tantus amor Chriſti, & formoſæ gloria mortis!
Aſt illos meritis pro talibus undique vexat
Hiroquiûm truculenta manus, pœnaſque per omnes
Proripit. atque inopes primùm detraxit amictus:
Tum crebri impacto certatim verbere fuſtis
Permolit; admotâ nudos face concremat artus.
Talibus officiis, captos gens tota ſalutat
Semihominum, & ſcenæ geſtit proludere atroci.
Pegmate ſubſtructo ſtabant nudata piorum
Corpora, & irriguo miſcentur ſanguine buſta.
Spectatore Deo & Superûm digniſſima plauſu
Certat Sævitiæ Virtus, ſuperatque ferendo,
Suppliciis dum ſe Canadæ furialia monſtra
Immaneſque oculos paſcunt immaniaque ora.

Nigrantum, trifido è ligno, vis dira lebetum
Pendula, væ, quales tortorum tendit in uſus!
Spumantes agitare undas, altéque ſonoro
Exultare æſtu, nebulaſque rotare ſequaces
Aſpicias. illos, ubi circùm exuberat amnis
Turbidus, elatos capita in veneranda profundunt
Deſuper, auguſti ſimulacra indigna lavacri.
Myſticus ille latex ferventis penditur undæ
Ludibrio. proh triſte nefas! etiamne ſecurim
Conſertam appendunt collo (duodena per omnem
Circuitum jacet) & flammâ feralè rubentem
Subjecere alis? ſævo nidore fruuntur

Carnifices, prædamque inhiant. Jam mordicus ungues
Diripuere alii Lalemanto, immota gerenti
Lumina. mox oculum præacutâ ſubula candens
Vi terebrat : penituſque cavâ ſede erutus orbis
Alter, & horrendo ſuffoſſæ frontis hiatu;
Carboniſque oculum ſupplet vivi inſitus ardor.
Brebeufo vultum populant, nareſque recidunt,
Mitiaque informi diſcindunt vulnere labra,
Maxillaſque ſecant, & obuſta in guttura torrem
Dentibus effractis adigunt; linguæque loquaci
Numinis in laudes, urente ſilentia ferro
Imperitant. & jam laceris æqualia membris
Vulnera. Nunc demum rabidæ, nunc parcite, tygres.
Ecquis erit ſcelerive modus, requieſve furori?
Parcite: jam cuncto nuſquam eſt in corpore corpus.
Pars ubi nulla vacat, plagæ undique & undique plagæ;
Vulnera congeminant; feriunt pro corpore vulnus.
Quin etiam horrifici Canadæ Læſtrigones oræ
Viventem malis epulari immanibus audent
Ipſius ante oculos : ſemiuſtæ fragmina pulpæ
Grandia decerpunt, avidoque trementia membra
Ore vorant. Medios inter tamen ille dolores,
Adſtrictuſque manus palo atque interritus adſtat.
Haud ſecùs ac tenerum carpentes forfice vellus
Fert nullis querula ora ſonans balatibus agnus:
Sic laniorum iras tormentis fortior heros
Suſtinet, & vultu torrores ſpectat amico.
Hiroquius (miratus enim, motuſque quieti
Mente Patris) tali digniſſimus agmine ductor,
Armatur cultro, atque infandâ circinat arte
Elixi capitis pellem, & cum crine revellit,
Ac ſalientem haurit generoſi ſanguinis undam,
Heroïs bibere hinc pleno ratus ore vigorem.
Magnanimi ſedenim nec tum indignantia Myſtæ
Lumina conſpiciens, pectus ſcrutatur apertum:

Ingentiſque animi ſedem, cor nobile, dextrâ
Eruit, & crudo ſpirans depaſcitur ore.
Circùm alii, tepidis per membra fluentia rivis,
Impaſti quo more canes, legêre cruorem;
Atque ipſo de fonte petunt, lateriſque refoſſi
Intima rimantur penetralia; nectaris inſtar,
Unde cavis hauſtus palmis rapuere calentes.
Profuit & Patri feritas: compendia fecit
Pœnarum. Socii cum vitâ extracta ſequentem
In lucem tormenta Patris: quanquam horridâ hiulcum
Labe caput; lævamque inflicta bipennis ad aurem
Detexit cerebrum, & vitæ jam prodidit arcem.
Tot victor pœnarum, & amans inſiſtere letho,
Dum lacerum piceoque incluſum cortice torrent
Hiroquii Lalemantum, hæret; fumantiaque oſſa
Spiritus inter agens, caros fovet uſque dolores.
Mox ſatur ille malis & fœdâ clade ſuperbus,
Pagum ubi proſtratum & vaſtâ funeſta ruinâ
Deſeruit præceps loca victor, & avius altos
In patriæ revolat ſaltus; heu, quale theatrum,
Quam rerum faciem & veſtigia certa Cyclopum
Finitimi adſpectant Francâ de gente coloni!
Sanguineæ gentis documentum, homineſque lareſque
Communi exitio implicitos, atrâque favillâ
Et ſanie expavit ſquallentem audacia campum.
Triſtes relliquias, ambeſis corpora membris,
Pignora cara tamen gemini pretioſaque Myſtæ;
Huronum, fuga quos avido ſubduxerat hoſti,
Sed magis excepti indicio monſtrata furoris,
Cum lacrymis teneræque legunt pietatis honore.
Vulnera dum cenſent, victos deſiſtere tandem
Innumeris ſubigunt plagis abſumpta, dolorum
Quæque ſuis diſtincta notis confuſaque membra,
Ac nece multiplici. Gratantes figere pulchris
Oſcula vulneribus gaudent; thecifque recondunt,

Quà licet, eximiæ certatim fragmina mortis
Christigenæ; ac tumulo cineres invidit avaro
Relligiosus Amor; si fas, & consecret aris.
Arbitrii hoc majoris opus. Nec te, inclyte * JOSEPH,
Transierim, Algonquine puer, quem fune revinctum
Palus habet, diro exercet laniena dolore.
Tres adeò sine pace dies, tres barbara noctes
Tormenta insontem exagitant, miserabile visu!
Si quà fortè pio Christi præconia possint
Ore excussâ premi. sed vinctis libera palmis
Lingua manet, Christumque canit; comitesque dolorum
Hortatur, brevibusque vetat succumbere pœnis,
Et Cæli meminisse jubet. nex ignea carpit
Tabo stillantes artus: nec gratior implet
Astra vapor, qui Panchæo de ture per aras
Surgit, ad ætherii adspirans solia aurea Regis;
Quàm cælum ambusto veniens à corpore fumus.
Hostia pura litat, lentosque excocta per ignes.
Acrior ecce autem rapido flamma emicat ictu.
Ærea sulfuream provolvit fistula nubem;
GARNERIUMQUE procùl, captum dum lustrat ovile,
Missilis accensâ figit mors plumbea glande.
Non tamen ille gregis, non ille oblitus Olympi
Extrema jam in morte: suo se in sanguine versat,
Semianimisque ovibus prorepens ultima solvit
Officia, & caulis Superûm transmittit apertis.
Vincit Amor Lethum, Virtusque Acheronta triumphat.
Sed mihi quod fessas acies, luctuque gravatas
Vulnerat abjectum diversâ in parte cadaver,
Ora supina gerens, manibusque ad sidera versis
Suppliciter? sanctæ vivo quæ gratia curæ.
Ah, NATALIS hic est, Canadæ impiger ille viator.
Me miserum! quæsite diu, Pater optime, qualis
Nunc tandem, CHABANELLE, redis! quæ te impia
letho

* Canadensis, ex Algonquina gente.

P. Carol. Garnier.

P. Natal. Chabanel.

Dexrra dedit ? ſolum nemora inter devia nactus,
Perfidus, heu, Chriſti vitam deſertor ademit;
Perfidus, atque alti projecit fluminis alveo.
Et nunc, egregiæ ſpolium lacrymabile mentis,
Sidereo quondam cingendum lumine corpus
Ludibrium undarum fluitat, quod claudere gemmæ
Debuerant, memoreſque aurum ſervare per annos.
Nunc alia ex aliis oſtendunt fata profundæ
Immenſi ſilvæ amfractus, queis avius errat,
Myſtica longinquis portans commercia terris,
DUNOUS Chriſti præco. glaciata per arva P. Annas Denoüe.
Tendit iter: latet informis niveo aggere tellus;
Confuſæ periere viæ. rumpentia cautes
Frigora fert ANNAS obnixo pectore fruſtra:
Vincit hiems, gelidaſque adſtringit ſanguine venas.
Ergo infixa nivi ſubmittit genua Sacerdos,
Numina devenerans. ſanctos Amor excitat ignes,
Tam magis ille flagrans generoſi in pectore Myſtæ,
Quàm magis invalidum divexant frigora corpus.
Parce, Pater, pulchro rubefactam ſanguine laurum
Ambire, & ſiccam nequicquam horreſcere mortem:
Carnificem tibi ſuplet hiems; penetrabile frigus
Inſtar habet gladii. languentia membra rigeſcunt;
Paulatim exoluit duro ſe marmore præpes
Spiritus: aſt idem defecto in corpore reſtat
Exanimis membris habitus, ſimiliſque precanti.
Ultima feralis pars eſt obeunda theatri,
Quò vocat errantes ſpectaclum inamabile viſus,
ISACUSQUE Pater nota ad tormenta reverſus,
Et juxtà duplices, juvenilia corpora, Galli. P. Iſaac Jogues, duoque Juvenes Galli, ejus comites, contrucidati.
Heu Pietas! heu ſancta Fides, majoraque letho
Corda virûm! triplex, mortis pendente ſub ictu,
Poplite curvato, demiſſo victima collo,
Fata manet. Viden', ut ſævos aſſurgat in ictus
Barbarus hinc atque hinc connixo corpore Cyclops,

Torva tuens, criſtæque ferox crinalis honore?
Altiùs adductis ſupra capita atra lacertis
Elatam vibrat, ſpirans immanè, ſecurim.
O miſeri, quæ tanta animos occæcat Erynnis?
Quis tantus furor? ipſum illum, qui limina cæli
Pandebat, Stygiâque animas fornace revulſas
Venerat in Divûm æternos miſſurus honores,
Sparſas rore ſacro, & partu meliore renatas;
Paciferum infando mactatis funere Myſten?
Non aliter, quàm ſi Huronî Dux agminis, atras
Pago inferre faces, inimicaque figere tela
Pectore bellantum furat implacabilis hoſtis,
Vi populare caſas, raptaſque avertere matres
Cum ſobole Hiroquiûm, totamque exſcindere gentem.
Immites animæ, natalibus aſpera ſilvis
Corda magis! rigidiſne attritos fuſtibus artus,
Infixas digitis præacutâ cuſpide ſentes,
Carnivoriſque antehac præciſos dentibus ungues
Iſaci; ac morſu digitos truncaſſe ferino
Num ſatis, & rapto mutilatas pollice palmas?
Nempe ſemel veſtris extractum faucibus olim,
Nec ſolitos paviſſe rogos doluiſtis, Averni
Effigiem, & Stygii ſimulacra horrenda camini.
Jam toto rediens odia exſaturare cruore,
Et malè pacatas (id pœnis defuit unum)
Imbuere Iſacus revocatâ morte bipennes
Debuit, ac truncum demergi flumine corpus.
Sancte Pater, bis ſanguineos experte furores,
Incaſſum, heu, quondam præſenti erepte periclo!
Per varios pelagi caſus patria alta reverſum,
Emeritum pœniſque exhauſtum vidit acerbis.
Crebra, neque indecori horreſcens livore cicatrix
Attonitos ſpectantum oculos defixit, & ipſos
Gallorum Proceres, & Gallica regna * Regentem.
Tu diramque famem, corruptaque vulnera tabo,

* Annam, Frãciæ tunc Moderatricem.

Et Canadæ immenſos glaciantia frigora fluctus
Corpore perpeſſus nudo ; certamina rurſum
Inſtaurare audax, pelagoque, invicte, remenſo,
Tormenti auctorem patrio complexus amore
(Subdola dum pacis prætexit imagine belli
Conſilia, & falſo deludit fœdere Gallos)
Immanem inviſis populum, pœniſque notatos
Silvarum anfractus. ſceleratæ injuria turbæ
Excidit, & vitam indictâ pro morte rependis:
Ni ferus antiquis detrudi ſedibus Orcus
Impatiens, furiis incenſos excitet hoſtes
Stirngere tela manu, ſopita accendere buſta.
Felix, ô nimiùm felix, tecumque, Joguæe,
Fortunati omnes, placidi queis Rector Olympi
Largiùs, optatos votis, haurire dolores
Annuit, & magno mercari funere Cælum!
Non lacrymis hoc funus eget; removete cupreſſos,
Parcite lamentis : ſacras Victoria palmas
Atque triumphales feſta inter gaudia cantus,
Præmia digna petit. longorum extrema laborum
Cæleſti æternam patriâ peperere quietem :
Et quot magnanimum fœdarunt vulnera corpus;
Tot gemmæ, totidem ſtellatæ inſignia frontis
Purpureâ Heroum florentem luce coronam
Contexunt, radiiſque micantia tempora cingunt.
Hæc adeo, ætheriæ miratos ſtemmata palmæ,
Egregios animi Patres, Canadæque colonos,
Quà licitum eſt, mediâ jamdudum in morte retentant:
Palanteſque greges deſerta per invia ſuadent,
Mille inter caſus, rerum diſcrimina mille,
Sectari, & laceræ comites ſe adjungere genti,
Hoſpitiique dapiſque inopes; percurrere ſilvas
Cælum abſcondentes, nivibus tellure ſepultâ;
Vincta gelu maria ac ſcopulos ſuperare minaces;
Et juga per ſalebroſa, & præcipites anfractus,

Errantes animas, raptandam ad ſidera prædam;
Quærere, barbariemque Deo tolerare magiſtro.
Nulla illos facies, non horrida terret Imago
Divino indutas virtutis robore mentes:
Sed magis atque magis pœnarum incenſa cupido
Corda invicta coquit. Tanti pars magna doloris,
Spectacli pars eſſe velint, auctamque cruentis,
Picturæ intexti, pœnis ornare tabellam.

PACIFICATIO CANADENSIS.

AN. CIↃ. IↃC. LIV.

JAM fluvii campique metu, ſaltuſque lacuſque
Inſidiis, nullo hoſte, vacant. non efferus ultrà
Per ſilvas hominum paſſim venatus agetur:
Non captivorum laniena, ollæque nefandæ
Viſceribus pingues miſerorum, atroque cruore.
Carnificum poſuit rabies: fregere lebetas,
Diſcerptos hominum ſubigentes ignibus artus.
Horrida belligeri nec pingent ora rubores.
Neſcia Pax fuci, blando Pax candida vultu,
Cædibus aſſiduis pollutos expiat arcus;
Flammivomoſque tubos poſthac, volucreſque ſagittas
Exercebit, agens luſtra inter devia prædam.
Caſtoreos agitare greges, alceſque juvabit.
Nec poſt corticibus pugnas geſtare cavatis
Indignata frement, ſcopuliſque abrupta procellas
Flumina miſcebunt ſpumoſo naufraga fluctu:
Terreſtrique viâ durum proferre laborem,
Impoſitoſque humeris adigent vectare phaſelos.
Cuncta ſed in partem venient elementa quietis.
Hiroquiæ Paci, nivium mox parcior aër,
Mollius & cælum clementiaque aſtra favebunt.
Æquora difficilem ſubſternent lintribus alveum:
Silvarum populator agros & jugera lata
Deteget, ignavamque ſitu putremque veterno

Rubris coloribus vultum oblinere amát Barbari ad terrorem hoſtiũ.

Tellurem flammâ penetrabilis excoquet ignis.
Culta nitefcet humus, furgentque in farra novales.
Et crefcent telluris opes, crefcente colono.
At vos, ô Chrifto penitus devota caterva,
Cernite maturis albentia frugibus arva, Evangelicæ allegoriæ.
Cæleftique operæ gnavas immittite falces:
Cernite pifcofos verrentia retia tractus.
Ecce autem prædæ Socii gravitate laborant,
Confortefque cient dextras. commercia Cæli
Inftaurare licet: fecura ultroque citroque
Huronum in patriam, fpatio & contracta patefcit;
Quæ quondam immenfos via traxerat invia flexus.
Nec modò connexas antiquo fœdere gentes;
Longinquos etiam populos, quos impia bella
Arcebant, Chrifti imperiis adjungere fas eft.
Hiroquiam ante alias, Heroum fanguine multo
Defponfam & pœnis fecundam invadite gentem:
Quinque unâ populi veniunt fub gente domandi.
Ipfi adeo, certum propriâ regione volentes
Defcripfere locum hofpitibus, Francofque colonos
Expetiere ultro. meffes fperate beatas.
Hæc fola Martyrii generofo femine culta
Jampridem, glebafque rudes cruor almus opimat.
Certè impenfa Patrum fraternæ vita faluti.
Barbarus invifa pro Relligione dolores
Aggerat; & laticis deridet balnea facri,
Myftarumque illufa rigat ferventibus undis
Hiroquius capita: & morbi caufamque caputque
Peftiferi, cladifque, Fidem ratus; improbus ultor
Omnigenâ fævit ficto pro crimine pœnâ.
Ite alacres, ducente Deo. forti æquus utrique
Præmia conftituit; feu pacis carpere fructum
Hiroquii ancipites dederint, odiive cruenti;
Si quid adhuc ftruitur fceleris, cinerique dolofo
Subjecti vivunt ignes, armataque corda

Depositis seruat gens implacabilis armis.
Qualibus insidiis & proditione JOGUÆUS
Oppetiit, dulci simulatæ nomine Pacis
Semiferûm nimis, heu, notas pellectus in oras.
Cæde recalfactum ferrum, rapidâque securi
Discissum caput, & maculosum sanguine, palo
Præfixum est, triste abrupta de pace trophæum:
Collectusque morâ belli furor, impete vasto
Fœdifragi effudit tantò sese acriùs hostis,
Per saltus pagosque ruens. torrente ruinâ
Huronum involuit populum, sedesque subegit
Excisâ patriâ & tectis mutare perustis.
Ite agite, ingentes animæ, atque in utramque paratæ
Fœderis aut belli partem, seu jungere CHRISTO
Immites populos, seu vitam impendere cœpto.
Sic vos Diva potens cæli, notissima toto
Stella mari! sic vos geminis Ignatius ardens,
Indorum * & Domitor facibus per cœrula ducant!
Et qui fecundæ superexspatiatus aquarum
Spiritus incubuit moli, cùm prima foveret
Semina Naturæ, mundique excluderet orbem;
Carbasa agens & corda secundo plurimus æstu
Adspiret, Zephyris melior felicibus Aura.
Nec non & Genius *, pelagi cui credita cura;
Et cui barbaricæ custodia publica terræ;
Indigenûm aligeri Vigiles, vestræque viritim
Excubiæ innocuos placido dent æquore cursus,
Æternæ famuli Mentis, rerumque Ministri.
Ætherias fruges divini è semine verbi,
Nesciaque Oceani corrumpi gurgite salso
Dulcia purpureo Christi de fonte fluenta
Vobiscum vehit ista ratis, multamque salutem
Gentibus, & sacro firmatam sanguine Pacem.
Ast ego palmarem indignus trivisse palæstram,
Præconis certè partes & munia obibo,

* D. Xaverius.
Spiritus Dei ferebatur super aquas. Gen. 1.

* *Angelus aquarum &c.* Apoc. 16.

Invictos

Invictos pugiles atque hoc certamine cæli
Præmia digna canens. Et honos erit huic quoque facto:
Præconique aliquâ Victores fronde coronam
Ferre dabunt, pompamque sui comitare triumphi.

Allusum ad morem Olympium.

IN BARBAROS FOEDIFRAGOS AD CHRISTIANISS. REGEM.

HEI mihi, quòd Vates etiam præsagia fallunt!
Silvicolûm effrænam rabiem atque immania bella
Detonuisse, piâ compostos pace furores
Credideram, fractasque iras; jam condita tela;
Vel solis metuenda feris, solisque secures
Quercubus insontes posthac flammasque minari.
Unda gelu, nive terra, obstructumque arbore cælum,
Omnia jam ridere mihi & splendescere visa.
Scilicet hæc quondam licuit sperare: sed Orci
Turbante invidiâ, & resides acuentibus iras
Fœdifragi Hiroquii furiis, Pax alma refugit,
Heu, quando infidum Canadæ reditura sub axem?
Alma redi, & votis responde certa piorum.
Aut tu victrices Americæ immitte catervas;
Ultorisque cie Martis, LODOÏCE, triumphos.
Nec te Europa capit; Bellonamque evocat ipsa
Pacis amans Pietas (facili sacra assere bello)
Et Dominum sua regna vocant, fundique vacantes;
Barbariem Hiroquiam, sævis grassantia furtis
Agmina, nec mites Christi patientia cultus,
Accelera justâ armipotens excindere opum vi.
Fors & victa metu, tandem mansuescere discat
Gens inimica Deo, Francisque infesta colonis.
Longimanum, auxilio præsens, Canadensibus arvis
Actutum præsta Regem terraque marique.
Jamque tuâ geminum diffusâ pace per orbem

Sentiat optatam veteris Nova Francia ſortem.
 Sic erit. armatas video fervere cohortes
Littore Santonico, & rapidis dare lintea ventis.
Relliquiæ Huronum tenues, profugique manipli
Indigenûm, & Franci pariter gaudete coloni.
En, Pacem referens, & Regia ſigna ſecutis
Læta ſupervolitat Geniis Victoria claſſem.
Relligioque Saluſque feris adnavigat oris.

PAX RESTITUTA.

SIc non vana fides rerum, non irrita vota
Nunc demum cecidere! truces Regalibus armis
Hiroquios ceſſiſſe juvat: renovataque conſtant
Fœdera, nec fictæ gaudemus pignore pacis.
Tracyus inſtructis Americam puppibus oram
Dux tenet, auxilioque ſubit. majoribus olim
Expertus bellis, jam barbara cœpta repreſſit,
Immaneſque animos virtute infregit & arte.
Atque hoſtes quæſiſſe labor, quàm vincere Franco
Major erat. ſed fræna vagos injecta coercent,
Impoſitæque arces ſtagnis, caſtra addita ſilvis.
Barbariem edomuit terror, gentique ſalutem
Ipſa parit clades vaſtatis milite pagis.
Effera jam Paci dociles ſummittere corda,
Hiroquii veniunt; legiſque audire Magiſtros
Ætheriæ, Chriſtique placet condiſcere cultus.
 Ergo certa quies; nec pacem injuria turbat
Hoſtica, promiſſiſque fidem experientia ſanxit;
Mutuaque hoſpitia, & rerum commercia jungunt.
Quin & apex ſacris, & Præſulis infula ſurgit
Quebeco. claris Majorum ſtemmata longè
Virtutum exuperans titulis LAVALLIUS, Orbem
Ecce novum gerit; & Francis pia jura colonis,
Et Canadæ indigenis ſanctas deſcribere leges
Strenuus exemplis factorumque ordine Præſul.

Illuſtriſſ. Frác. de Laval, Epiſ. Quebecenſis in Nova Franciâ primus.

Christiadûm excultam ritu, moresque vetustos
Exutam patrio Antistes complexus amore
Barbariem, cæloque educere cara laborat
Pignora; quàm linguæ illecebris, tam munere dextræ
Blandus agens, captansque Deo silvestria corda.
Nec minus & complexa pium gens tota parentem;
Suavis & accenso reverentia certat amori.

AD EPISC. PRINC. PADERB.

Encomium Ludovici Regis &c.

Nulla tui, Princeps, cultu certaverit ora
Franciadûm genti. nec tantùm imbellia Vates
Plectra tibi, sed tela Duces victricia versant.
En, tua dum latè hibernis grassatur in arva
Fœderis infausti nomen; properatque juvatque,
Regis ad imperium, Paderæ certissimus ultor
Turennus, modò Teutonicas ut aheneus agger
Sustentare potens Rhenoque arcere catervas.
Virtuti adspirat prudentia, vividus arti
Impetus: ac vitiis intactos candida mores
Exornat pietas, pompamque exosa superbam
Gloria, divinoque Fides spectata triumpho,
Castrisque imperitans & fas & splendidus ordo.

V. Vestphaliam Liberatã l. 1. Heroic.

Nec verò, Fernande, Ducum Regumque supremus
Ipse manu Lodoïcus opem, si fortè reposcant
Tempora, ferre neget, solidumque impendere regnum;
Strenuus hic vindex sociorum, Orbique paratæ
Largus opis, nil Versalias aulamque moratur,
Nec vigili parcit curæ; rigidosque labores
Contexit, gressu antevolans sua signa feroci,
Fulmineam longinqua viam per & aspera rumpens;
Ultro æstum brumamque subit, duratque sub armis,
Ac totos affixus equo stat in agmine soles,
Et noctes agit excubiis. castra ipse sagaci
Indefessus obit studio, lustratque per umbram.

Tum si qua increpuit vicino ex hoste pericli
Turbida suspicio, & cœci terroris imago;
Advolat, observatque aditus, & tela lacessit.
Tornacum mihi testis, & aspera castra Duaci;
Insula, totque aliæ, populis mirantibus, urbes:
Et domita hiberno raptim gens Sequana motu.
O quoties tenui ille globo stipante suorum,
Coràm exploravit tentandas molibus arces;
Tormentique intra jactum, simul arduus hostem
Sollicitosque Duci comites formidine vibrat,
Securus tamen usque sui! vallumque minasque
Murorum intentâ speculatur sedulus arte.
Obsidiis formam ipse, locum describere castris;
Agmina dirigere, adversos educere in hostes;
Effrænos superare amnes novitque soletque,
Assiduè incumbens operi. Nec Principe dignum
Ille ratus, palmas alienâ carpere dextrâ;
Ipse suâ, & pulchro riguas sudore petivit.
Belgica jam toties signavit rura trophæis;
Jam Rhenum calcavit eques, jam Cæsare major
BORBONIDES. ubi nunc Parmensis gloria, & illud
Spinolæ decus eximium, clarique triumphi?
Ipsa etiam Justi, Rupellâ ex urbe, Parentis
Laurea decessit longè, te judice, Princeps.
Mensem intra, Batavûm innumeras rapit incitus urbes,
Indomitas priùs, aut annorum denique lapsu
Vix duro obsidiô evictas; armisque virisque,
Arte, situ validas, terrâque undâque potentes;
Tot fossas fluviosque, & propugnacula Gallo
Frustra objectantes. primâ ceu fulguris aurâ,
Regis in adventum penitùs tremere omnia visa,
Aspectu patefactæ arces, disjectaque castra;
Atque ipso trepidæ sternuntur nomine gentes.
Fatalem certo LODOÏCUM Numine sensit,
Victoris rapido stupefacta Batavia cursu

Horruit. ut Cyro quondam, ſic ferrea clauſtra Iſai. 44.
Bellipotens pandit Lodoïco, arceſque ſuperbas
Sternere amat. dux ipſe præit, dextrâque prehenſum
Borbonium populis infert Deus; & ſua bella
Ultor agens læsâ pro Relligione capeſſit.
Expiat antiqua, & ritu violata profano
Templa Batavorum, qui ſanguinis altus honore,
Ingenioque ſacroque micans Bullonius oſtro,
Splendidiùs virtute micat; plebiſque ſalutem
Ambiit, & ſtudiis animas venatur amicis.
Hi ſuaves fructus bellorum, hæc præmia ſunto,
Sacrorum reduces devicta per oppida cultus.
Ah, ne cœpta malæ diſturbent ſplendida fraudes,
Tartareique artes hoſtis, queis funditus omnem
Miſceat Europam, funeſtiſque implicet armis
Chriſtiadas! ne fortè pavor livorque furentes
Concutiat populos, Francis corda ægra triumphis!
Pax tamen, ô, miſeris fugiens conſiſtere terris,
Candidam oliviferæ ſpeciem nitidaſque Columbæ
Rurſus amans pennas, poſt diram læta malorum
Colluviem & ſævis commiſtas ignibus undas,
Pax redeat; victrixque inimicâ ex gente triumphet
Relligio, & victum jam ſe gratante Batavo.
Tum Pacis vigeant Artes, placidæque Camœnæ.
Tuque adeo, belli ſtrepitu curiſque ſolutus,
Publica dum requies Paderæque opulentia regnat,
Regia dona canes; & te, tuaque alma canenti
Munera, præbebis vacuas placidiſſimus aures,
Carminis ipſe mei princeps, & ſummus Apollo,
Tu; reſidem laude increpitans, doniſques laceſſens,
Excutere indignam ſubigis, Fernande, quietem,
Dulcibus & curis muſæ inſtaurare labores.
Doctorum illecebras operum felicibus hauſi
Vix oculis; & jam labefacto pectore rapta
Æſtuat ignea vis, afflatâ Numinis aurâ.

Munere læta tuo, Princeps, inopina recurrit,
Et nondum clausis exundat copia rivis.
Neu Monumenta loquar, multo jam carmine dicta,
Nec satis illa tamen cupido celebrata clienti:
En brevis, ast immensùm eadem, charta aurea, Regis
Laude patens, Clarii laticis quàm dives origo est!
Oceano, validâ Batavi quem mole coercent,
Fortior, aggeribus nusquam vallisque refractus,
Et victor Batavos armis Lodoïcus inundans,
Deucalioneæ ceu tempestatibus undæ.
Quantos pauca mihi, sed gemmea carmina fluctus
Elicuere; novâ quando labor improbus arte
Finibus excitum Oceanum, pavida arva prementem,
Irritat, Francisque opponit turbidus armis!
Scilicet effusas Regis vario agmine laudes,
Et quæcunque sonant Batavi præconia belli,
Principe digna manu Fernandi pagina vincit.

Hæc summa Gratulationis Poëticæ, de quâ l. 1.





SILVARUM
LIBER III.

DE COLORIBUS.

Chromatius proloquitur.


UAM formoſa vagos rapiunt ſpectacula ſenſus,
Æthera ſeu croceum, ſeu conſtra floribus arva
Colluſtrare juvat, ridentiſve æquora ponti,
Fuco ubi purpureas liquido ſol imbuit undas!
At viſus quæcumque avidos miracula paſcant;
Nil ingens cæli ſpecies terræque mariſque,
Infusâ quàm luce color. Thaumantias Iris
Quid, niſi Phœbeo nubes illuſa colore eſt?
Verſicolor, viden', ut lymphis ſalientibus arcus
Fingitur, & vitro circum virgata trigono
Omnia vertuntur? ſic ludit amabilis error:
Intentos oculos ſpeciosâ fraude remulcet

Gratior Elyſio facies, æquandaque Olympo.
Collane lacteolæ referam torquata columbæ,
Et radiante vagos dorſo trepidare colores?
Stellatine oculis Argi, ſpeculiſve micantem
Innumeris, cernique avidum, lætumque coruſco
Pavonem adverſos incendere ſole colores?
Ut caudâ conchatus obambulat! ut ſua jactat
Gaudia! magnificè circumſpicit arduus, & ſe
Circumit ipſe tumens, & formæ conſcius ales.
Quæ genus & Colcho duxiſti à Phaſide nomen,
Non ego te ſileam, aut Numidæ guttata volucris:
Nec vos terreni fugentia corpora tactûs,
Natæ Apodes cælo. non axis munus Eoï
Pſittacus, humanæ doctus commercia linguæ;
Nedum, orbi æquævus, Phœnix indictus abibit.
Totne illaudatos, pennarum oſtenta, colores,
Cyaneos, fulvoſque auro, minioque rubentes
Tranſierim ornatus, & miſta nitentibus umbris
Lumina, & accenſos plumis undantibus ignes?
An, quæ ſanguineis interlita marmora guttis
Dant Phryges? an flavas Nomadum, virideſque Laconum
Perſequar, aut Pario niveas è monte columnas?
Nec color argento eſt, tellus quod avara coercet,
Informi maſſæ, nec læto ſplendor in uſu.
Et ſordet, cui corda inhiant mortalia, ſordet
Imperioſum aurum, pacis bellique poteſtas;
Squallentis glebæ excocta dum fæce colorem
Ducat adoratum populis, radiiſque ſuperbum.
Unde ſuum bacciſque decus, rutiliſque lapillis?
Fallor an eximii laus eſt pretiumque coloris?
Unio candenti, flammas imitante pyropus,
Cœruleo ſapphirus ovat, viridante ſmaragdus:
Iridis & centum varios jaculata colores
Pariete in adverſo miſcet cryſtallina gemma.

Prata refert, lucos, & flumina pulcher achates.
Quid, victrice manu Pyrrhi gestatus, & ipso
Nobilior sceptro? Phœbumque novemque Camœnas
Expressit. maculis sic discurrêre colores
Sponte sua: mirus Parnassum æquavit achates.
Chrysolitos, adamantas, jaspidas, aut amethystos
Enumerem, nitidi censos fulgore coloris?
Hinc famam genus omne trahit; congestaque in arctum
Majestas Naturæ, & non imitabile gaudet
Ingenium tot se in species fudisse colorum.
Naturæ genio tamen æmula certat, & audax
Omnia dædalio tentat præstatque colore.
Artifices inter dubiæ certamina palmæ
Scimus, & allapsas volucres fallacibus uvis;
Parrhasiique dolos, ipsum quæ Zeuxida fuco
Alitibus facto plaudentem animisque tumentem
Induxere, artem tantùm celantia vela.
Sed mage Apelleas tabulas, gratissima Magno
Pellæo decora, & centum potiora trophæis,
Fulmine terribilem dextram, spirantiaque ora
Cælestes animos, Jovis & dignissima nato,
Ceteraque æterni stupeas monimenta coloris.
Quam tota belli incumbens Demetrius acer
Mole premit, Rhodon objecti texere colores,
Protogenis claram arte Rhodon. cedentibus armis
Mœnia servarunt servandæ obsessà tabellæ.
Nec vinci puduit Regem pictoris amore,
Et Poliorcetæ magnum summittere nomen:
Gloria nec tanti captæ fuit urbis, & hosti
Impositæ leges, vastæque opulentia prædæ,
Perderet ut miros victoria sæva colores.
Regesque heroasque creat; mutâque Camœnis
Arte color certans, immites vincere Parcas,
Umbroso extinctos potis est revocare barathro.

Haud secùs ad mores veniens, Virtutis amatur
Neglectâ Virtute color; studioque petitum
Turpibus hunc etiam factis obtendere cœci
Mortales agitant, famamque colore tueri.
Imbuere antiquâ novitas à stirpe colorem
Ambit, & obscuræ splendorem arcessere genti.
Cum Graïo tonat eloquio, cùm Suada Latino;
Unum Suada potens diâ petit arte colorem,
Cecropidûm in cœtu, & magnorum ad rostra Quiritum.
Aoniæ Vates frondis meruere coronam,
Ingenuo veri decorant si ficta colore.
Naturæ usqueadeo color utilis, utilis arti.
Jam Regale ostrum, & Latii prætexta Senatûs,
Palmatæque ducum tunicæ, cinctusque Gabini,
Et trabeæ, & tanti quæcunque insignia fastûs,
Nimirum augusto fulgent spectata colore.
Gypsatæ allectant veneres? non capta colore
In gladios ignemque ruis, furiata juventus?
Te niveæ cervicis honos, te frontis eburnæ
Gratia, te roseis interlucentia malis
Lilia succendunt? color est. color ore decoro
Defluat; aut morbo aut vultum populante senectâ:
Fatali nec Tyndaridis teneatur amore
Priamides raptor; sua nec Briseïs Achillem,
Vel medias inter lauros Chryseïs Atriden
Urat, & Argolicis accersat funera castris.
Nunc age, cui numero ex omni data palma colorum?
Hinc Japones festis nigrum addixere diebus:
Hinc pompa albatos duxit Romana Quirites.
Fascia bellantes insignit candida Gallos,
At rubra Hispanos: & toto discolor ore
Liligeræ se opponit Iber ferrugine genti.
Quin ipsi inter se Franci contendere multo
Cum strepitu, atque alios alii laudare colores,

De Colorum Præstantia Contentio.

Quæ Prasinorum, aliisque distinctorum coloribus factiones quondam in Circensibus ludis viguerunt, eæ sic ad Poëticam disceptationem traductæ sunt, ut duo principum colorum paria, quasi in arenam producta, inter se ludicro certamine componantur.

De Albo et Nigro Colore Dialogus.

Leucophilus, Melanius.

Leucophilus. Maurorum facies, piceo squallore capilli
Æthiopum, tetræque genæ atque informia labra,
Horribiles visu, portenta minacia, larvæ.
O quisquis *niger est, hunc tu, Romane, caveto.* Horat.
Monstrifero nigra ora sinu parit Africa tellus,
Et similes vultûs animas, præcordia mille
Feta dolis. hinc Pœna fides. quid barbara dicam
Pectora, & ingenium Libyco truculentius angue?
At formosa virûm producit corpora felix
Europes regio. niveo mens concolor ori,
Et nullâ infecti scelerum fuligine mores;
Celtarum ante omnes populis, quos Graïa vetustas
Candentes lactis Galatas de nomine dixit.
Quid, quæ roranti Junonis ab ubere nata,
Lilia lactescunt, Gallorum aptissima genti?
Quid via, quâ magni stellata ad templa Tonantis
Diis iter est, ipso facilis candore notari?
Servat adhuc, niveo cælestis nectare mammæ
Tincta, notas memores, & Lactea nomine gaudet.
Candet ebur, candet jasme, candentque ligustra.
Albus olor dulcem fata ad suprema camœnam

Extrahit. at verò damnatus Apollinis irâ
Primævâ ſpecie temerarius excidit index;
Ex quo per campos abjecta cadavera quærit,
Ingluviemque atram fœdis venatibus explet,
Vexat & infauſtis corvus clamoribus aures.
An non cœruleas inter pulcherrima Nymphas
Leucotheë, Matuta eadem, quæ ſidera vincit
Noctivaga, & reducis præcurrit lumina Phœbi?
Melan. Parciùs indigni laudes jactare coloris
Leucophile, ac probris nigrum fœdare labora.
Et ſua laus Ebeno eſt. molles albeſcere vultus
Fœmina amet: formam decuit vis fuſca virilem,
Oraque bellantum. gelidas effeta pruinas
Fert ætatis hiems; vitæque inſigne caducæ,
Tempora quæ rari ſpargunt albentia crines.
Quàm piget incani vulgò puduitque capilli
Matronaſque viroſque! comas fuligine pingunt.
Alcæus, *nigris oculis, nigroque decorum*
Crine Lycum auratâ cecinit teſtudine vates.
Gloria terrarum quondam, nunc ſidus Olympi,
Illa peregrino non aſpernata colore
Æthiopas patrios, & nigri conſcia vultûs,
Vinci indignantes formæ in certamina Nymphas
Caſſiopea vocat. nigram, Jovis aurea proles,
Arſit: & æquoreo victor, jam Gorgore cæsâ,
Andromeden rapuit monſtro Danaeïus heros.
Leuc. Diræ nigreſcunt nubes, agriſque minantur
Concepto imbre graues, fœdæque horrore procellæ:
Aëra per ſudum candentis vellera lanæ
Sparſa volant. placido Titanis ab ore renidet
Candida lux, albique dies. Nox atra, colorum
Prædatrix, redditque chaos, & lumine caſſam
Naturam indignis miſeram terroribus urget.
Dux veris, florumque parens, pelagique tumentis
Blanda quies, pennâ vultuque Favonius albet.

Contrà autem horreſcit nigro Notus efferus ore,
Cumque Noto Caurus, & quiſquis turbidus antro
Æolio erumpens, nautis lacrymabile fatum
Arboribuſque ſatiſque luem cum flamine portat.
Nauta vocat Zephyros; Zephyris clementibus albam
Cædit ovem, & paſſis velorum amplectitur alis
Felices animas; penituſque furentibus Auſtris
Nigrum offert Hiemique pecus. mala Numina,
Manes,
Nigrarum placito pecudum veneranda cruore,
Perſephonen, Stygiumque Jovem, Furiaſque ſorores
Sacrorum monimenta docent. at victima regi
Cœlicolûm candens formoſo corpore taurus
Siſtitur ante aras; puraque in veſte Sacerdos
Conſpicuus, vittis albeſcit tempora puris.
Melan. Candent accenſo prægnantes fulmine nimbi
Obſcuras inter nubes: ceu ferrea maſſa,
Quam faber injectam flammis verſare tenaci
Forcipe ſollicitus, rapido mox extulit igni
Ardentem, & ſævo longè ſtridore minantem.
Haud alia eſt cæli facies: ſic luce malignâ
Horrificæ candent nubes, & fulgura vibrant
Stricturarum inſtar; duraque incudé gementem
Aſſiduo inſtantis fabri ſub verbere maſſam
Deſuper incuſſi tonitrus imitantur, & alto
Hinc atque hinc ſonitu convexa trementia quaſſant.
Forſitan & clarus Boreas, aut albus Japix
Quid peccent, neſcire jubes, incanaque fluctu
Irato maria, & laceras torquentia puppes.
Tun' placidam exagitas Noctem, gratiſſima rebus
Otia præſtantem, mollique accommoda ſomno
Tempora, & optatas feſſis mortalibus umbras?
Stellarum nox caſtra movens, quàm dulcia terris
Explicuit Superûm tacito ſpectacula lapſu!
Ecquis, ubi æſtivos accendit Sirius æſtus,

Non scenam laudat nemorum? fugit ilicet omnis
Umbrosam in vallem campestri ex æquore pastor.
Lanigeri simul ire greges, armentaque læta.
Omnibus umbra placet. cantum philomela sub umbra
Exercet; luduntque vagi per flumina lintres,
Queis, diffusa supèr, patulis umbracula ramis
Impendent. tum pulsa chelys; tum fistula molles
Dat gemitus: liquidum resonat concentibus æquor,
Seu pinus platano socialem admiscuit umbram,
Silvescensve ulmo vitis; seu laurea, densas
Fundere læta comas, ferventia tela retundit;
Frondosis quem non requies invitet amœna
Hospitiis circùm infesto decedere Soli?
Phœbigenûm certè silvas chorus omnis adorat,
Umbriferasque petunt sedes, Parnassiaque antea.
Nec verò, in blandam membrisque animisque quietem
Nata licèt, Nox Aonio male-amica labori.
Et non illa quidem solerti ignava colono.
Mos erat obscuro quondam circumdare luco
Templa Deûm; & spissâ nemorum caligine sanctis
Majestas captata locis: interque silentes
Relligione sacer tenebras diffunditur horror.
Leuc. O venus una hiemis, satus ô castissime cæli,
Hospita terrarum, quo, nix, te nomine dicam?
Fermenti in speciem, gremium telluris amico
Incubitu, teneroque foves turgentia lacte
Frumenta, & molli sola candida pingis amictu.
Qui nitor argenti! qualis purissima blandæ
Auroræ soboles, flavo decus additur auro
Gemma, Erythræ spolium, pulchrive superbia Gangis!
Ut patitur, ferri metuens imparque dolori,
Vulneribus transfigi aures, insigne superbum
Fœmina queis aptet! formæ nova gloria, carum
Pendet onus, gratoque ictu subjecta flagellat
Dives colla globus. scandit capita ardua Regum;

Auratâque micat sublimis in arce coronæ
Unio, sollennesque Deûm spectabilis aras
Exornat. tenebris, quæ sordida cumque, premuntur.
Melan. In nivibus quid tam egregium? miremur aquarum
Scilicet aerias spumas, nimbosque caducos.
Cerne laborantes tristi sub pondere silvas,
Nullaque jam agrorum discrimina, nulla viarum;
Interrupta opera & clausis pigra otia tectis.
Suspice & Alpinas cautes, rigidumque Niphatem
Jupiter & quascunque altâ nive contegit arces.
Hæc juga, Leucophile, & dilectas incole sedes.
Quin canis & solidâ crepitantes grandine gemmas?
Ecquid habet majus, concreti filia roris,
Bacca, globus fragilis, conchæ detractus avaræ,
Improba cui pretium luxûs insania fecit?
At tu Leucopetræ, Nautarumque *ossibus albo*
Sirenum scopulo pretium quid dicere cessas?
Leuc. Insula præclarum, Oceani quæ maxima, nomen
Rupibus alba suis jam olim debere fatetur;
Candidaque Elysio puros capit insula Manes.
Albula regnator fluviorum; & vitreus albos
Sacrato, Clitumne, greges facis amne, Quirinis
Digna parans templis armenta & digna triumphis.
Tu quoque Germanos inter non ultimus amnes,
Albis. at Euxini damnantur nomine fluctus
Et Nigri horrescunt titulo freta inhospita Ponti.
Melan. Dic age, cur, vatum qui per mendacia crevit
Albula (sic olim Hesperii dixere coloni)
Antiquum excussit nomen, Tyberisque vocari
Maluit, & flavi cognomine lætior audit
Cœruleive amnis? tetram exhalare Mephitim
Dicitur Albunea, & Stygias redolere paludes.
At Niger Afrorum sitientia perluit arva,
Torrentis zonæ victor. licèt ignea semper

Æſtas, & nimii depaſcant flumina ſoles,
Ferventes placido ſolatur gurgite tractus.
Sulfurea Nar albus aquâ graveolentibus auris
Proxima corrumpit. Phariis qui nubila ſupplet
Frugiferoſque imbres, pingui cùm ſe extulit alveo
Ægypti facilis læta eluvione colonus,
Maurorum à patriâ veniens, Nigrinque fluento
Natalem referens Nilus ſeptemplice fontem,
Felices nigrâ campos oblimat arenâ.
Leuc. Zoile, ſeu tu *crine ruber*, ſeu tu *niger ore*;
Herculeum exantlas heroo corde laborem,
Zoile, ſi bonus es: cortinam crede locutam.
Atra furit bilis: ſucco loliginis atræ
Invidia, & nigri liveſcit tabe veneni.
Virgineum ſignat florem pulcherrimus albor
Candidaque aprico laudantur pectora ſenſu.
Cana Fides, ſenſu Prudentia cana ſenili;
Simplicis & veri nudus, forma optima, candor.
Innocuæ ſpecimen vitæ, nota certa ſalutis,
Spes trepidis color ille reis. væ, calculus ater
Quos notat. inviſum ferali theta nigrore.
Felices, niveo queis vellere nevit amicâ
Vitam Parca manu: candenti mollia filo
Fata fluent. atenim funebris nuncia luctûs
Nigritia, infauſtumque ferens mortalibus omen.
Candorem & merito quiſquam viciſſe negarit,
Ire triumphali ſolitum ad Capitolia pompâ?
Candentem currum nivei rapuere jugales,
Plauſibus & nivei cælum implevere Quirites.
Martigenis nec tam Ducibus, quàm Roma triumphum
Divino inſtituit juſtiſſima Roma colori.
I nunc, & *nigrum*, ſi fas, *in candida verte.*
Melan. Ingenii fomes (Pellæi crede Magiſtro)
Nigreſcit, rerum illa tenax, Pindo atque Lyceo
Bilis, & imperii clavum tractantibus apta.

Nec

Nec tam canities, feræ fæx languida vitæ,
Quàm sanctum exornat gravitas antiqua Senatum;
Fabricios, dignosque piis dare jura Catones
Sacravit, veneranda, sagax, divina futuri.
I nunc, & Nigros albo pugnare colori
Scilicet indignum clama. sed si qua Maroni
Fortè fides, illo cernatur judice causa.
Quid dubitas? tanto certè *deterrimus albis*
Teste *color*. Veteres meditari perge triumphos;
Albentes miratus equos. tibi cedat aquosus
Iste color, morborum index; tibi pallida cura,
Albescensque metus. tu *parmâ inglorius albâ*.

DE RUFO ET VIRIDI COLORE DIALOGUS.

Cum aliter ignis rubeat, aliter sanguis, aliter ostrum, aliter crocum; has tamen varietates Latina oratio, ex Favorini Philosophi sententia, perinde ac formas partesque Rufo subjectas, unâ Ruboris appellatione complectitur, vel acuentes eum, vel remittentes, vel mista quadam specie temperantes. Ac, teste Frontone, non solùm Rufus & Ruber; sed fulvus & flavus & rubidus & phœniceus & rutilus & luteus & spadix, appellationes sunt Rufi coloris. quemadmodum ad Viridem cæruleus cæsiusque revocantur. ex A. Gellio, l. 2. c. 26.

Domitius, Chlorus, Leuc. Melan.

Domitius. QUID mihi cum nivibus, quid cum deformibus umbris?
Albinos quamvis Proceres, multoque superbos
Romula Corvinos tellus celebravit honore.

Audiimus ; ſed nil laudeſve jocoſve moramur ;
Quidquid mollities Albi faſtuſque coloris ;
Quidquid falſa Nigri ſpecies , & gloria jactat.
Una placet Rufo veniens in corpore forma.
Ut crinale aurum capiti , barbæque comæque
Fulget honos ! nigris Hiſpania crinibus horret :
At rutilis generoſa comis & vertice fulvo ,
Heroum fecunda parens & maxima nutrix ,
Gallia lætatur , tantoque colore ſuperbit.
Chlor. Villorum procul hinc feritas vaccina faceſſat ;
Sulfurei longè crines , & *ahenea barba* ;
Unde tuæ , Domiti , cognomina gentis , & ampla
Stemmata decurrunt. Hac dignum ſtirpe Neronem
Quis neget ? exarſit furiis tamen improbus ; & cùm
Aſpera jam Galli moviſſent arma rebelles ,
Vindicis indoluit leviùs motuque miniſque ,
Gentili quàm cùm opprobrio cognominis ictus.
An temere cælo *barbatos* ire cometas
Aſtrologi narrant ? Crinitas igne maligno
Romani dixere faces. lugubre rubeſcunt ,
Sanguineiſque jubis crudelia fata minantur.
Terrificus Lunæque rubor Soliſque , pericla
Intentat , ventoque graves bacchante procellas.
Domit. Luce rubet placidâ Veſper ; radiiſque rubeſcunt
Æquora Luciferi , & radiis juga picta ruborem
Purpureæque trahunt nubes ridente ſereno.
Maſſylûm ille pavor fulvo ſe corpore jactat ,
Silvarum latè dominus , princepſque ferarum.
Delicias quæris ? gilvæ prælata , ſuperbas
Rubra onerat perdix menſas. Jovis armiger ales
Puniceâ gaudet pennâ , fulmenque coruſcat.
Invalidus caneſcat olor , molliſque columba.
Qui deceat color alipedes , cortina docebit
Virgilii. palmam referunt Spadices honoris.

Quàm rutilante jubâ, tam præpete victor Arion
Igneus emicuit plantâ, Zephyrosque reliquit
Ponè laborantes volucri contendere cursu.
An Balium loquar, & fundentem oracula Xanthum;
Magnanimi Heroïs bigas, quo turbine flavi
Hectora traxerunt pariter Trojamque jugales?
Chlor. Et glaucos idem alipedes, quo teste superbis,
Parte aliquâ summi Vates dignatur honoris.
Me viror ante alios, & quem non cepit amicus
Ille oculis animisque color? sata læta virescunt,
Gemmea prata virent, & amœni gratia veris.
Cœruleæ Divûm sedes, cælestia templa:
Cœrulea Oceani domus, & Neptunia regna.
Nereïdum viridesque oculi, viridesque capilli.
Spes animosa viret, robur viret acre juventæ.
At curam cœcumque alto sub pectore vulnus
Prodit flava lues. defosso concolor auro
(cui super incumbens, avido sordescit amore)
Tabidum avarities animum flavo exprimit ore.
Flava erumpit agens bilis flavente capillo;
Quot setæ, totidem flammata hastilia credas.
Ira oculis manibusque ardet, linguâ intonat ira.
Fulminat. ô superi, terris avertite monstrum.
Quæ strages populorum, & ovantia sanguine bella!
Cæde natant campi, considunt ignibus urbes.
Flavet ebur longâ corruptum ætate: senectâ
Arescens herbarum, aut sidere adustus iniquo
Flavescit vigor: atque immiti frigore flavæ
Defluxere comæ; neque honos aut gratia silvis.
Deliciæ volucrum atque hominum, viridissima Tempe:
Musarumque choros viridi Parnassus in umbra
Æternosque agitat cantus. viridesne smaragdos,
Totque alios verno memorem splendore lapillos?
Luctiferas etiam potis est convertere clades
Lætificam in speciem viror, atque incendia gratis

Pingere imaginibus. flagrantis funera Romæ
Teſtor, & hortenſi ſpeculantem è turre Neronem.
Ille quidem Æneadûm imperio tituliſque potitus,
Crine genus referens, maculoſo corpore fœdus,
Heu dirum omnigeno concretum crimine monſtrum,
Inſontum exitio paſtus, patriæque ruina,
Ardentem potuit Romæ ſub imagine Trojam
Cantare, atque hilari flammas fucare ſmaragdo:
Non tamen innocuum aſpectu ſcelerare colorem,
Barbarus, & macula ſævorum aſpergere morum.
Denique victrices Praſino quis reddere lauros
Abnuerit, palmaſque ſuas, viridantia ſerta?
Et Cumæa virent inſcriptæ oracula frondes.
Domit. O folia, ô pulchris virides cum frondibus herbas!
Nec prædas hiemis pudor eſt, ludibria venti
Magnifico verſu frondes agitaſſe caducas?
Mendaci quàm ſæpe virens ſeges interit arvo,
Votaque mœrentis deludit avara coloni!
At quæ maturis flaveſcit meſſibus æſtas,
Nutrix illa virûm, Cereali munere dives,
Lætitiiſque animos & frugibus horrea complet.
Punica mala vides, queis non formoſius horti
Alcinoi, non Pomonæ felicia ſepta
Frugifero in nemore & cultis mirantur amœnis?
Atque illis ſummâ præfixus verticis arce
Nativi effulget radiatus ſtemmatis orbis;
Et circumfuſo ſpecioſæ murice veſtis
Auguſtum micuere; & ſtructis ordine granis
Intima corda rubent. quid, quæ vigilata Draconi
Ditibus Heſperidum frondent mala aurea ſilvis?
Floræ primus amor, fragrantis gloria Pæſti,
Igne fovet tenero auguſtum Regina colorem,
Hortorum ſuaves rubicundo lumine Ocelli.
Quid flos, purpureâ florum cingente coronâ,

Imperii titulo atque habitu qui se arduus effert?
Et quæ lacteolo jactantur blanda nitore,
Rubra quoque areolis animosaque Lilia regnant,
Francorumque micant victricibus aurea signis.
Vile gravis plumbi livet ferrique metallum:
Divitis at splendor cui non arriserit auri?
Auricomos passimque viros, passimque puellas
Aoniæ multo sonuerunt carmine laudes.
Egregius formâ, belloque invictus Achilles,
Ante omnes fulvo spectatus crine Pelasgos.
Pelides Indo nigrantem Memnona vultu,
Barbaricasque acies viresque Orientis agentem;
Pelides toto canentem vertice Cycnum,
Quem neque fas telo juvenem, nec lædere flammâ;
Hunc atque hunc Phrygiæ stravit sub mœnibus urbis
Exanimum: huic genitor quamvis, huic dia creatrix
Ferret opem; & flavum contra pugnaret Achillem
Cycni Neptunus, Tithonia Memnonis armis.
Nec tantùm Æacidæ rutilat coma. pectore quisquis
Concipit audaci Martem, simul eminet index
Ille animi rubor, & virtutis conscia fulget
Cæsaries, fusco pavidos prodente capillo.
Principis audierit tripodem si Chlorus Homeri;
Principis absistat placito damnatus Homeri.
Scilicet hæc plenis rerum discrimina chartis
Maximus edocuit Vatum.

Chlor. Cœco, ecce, colorum
Judice jam causam vicisti.

Domit. Ast omnia cœcus
Cernere picta dedit, Clarioque expressa colore.
Lyncea mens. Phœboque illustrat proximus orbem.
Mercurius pariter, præsesque Heliconis Apollo
Immortale rubent, quibus est æterna juventa.

Chlor. At viridi ille tuus lauro redimitur Apollo:
Cæsia ovat, glaucisque oculis clarissima Pallas.

Sed quid ego hîc fictos habitus, ludicra retexam
Omnia? mittamus nugas vateſque profanos.
Ecquid adoratum Iſacidis vitulantibus Apim
Noſti, & ſacrilegæ mandata piamina culpæ?
Disjectum ut caſtris ſimulacrum, atque aurea moles
Vindice Legiferi dextra validaque ſecuri
Conciſa, obtrita, & rapidis reſoluta caminis?
Tum latice infuſo cinerem, luſtralia juſſi
Pocula fœdifragi exorbent. hic ſordida noxa
Erupit: rufa ſignati labe nocentes,
Aureaque epoto vituli barba extitit auro.
Hoc decus, hoc pretium, & rubræ laus inclyta formæ.
Domit. Judæi quàm bella canis feſtivaque Apellæ
Somnia, qui miſſis divina capeſſere nugis
Arbitria, & cælo demiſſa oracla jubebas!
Ultro animis ad ſacra vocas monimenta volantem.
Fabula Apellarum, & vatum commenta priorum
Diſcedant. nam quid conſulta oracula Divûm
Reſpondent? cæli dirimat ſententia litem.
Rufus erat, pulcherque aſpectu Iſaïus heros,
Lanigerum duxiſſe gregem Jordanis ad undam
Aſſuetus patris imperio; mox paſcere magnam
Progeniem Abrami multa inter millia lectus,
Paſtorale pedum ſceptro mutavit Hebræo.
Agni inſtar, lacerans urſumque acremque leonem,
Deinde Philiſtæum turritâ mole Giganta
Dejecitque ſolo, & proprio caput enſe recidit.
Primitiæ inſignes juvenis, bellique cruenti
Pulchra rudimenta, & Superûm dignanda trophæis
Gloria! Non contrà regalibus aſper in armis
Inceſſit, validamque ferox ſurrexit in haſtam.
Sed fundam tereti adductam contorſit habena
Procurrens, certoque adverſam vulnere fronte
Perculit. infixo crepuit diffiſſa lapillo:
Et ſonitu ingenti procumbens ardua terram

Conſtravit moles ; gemuit ſub pondere campus.
Unde triumphales tanta in certamina vires,
Majoreſque ætate animos, fortiſſime David,
Traxiſti ? tantumne rudes potuere lacerti,
Ut quem non alti victricia ſæpe Saulis
Tela, neque immenſum Judæi militis agmen
Suſtinuit ; cunctis unus pavitantibus hoſtem
Invadas puer, & ſternas bellator inermis,
Et ſpolium avulſa referas cervice cruentum ?
Hoc illud rufi promiſerat inclyta crinis
Purpura, qua regem inſignit natura futurum
Præſaga, & rubro frontem diademate cinxit.
Scilicet hic Regum ille color, Rex ille colorum.
Princeps ante alios, qui limo principe fulſit
Exhinc terrigenæ nomen facturus Adamo.
Non molli vultus Natura colore nivales
Diluit, aut vivâ faciem fuligine tinxit :
Sed rubrum eſſe dedit generis caput ; unde nepotum
Transfuſus delecta color manavit in ora.
Hunc adeo, juris princeps, Themis alma colorem ;
Hunc & Relligio Latiâ ſublimis in arce
Diligit ante alios, quæque alta palatia Regum
Servat Majeſtas, rubris ſe inſignibus ornat.
Et quid plura canam ? nimirum hic Solis & ignis,
Ingeniique animique color, caſtique pudoris.
Melan. Jeſſeo quæ Nympha tamen cantata nepoti ;
Fuſca licet, formâ Nymphas ſupereminet omnes.
Coccina (nil equidem invideo) Tyriique ruboris
Regifico ſaturam oſtentet ſeſe aurea luxu
Palla ; ſed ipſa nigram Solymis Regina puellis
Prænituit faciem Sulamitis ; & ora colorat,
Intus agens, ſacro qui pectora torret ab æſtu
Sol animi, Rex cordis, Amor. Sponſine decoram
Cæſariem, & criſpos capitis dicemus honores ?
Quale nitet corvus lævis caligine plumæ ;

Haud aliter fuſco generoſi vellere crinis
Splendet Abramæus princeps, gaudetque comarum
Nube coronatam populis oſtendere frontem.
Quin etiam Deus ille, Deus qui ſidera torquet,
Chriſtiadis unum & ſemper venerabile Numen,
Montem in Sinæum legis cum lator aperto
Deſcendit cælo, viſus gaudere tenebris
Et ſeſe arcano nimborum obvelat amictu,
Apparenſque latenſque, & Hebrææ pectora gentis
Auguſto exterrens habitu. tentoria, nubes,
Digna Deo, ſanctique parens nox myſtica cultus.
Leuc. Certior an puro, vel amicior ulla colori,
Quam Superûm veniat ſententia? Thabore in alto
Transformis niveo radiavit Chriſtus amictu,
Æternæ candor lucis. Regnator Olympi
Cyclade victrices animas Deus induit albâ.
Ipſe novo inſcribens candentem nomine gemmam
Cuique ſuum aſſignat ſacrum & mirabile pignus.
Cæleſtes, hominum quoties venêre ſub ora,
Aëre contexto Genios nitidiſſima palla
Induit; & niveo ſplendebat gloria cultu.
Sic albos Superos, Manes ſic novimus atros
Dividere adverſas æquo diſcrimine partes.

PHILALETHES ARBITER

Rixam de Coloribus amice componit.

QUIS modus, ô Socii? & tanto certaminis æſtu
Ludicra alternis probra intorquere decorum,
Et laudes fluxi jactare coloris inanes?
Nunc adeo vocem hanc adytis ſibi quiſque profectam
Occinat. infido *nimiùm ne crede colori.*
Fallit crebra color: niveoque in corpore ſordent
Atræ animæ, Romano & Punica corda ſub ore;
Candidus & fuſcis animus ſubit artubus hoſpes.

Purpura, virginei flos & lux blanda pudoris?
Flavius *, imperii labes; non ille parentem, * Domitianus.
Deliciasve orbis, Fratrem; sed acerba Neronis
Pectora, sed Caî referens immania facta,
Humanæ invisus genti; simul ore ruborem
Induerat, visus simul ejecisse pudorem.
Tum crudo nullus sceleri modus. omnia cædes,
Omnia sanguis erant. sævi rubor ille furoris
Nuncius, & diri fatalis flamma cometæ.
Quid si etiam summos decorat sua purpura Reges?
Sed tamen & *violæ* splendescit *purpura nigræ.*
Proxima virgatis anemone cura tulippis,
Cernitis, ut gratos variat miscetque colores?
Haud secus & varia est, nec sanguine cuncta rubescit
Spineti regina, rosæque tenerrima puro
Lacte natant folia; & niveæ rubræque sororum
Gratia rara placet, junctoque haud invida regno.
Nec minùs hîc aliam foliorum ardore comantem
Pœoniam aspicias; aliam candore nivalem,
Víque salutiferam medicâ, quam nomine signat
Nescia formosi species marcescere floris.
Herculeæ fronti placitam quæ populus umbram
Ornatumque dedit bicolor frondente coronâ;
Candida si foliis, præcelso vertice nigra
Populus exuperat, victrixque & victa triumphat.
Fronde virens, eadem rubet ardua termite palma.
Antè viret, quàm flava Ceres. nascentia vestit
Munera Pomonæ, vestit Baccheïa dona;
Unus & omnigenos Floræ viror usque colores
Sustinet, officiisque Palen comprendit amicis.
Candidus Italiæ Zephyrus, per Gallica regna
Nigrescit, piceasque agit imbrifer æquore nubes.
Albus sæpè Notus, Venusini carmine Vatis;
Luteus est *pallor*; *pulla* est Cythereïa *myrtus.*
Cœruleumne albumne voces pontumque polumque?

Inficit & conſors undas rubor, inficit auras.
Tuque roſas, Aurora, manu quæ fundis amœnâ;
Ore ſimul candes, & roras lutea gemmis.
  Atria fumoſis operoſaque fercula pompæ
Ornat imaginibus, rerum clariſſima Roma.
Creſcit & offusâ rutilans carbunculus umbrâ.
Picturam illuſtrant umbræ : mediiſque ſerenam
Eduxit lucem tenebris Deus. ipſe perenni
Curſu alternantem noctemque diemque reducit.
Has Natura vices amat, hæc diſcrimina rerum.
Aſtra ciens, Lunæque choros Phœbique jugales
Inducit cælo, qui Phoſphorus, Heſperus idem.
Tot ſociat varios arquatâ nube colores
Concilians Iris, ſeu vitro aut fonte relucet
(Titanis ludus) ſeu gemmâ efficta reſultat :
Tot varios plumâ ſociat gens picta volantum.
Ipſi etiam inter ſe admoti cùm bella videntur
Exercere, juvant ſeſe clarantque colores :
Candoremque acuit nigror, candorque nigrorem.
Pulchrior eſt, albens ſonipes frontemque pedemque,
Et nigros oculis ſparſus candentibus artus.
Intertextum ebeno regalem inſignius aulam
Ornat ebur. ſpeculi cryſtallina ridet imago
Gratior, argenti quoties emblemata flavam
Diſtinxere cedrum, aut maculas teſtudinis Indæ;
Circùm incluſa nitet glacies quo lucida ſepto.
  Quid juvat argutâ, ſocii, committere rixâ,
Jucundos multâ quos profuit arte colores
Jungere? Naturæ paſſim diſcordia concors
Temperat, & lætos fecundo fœdere miſcet.
Atque aptas rebus placeat ſi fingere formas;
Conjugio ſanxit pacem, Viridemque marito
Nigrities peperit Rufumque Albore colorem.
Cadmæo fratres ſcelus eſt turbare duello;
In geminum furor eſt natos armare parentem.

Verùm age, ſi libeat ſuperis præcidere litem
Arbitriis; veniant monimenta ad ſacra vocati,
Quos pulchrâ inter ſe componam pace Colores.
Dilecti geminant Candorque Ruborque decorem.
Ieſſeâ radice virens it *virga* ſub auras,
Florida virga Deo: paſſis ſuperincubat alis
Candidior cycno & potior phœnice Columba.
Miſta die riſit, Bethleo conſcia partu,
Abſtulit & vanos rebus *Nox* alma Colores.



H. Watelé jn. L. Cossin ſculp.



SILVARUM LIBER IV.

AD FERDINANDUM

EPISCOPUM AC PRINCIPEM PADERB. &c.

De priori exemplo Panegyrici Poëmatis per infestas armis vias deperdito.



RGO Castalii monumenta amissa laboris,
Quæ, FERNANDE, tibi properata volumina littus
Misit Aquitanum, viridi frondentia lauro;
Dum tua, Neuhusiô castrô devecta, vicissim
Splendida Germanos linquebat littera fines!
Quâ fati invidiâ? quâ vi? quâ fraude locorum
Chartæ infelices, gratæ argumenta Camœnæ

Interiere, graves nimium nimiumque profanas
Paſſa manus? Phœbo male-amici tempora Martis
Ferrea, nil Vatum faſces, nil pignora curant.
Clangoremque tubarum inter, raucoque ſonora
Tympana mugitu, bombardarumque fragores,
Bellonæ horrificos tonitrus, imbellia plectra
Ah, tenuem ſurdo diſperdunt milite muſam.
Sæva latrociniis, paſſimque infeſta vagantur
Agmina; Pegaſeæ abrumpunt commercia gentis.
  Parcite crudeles, ſeu vos Germania miſit,
Seu Batavi Francive agros tenuiſtis & amnes,
Parcite; neu ſacros armis violate Poëtas,
Et FERNANDÆO præſcriptum nomine carmen.
Hoſti etiam venerandus apex, & plurima Virtus,
Quæque Viri geminum volat inclyta Fama per Orbem.
Nec belli conſulta agitat, nec turbat inermis
Calliope. Pacis gaudemus munere Vates,
Puras & petimus lauros. vos illa morentur
Scripta Ducum ſuſpecta, notis horrentia cœcis,
Acribus excubiis vigilique obnoxia curæ.
At mihi FERNANDUM celebrans innoxia apertis
Muſa modis Ubios fertur viſura Colonos;
Inde ſacros Paderæ Fontes, Dominoque beatam;
Lætus Aliſoni quà Luppia confluit, aulam.
Illic hoſpitium nobis, & Regia Pindo
Nobilior, ſociis gaudens ubi ſancta Camœnis
Relligio placidâ populos ditione gubernat.
Reddite, jam tanto percuſſi nomine, donum
Miſſile Raptores. prædam ſervatis inanem?
Laurea non baccis animos hæc paſcet avaros.
An ſolus placuit furor, atque inſana voluptas
Omnia vexandi, & ſpoliatæ gloria Muſæ?
Nil precibus, meritis nil improba corda moventur.
Barbaries doctas inſultans proterit Artes.
  Non ego vocales (facilis jactura) tabellas

Hîc gemitu repeto : dilati munus honoris
Sollicitat, quo te, Princeps Auguſte, per ora
Ferre virûm, ſummo attollens molibar Olympo.
Antè quidem, curis aliò diſtractus iniquis,
Nec jam Regales palmas citharâve tubâve,
Ceu quondam, reſonare memor; ſurduſque vocanti
Famæ abſiſtebam, & longùm tacita ora premebam.
Vulgarem averſus plauſum, lauroſque profanas,
Sacra revolvebam placiti monumenta laboris,
Emeritas ad præla parans ſuprema Camœnas.
Partem etiam celebris vidit me Borgia pompæ,
Borgia Cœlituum faſtis adſcriptus & aris;
Terrarumque novos meditantem audivit honores.
Inde tuis avidus libris doniſque pependi,
Muſarumque Auſpex, & Rex, Fernande, ſacrorum.
Tempora præcipiti rapiens fugientia curſu
Laudibus impendiſſe tuis gratabar; & aulæ
Reddita Neuhuſiæ jam ſpe mea vota fovebam,
Heu rerum ignarus Vates, caſuſque ſiniſtri.
Irrita ſic ambos, expectatique caduca
Officii pietas, & mutua cura fefellit.
Aſt ego nec fatis iraſcar vanus acerbis,
Nec me, quæcunque eſt, Fortunæ injuria verſat.
Temperat arbitriis ſortes Mens provida noſtras,
Et regit incertos certo moderamine caſus.
Ac meruit, fateor, trepido Muſa incita voto
Has perferre moras, & triſtia plangere damna.
Miſta ſed ultrici tamen eſt clementia pœnæ:
Perviaque alternis ultro citroque Camœnis
Facta via eſt. dumque agglomerans undam unda ſequacem
Evocat; aggeſtas vario jam munere chartas
(Spero equidem) Fernande, ſinu complexus amico,
Quo ſe cunque vices rerum diſcrimine vertant,
Servabis cari monumenta æterna clientis.

Hîc, Musæ audito scelera inter Martia casu,
Alite nunc iterum properanda volumina dextrâ.
Sed labor ipse juvat, repetitaque gratia Musæ,
Si modò jam noti perfláverit aura favoris.
Tu porrò & manibus prædonum, ipsius & ævi
Dentibus illæsam vindex præstare Camœnam
Et potes, & blandum spondes testatus amorem.

PALINODIA,

Cùm Poëmatis apographum, quod per infestas armis vias deperditum Autor existimarat, in Germaniam denique perlatum rescisset.

AUDIERAM: sed vana, gravem quæ littera casum
Nuncia portarat, cecidit; nec iniqua Camœnam
Gradivi rabies læsit palantibus armis,
Aut Fernandææ violavit munera laudis.
Et sua stant bello jura, & quas audiat æneos
Tormentorum inter fremitus vis Martia leges.
Ergo, seu medios Cyllenia virga per hostes
Aonii vectorem operis, concessaque juvit
Tessera; seu felix servavit cura, soluti
Agminis insidias latéque vagantia in armis
Prædonum eludens solerti crimina flexu;
Certè Ubiis dudum, quæ credita, reddidit oris
Pignora Musarum, lætâ florentia lauro.
Nec tamen errasse, aut longum renovasse laborem
Præcipiti, FERNANDE, piget pennâque manuque.
Scripta retractanti, nova lux affulsit; & ægri
Nubem animi, desideriis permista removit
Tædia; jam suavi extundit quæ Gratia sensu,
Principis objectâ specie, fallitque laborem.
Tunc ego crescentes operis gratatus honores,

Felicem, & lucrum jacturam nobile dixi.
  Atque utinam, quod vera nimis jam fama renarrat,
Sic cedat, grave, atrox, vix & reparabile damnum.
Parcite, clamabam, crudeles parcite dextræ,
FERNANDI augusto sacratis nomine chartis.
Nunc cladem queror immensam: dolor, ira minacem
Dant gemitum, votisque patet Rhamnusia justis.
Et Musas armarit Amor; Martemque ciebit
Terribili sonitu pecten, vel Apollinis arcus.
  Mitte age, quâ sollennem agitat Germania cœtum
Tutelam imperii meditans, age læsus ad urbem
Mitte graves, FERNANDE, tuâ pro gente querelas;
Cæsareasque aures generosi voce doloris
Concute. Bructericam in gentem commissa luantur.
Et tua jam, Princeps, Leopoldum injuria tangat,
Auxilii memorem, quo barbara contudit arma,
Pannonici funesta inter discrimina belli;
Et sua tunc nexas mirantem ad tempora lauros,
Militiaque istâ duplices, Musâque coronas.
  Vestphalicæ interea robur floremque juventæ,
Quo trepidos inter succincta Colonia motus,
Servandam in patriam revoca, civilibus armis
Direptam, & fœdâ turbatos clade penates.
Ocyùs audaces Paderæ lugentis alumni,
Germanorum equitum lectissima pectora, promant
Ottomano expertos animos palmataque tela.
Nec minor hîc urget pietas: patriæque saluti
Relligionis honos, Romæque innexa Fides est.
  At tu, vel sonitus armorum horrentiaque inter
Tympana & ingentes curas, ni credula vanum
Spes animum & concepta tui fiducia lusit,
Longinquum exaudis Vatem; plenisque receptam
Sensibus atque animis fovet indulgentia Musam.
Illa tuis demum auspiciis revocata sub auras,
Post steriles nixus, post longa silentia, cantum
Instaurat

Instaurat, gratosque, velut rediviva, labores.
Jamdudum exultans regales Musa triumphos,
Quos bello, quos pace tulit LODOÏCUS, & aulæ
Borboniæ decora, & terno quæ plurima lustro
Magnarum Europe stupuit spectacula rerum,
Insignes vario celebrarat pectine casus.
Nec tuus ille, sacris terras moderatus habenis,
Carmine ALEXANDER nostro illaudatus abivit;
Sive triumphalis molitus gaudia pompæ,
CHRISTINÆ adventu, Fideique augusta trophæa;
Seu Loiolæis reddens Veneta arva colonis,
Aut Venetis classem socians, Divosque secundos
Hostem in Threïcium; Pellæo major, & olim
Pacis ALEXANDER, mox belli splendidus auspex.
Tum Spartæ affixus rigidæ, sanctoque recessu
Muta diu plectra infodiens, meme ipse volentem
Umbrâ involvebam tacitâ pigrisque latebris.
Sed vatem haud ultra pateris squallere sepultum.
Tu mihi lux, tu Magne amplum FERNANDE theatrum.
Quid plebem insulsam morer atque Heliconis inanem,
Aut leviter lymphâ tinctam Permesside turbam?
Te circumfuso lectissima flore corona
Gentis Apollineæ, totum spectata per orbem,
Ambiit, atque isto Pindi stat gloria nutu.
Scriptorumque operumque fides tibi maxima, Princeps.
Sponte fluunt alia ex aliis; & divite venâ
Largiùs, an dextrâ, dubium, tua munera currant.
Nec verò tenuis despectas ausa Poëtæ,
Mittere si qua rudis properat munuscula silvæ.
Jam sacer ille tibi, claraque in luce resurgit
BORGIA, quem templis venerandum inscripsit & astris
Relligio, terræque pios complevit honores.
Qui, Latiæ Francæque potens Suadæ atque Camœnæ,
Gaudet Aquitanum Rheno sociasse Garumnam,

Solennia Poëtica D. Borgiæ ab autore cantata, Celsiss. Principi ab Ant. Verjusio alterâ editione consecrata.

Has tibi primitias & non ingrata dicavit
Obsequii referens communi pignora cultu.
Verjusi hæc pietas; cui tantum Borgia debet,
Quantum scriptori Superos, arisque sacratam
Virtutem Historiæ fas est debere, per omnes
Inclyta dum fertur Cælestum gloria terras.
Ipse autem tanto jurati interprete cultûs
Fortè placens; caræque tibi, Fernande, Cohortis
Ductori quondam Francisco ardentia supplex
Pro te vota feram; transcriptisque in tua Musis
Jura decus columenque suum gratabor; & alti
principis æternos venerans meditabor honores.

LUDOVICO MÆRATIO THEOLOGO

Calendæ Apriles an. M. DC. LIX.

Primus & hic, totoque fluent qui deinde secuti
Mense dies, purô, Lodoix, tibi sole nitescant:
Mox alii ex aliis, fœdæ post nubila brumæ,
Purpurei longo succedant ordine menses.
Hei mihi! tempestas reparat se mobilis anni;
Lætior & vernæ revocato flore juventæ
Post hiemem nitidis aperit se mensibus æther.
Non ea sors homini, recidivaque corpore vita.
Et vivax ubi te consumptâ ætate senectus
Dimittet fragilem, sacri Mens alta Lycei
Quò vel Suaresius, vel quò Vasquesius acer
Decidit; ah, nimiùm breve & irreparabile secli
Transierit spatium, nec habet Mors atra regressum,
Donec summa dies redivivum exsuscitet orbem.
Fallor? an extendet mortalis tempora vitæ
Immortalis Honos, & letho Fama superstes?
Jam præstructa via est, quâ te, Doctissime, fati
Legibus eripias: tumulus nec tristibus umbris
Mæratium extinguet nomen; Lucisque supremæ,
Post Fidei nebulas, usum dabit ignea Virtus.

XAVERIUS NAUFRAGUS.

Naufragus Oceano, terni dum tempora ſolis
Tranſierint, latè inſanis agitata procellis
Continuâ ſub nocte ſecat freta. nil tamen Auſtri;
Nil, ſpumante ſalo quæ mille natantia monſtra
Prædæ inhiant, movêre Virum. ſedet aſſere nudo,
Ac pelagi immenſo flagrans Xaverius æſtu
Volvitur, aſſiduaque undarum aſpergine rorat.
Haud major liquido Alcyoni pax æquore conſtat,
Quæ nidum in tenuem & mollem compôſta latebram
Fertur aquis, dum blanda favet Natura volucri,
Lenes adſpirant auræ, pura æthra niteſcit,
Aſtraque marmoreo rident geminata profundo.
At mediâ tranquillam Heroïs corda quietem
Tempeſtate fovent. animum defixit Olympo
Certa Fides; tutoque velut jacta anchora portu,
Inconcuſſa hæret ſpes & fiducia Chriſto.
Jam ſummis pendens præruptæ in montibus undæ,
Sidera contingit, cæloque appellere geſtit:
Jam barathro præceps, immani gurgitum hiatu,
Ad manes ruit, ac Stygio propè mergitur Orco;
Conſcia nec tali intremuit diſcrimine Virtus.
Ventorumque inter fremitus, tonitruſque polorum,
Fulguraque, & cœco confuſa elementa tumultu;
Dulcia divino vibrans ſuſpiria amore,
Imperium æterni majeſtatemque Parentis
Pectore miratur ſecuro, & cuncta cieri
Numine gratatur; nutu maria alta ſupremo
Attollique premique, & fræna audire procellas.
Sic fruitur mens ſacra Deo, gaudetque periclo;
Nec circumfusâ revocari à morte precatur,
Ni gravior maneat caſus. majora pericla
Provocat, & votis ardens audacibus ambit.

ALETHIA ET ASTRÆA

SIVE ORATIO DE VERITATE ET JUSTITIA AB ILLUSTRISS. ARNALDO PONTACO Senatus Burdigalensis principe habita

Ad solennem forensium actionum instaurationem
AN. M. DC. LV.

FATIDICÆ Princeps citharæ, quem sæpè canentem
Jordanis tacito suspensus fluminis alveo
Obstupuit; miserique Orco turbata Saülis
Regia, Tartareas frangentem carmine vires;
Desine terrarum solitas incessere fraudes,
Perque omnes diffusa hominum mendacia vitas.
Veritas de terrâ orta est, & justitia de cælo prospexit. Psal. 84. Quin mage Alethiam regali concine plectro
Tellure exortam, cælo simul extulit alto
Justitia os sacrum, purâque in luce retexit
Purpureo astrorum redimitam examine frontem.
Seclis illa prior, divinoque edita partu
Omnia solerti radio miracula rerum
Descripsit; priscumque chaos, discordia mundi
Semina digessit, tenebrasque evoluit inertes.
Indivisa comes, paribusque exercita curis
Ibat Alethiæ, & libram germana ferebat
Justitia. hæc stellis numeros, & pondera ventis
Addidit: hæc cæli spatium dimensa, solique est:
Præfixit vallum pelago, & spumantibus undis
Littoream objecit certo munimine arenam.
Sic patri communem operam soror utraque primùm
Impendit, magnis componens legibus orbem.
Tempora jam ex illo fœdus sociale coivit
Terram inter, Cælumque. unà primæva creavit
Corpora; diversâque Deus quæ parte locarat,
Junxit amicitiâ tamen; & magnetica vincla

Intendens, certatim ultro citroque favorem
Alternum, donis & reſpondentia dona
Ire dedit, gratumque viciſſim apponere fœnus.
Sidera Tellurem circum rotat arduus Æther,
Quæ vaſtæ occultas vires, vegetumque calorem
Inſinuant moli, perque intima viſcera fundunt;
Et venas implent argenti, aurique metallis;
Floribus, & lucis extrà vernantibus ornant,
Pomifero Autumno, atque æſtivæ munere frugis.
At Terra omniparens; illi dum tota laborat
Cæli cura ſupèr, dumque omnibus influit aſtris;
Haud ingrata, ſuo ſubiens occurrit honore.
Spiritus accenſo ſurgens de corpore Cælum
Appetit: & qualem Panchæo ture flagrantes
Subjiciunt aræ fumum, venerata rependit.
Atque hinc (ſi qua fides veterum) ſua ſidera paſcit,
Rurſus & in gremium terræ feliciùs Æther
Reddit agens lætos fecundis nubibus imbres;
Unde ſatis vigor, & frugum nova copia creſcit,
Magnaque inexhauſto fœtus alit ubere mater.
Nec vinci Tellus patitur; ſed principe limo
Corpora ficta virûm cælo tranſmittit habenda,
Incrementa Jovis. cedunt Cæleſtia ſigna
Terrigenis: diæ radio fulgentia mentis
Clariùs iſta ſuos, alieni haud indigna motûs,
Conficiunt curſus. præbet templa hoſpita Cælum;
Suggerit Indigetes Tellus ſtellantibus aris.
Hæc adeò inſtituit geminæ commercia parti
Indiſcreta ſoror (doctæ fas credere genti
Hebræûm, ſacris miſcentum vocibus ambas.)
Illa etiam ſuperis defluxit ſedibus ultro,
Diva Deo genita; & valles inviſere noſtras
Dignata, humanam faciem, mortaliaque ora
Virgineâ deſumpſit humo. ſolum Ætheris alti
Antè Patrem referens, Terram ſic deinde parentem

Veritas tua uſque ad nubes, Pſ. 35. Nubes pluant Iuſtum; aperiatur terra... & Iuſtitia oriatur ſimul. Iſai. 45.

Communis fecit ſoboles. jam roſcida, dicas,
Solvit ſe nubes; votiſque vocata ſub æſtum
Deſcendit pluvia, & ſitienti illabitur agro.
Terra ſinus avidos aperit; pariterque Salutis,
Juſtitiæ pariter ſublimi germinat ortu.
Illam certa Fides, illam Spes neſcia falli
Conſequitur, cæli tabulas & ſacra ferentem,
Ac ſua perpetuæ mandantem oracula cedro.
Obvia Alethiæ Clementia venit Olympo,
Mutua Juſtitiæ Pax oſcula fixit; & inter
Abramidas ſolio regnant Salomonis eburno.
Tunc jaculis adverſa premens commenta coruſcis,
Fulmineum & vibrans Verbi inſuperabilis enſem
Diva potens veri, juſtique acerrima vindex,
Perſonata Erebi latè portenta ſubegit.
Pulſa ſuperſtitio templis, injuria roſtris.
Exclamare juvat, celebri quod Perſica plauſu
III. Eſdræ 3. & 4. Aula favens reſonat: Magna eſt, atque omnia demum
Vincit Alethia, & forti de Rege triumphat.
Hanc celebrat polus, hanc ſupplex terræ orbis adorat.
Quippe Error, techniſque inſtructa Calumnia tandem
Concidit; & victæ tabeſcunt tempore Fraudes,
Proditaque infernam repetunt Mendacia noctem.
Clareſcit contrà magis ac magis, invidiamque
Virtute exuperat tranſcendens omnia Verum.
Cetera quondam igni reſoluta elementa liqueſcent,
Telluſque, Oceanuſque, & qui ſuper incubat Aër,
Aureaque illa etiam radiantis machina Cæli;
Quàm citò in ardentes abeunt conſumpta favillas
Complicitæ flammis injecta volumina chartæ.
Atque ipſe in ſeſe, poſtquàm cuncta hauſerit ignis,
Denique ſubſidet, Stygio revolutus Averno.
Verum extincturo ſeclorum opera omnia buſto
Illæſum, mundi poſt fata noviſſima conſtat,
Ac Domino æquævum manet, æternumque manebit.

Dignius an quidquam facundæ munere laudis,
Aut quis Alethiæ præco te dignior alter,
PONTACE, purpurei lumenque caputque Senatûs?
Illam tu rerum summâ, sceptrisque potiri
Jussisti, & placidas latè regnare per urbes
Gallorum, priscoque recudere secla metallo,
Quo sincera Ætas, vitæque insontis amicus
Candor, Alethiæ custos fidusque satelles,
Debitaque integro viguit reverentia Juri.
Sed propriam Divæ sedem, templumque dicasti
Burdigalense forum; & lectâ virtute ministros
Regalem sacris operari hortaris ad aram.
Non tamen inventu facilis, neque cognita vulgo
Fertur Alethia, & curâ quærenda sagaci est.
Nescit Alethiam Præses Solymæus; & ipsam
Audire impatiens testem, jurisque magistram,
Damnat, & invidiæ metuens configit iniquæ.
Democritus mersam puteo; Tellure sepultam
Sanctior illapso dicebat Numine Vates.
Ergo, ut continuo tellus versanda labore
Agricolæ, multoque priùs sudore riganda,
Quò tectam eliciat segetem: sic providus acri
Incumbat studio Judex, Verique latebram
Effodiat; frugemque in luminis evocet auras.
Sæpè vepres & saxa super, sæpè horrida fœdo
Bruma gelu. Quoties mole interclusa Potentum
Est via, & oppressæ vix respirare potestas!
Sic odiis captiva, dolisque urgetur iniquis
Undique Alethia, & justi fallacibus umbris. *Veritatem in injustitia detinent. Rom. I.*
Ac velut indecores medicatur fœmina vultus,
Naturæ certare procax; nitidoque veneno
Picta genas, fatuos ignes accendit amantum:
Haud aliter Veri specie se callidus Error
Dissimulat, gaudetque oculis imponere, & aures
Verborum illecebri & credula pectora ludit.

Detracto nudum fuco tu cernere Verum
Rite doces, ingens ttabeati gloria cœtûs.
Cetera, quæ vacuos tenuissent plurima Vates,
Prætereo; generisque decus, mitrasque tuorum,
Doctrinæque apices, Gallis decora addita fastis,
Ordinis & gemini Torques, nomenque Thuanum
Conjugio amplexus, Parisini Augusta Senatûs
Lumina non tanto dispar comprendis honori,
Castræamque Domum, Polemarchorumque triumphos,
Atque adeo Regum connexam sanguine gentem.
Et patriam excipiet laudem non degener Heres;
Quem juris nodos solventem Academia cælo
Extulit; & pacto invitat jam Præsidis ostro
Curia maturum primos attollere fasces.
Fortunæ quid dona sequar, censumque, domumque
Insignem ante alias, Auream quam nomine dicunt?
At non tu, quanquam impatiens deformis iniqui,
Moribus idem asper, tetricâ & gravitate severus,
Largior officii nemo: descendere ad imos
Nec refugis. demissus honos, sublimior exit.
Deliciæ hinc populi, & summi commune Senatûs
Exemplum, communis amor. Nec purpura, mentis
Præstringit fulgore aciem, morumque nitorem
Inficit, ac sensu titillat corda superbo.
Quam dudum objectam frustra, tollique rogantem,
Suscipere instantes vix persuasistis amici.
Ast alios modici aucupio malè torquet honoris
Ambitus. hunc peteret cum purpura, ferre repulsam
Et jam olim potuit. neglecto culmine major,
Externæ nil lucis egens, splendore coruscus
Ipse suo; velut Astrææ cùm signa subivit,
Et mundum paribus Libræ sol temperat horis;
Arnaldus proprium exornat, dum admittit, honorem;
Augustoque, gerendum inter, decus allinit ostro.
Liligerum nam qualis eras. quantusque tribunal

Supremâ ditione tenens; regnoque forensi,
Consessu Patrum in medio spectabilis altè!
Burdigalæ vario condensi ex ordine cives
Omnia complerant avido subsellia cœtu,
Ampla neque undantem cepere Palatia turbam.
Tu verò, mirantûm oculos dum pascis hiantes
Majestate oris, gemmantis flumine linguæ
Interea bibulas demulces plurimus aures.
Mendaces tibi nulla merent stipendia Musæ.
Ecquis Alethiæ media in præconia falsis
Laudibus obrepat? Veri, justique tenacem
Te scuto circum illa dedit, longeque tenebras
Dispulit ex oculis; linguamque auresque modestas,
Ac totam insedit mentem, reducisque labori
Astrææ dedit auspicium, servatque tenorem.
Me quoque nunc eadem, nunc utraque concitat ultro,
Et veram egregiâ laudem pro laude rependit
Ore meo. Nec me arguerit vox publica vanum;
Audacem potiùs, cœptis quòd grandibus impar
Magnificam angusto tenuarim carmine Suadam.

Scuto circumdabit te Veritas. Psalm. 9.

BURDIGALA.

VASCONIS hæc agri & tumidi Regina Garumnæ,
Nympha senex; sed verna hilari nitet ore senectus.
Nec modò seclorum spatiis illæsa venustas
Constat, & Ausonio qualis cantante vigebat:
Sed magis annorum cursu forma inclyta, forma
Excolitur, majorque animoso pectore virtus.
Turrigerum rostrata caput, cui byssina vela
Dependent retro, & Zephyro crispante renident;
Cœruleâque ingens pallâ, quam clarior astro
Purpura distinxit mediam, peregrinaque gaza;
Altiùs ingreditur. Qualis Latonia Phœbe,

Aut Cynthi ſilvis venatur Oreadas inter,
Aut jam ſplendidior creſcentis imagine Lunæ,
Stellarum agglomerante choro, percurrit Olympum,
Puræ ubi noctis iter diſcuſſis nubibus, ore
Una duplexque alio. nec abeſt argenteus arcus:
Quæque feras terris, eadem quoque ab æthere fluctus
Oceani immenſos agitat, miranda poteſtas,
Et maris alternâ certos vice temperat æſtus.
Percuſſum intremuit jaculis radiantibus æquor.
Felix Burdigala, & Muſis memorabile nomen!
Lunato auriferum portu complexa Garumnam,
Lautis prætextum villis, caſtriſque ſuperbum,
Vicini alterno revolutum gurgite ponti.
En, quæ malorum coràm natat ardua ſilva
Vexillis fulgens, tonitruque ſalutat aheno
Aſſiduè veniens operoſa ad littora navis!
Quàm varias infert læta ad commercia gentes,
Germanos, Batavos, gelidâ & quicunque ſub Arcto
Tellurem ingratam populi tenuere feroces,
Nec linguâ, nec veſte pares! grato ecce tumultu
Omnia miſcentur. rerum denſiſſima turba
Robuſtam exercet plebem, nec ſegnis egeſtas
Invenit urbe locum: peregrinæque undique merces
Affluere. urbs totos ſeptem capit una Triones,
Una implet, vel vitiferis ſat dives arenis.
Felix Burdigalæ poſt horrida nubila ſedes!
Relliquias non quòd veteris monumentaque Romæ
Servat adhuc, muroſque & propugnacula Marti
Nil ceſſura gerit, dupliceſque aſſurgit in arces:
Non, latis quòd ſtrata viis, & ſplendida tectis,
Ingenuo luxu ſpatioſas explicat aulas:
Quanquam aptos Divis æternâ mole labores
Attollit fanorum, & nubes turribus intrat.
Sed magis imperio Themidis, Patrumque beata
Conſilio, ſummoque Auguſti Præſide Cœtûs!

BETHUNIDÆ ſimul & ſacros oſtentat honores, Illuſtriſſ. Henric. de Bethune, Archiep. Burdig. Aquit. Primas.
Et vigiles curas; tantoque Antiſtite felix
Regnat Aquitanas inter clariſſima gentes.

ASTRÆA REDUX,

Sive Senatus poſt civiles turbas Burdigalæ Reſtitutus.

ASTRÆAM Reducem populi celebrate clientes,
Juraque Aquitanas latè dominata per urbes,
Auguſtoſque Patres, dudum quos muta vocabat
Curia, & averſis inhonora palatia cauſis.
Antè vagam, & ſævi jactatam turbine Martis,
Vidimus attonito Divam fluitare Garumnâ,
Diverſa hoſpitio, nec majeſtate Senatûs
Digna ſatis, populis nec concurrentibus apta
Oppida mutantem, lunatâque urbe remotam.
Et quæ Burdigale, patrio ſpoliata Senatu!
Altera lux, Regnique ingens decus, hei mihi quantùm
Decrevit, quantos exhauſit feſſa labores!
Quanquam velivolas plenis Neptunus abundans
Portubus inveheret claſſes, generoſaque Liber
Munera congereret totis ſpumantia cellis;
Nil deſiderium Aſtrææ tamen illa levarint.
Urbs opibuſque viriſque potens, deſerta jacebat:
Unde priùs leges populi moremque petebant;
Ah, viduæ inſtar habens, gravibuſque oppreſſa ruinis
Bellonæ, diramque luem perpeſſa famemque,
Aſtræam, Aſtræam longo clamore petebat:
Cujus in adventum ſordentes pulvere vultus
Tolleret; ac plenâ tum denique pace potitam
Rite putans, ſolido gauderet munere Regis.
Senſit, & optatis Rex annuit: & ſimul auram
Nuncia fama volans niveis prævertitur alis,
Jam fas Aſtrææ conſueta in templa reverti;

Affore mox, Reducem ſolito comitante Senatu.
Quis mihi nunc plauſus, quis publica gaudia narret?
Ipſi vere novo frondentia culmina jactant
Finitimi colles: ipſæ jam fluminis oræ
Floribus arrident, lactiſque aſpergine rorant:
Ipſi ſubſultant muri, portuſque bicornis.
Curiaque ante omnes, Dominæ gratata regreſſum,
Sponte patet; poſitoque ſitu revireſcere viſa,
Convelli propè viſa loco, atque erumpere geſtit.
Illa triumphalis deducitur agmine pompæ.
Antevolat Regali habitu Clementia, quercu
Nexa comas; geminæque manus conſerta ſorori
Gratia, & interpres dubii Prudentia Juris,
Incorrupta Fides, ac dulcibus aurea vinclis
Illaqueans aures & corda volentia Pitho.
Purpureâ ſe in veſte ferens Aſtræa potenti
Fulgentem dextrâ gladium lanceſque ſiniſtrâ
Suſtinet, æquato librans examine cauſas.
Illam Proſperitas, & aperto Copia cornu,
Virtutumque chorus, Legeſque ſilentia paſſæ
Longa tubas inter violentaque claſſica Martis,
Pars Latiæ, pars Indigenæ, ſectantur euntem
Condenſæ, canis veneranda ſacrataque turma.
Non, illæ, Actæi proles effeta Solonis,
Spartanumve genus: Francorum filia Regum
Plurima, Cæſaribus priſcâ vel origine natæ,
Libertatem habiles frænis cohibere decoris.
Palladiæ ramum felix attollit olivæ,
Jungit & Aſtrææ famulos Concordia cives.
Vidit Aquitanæ genitor pulcherrimus undæ,
Santonicâ Oceani cùm jam remearet ab aula
More Garumna ſuo: cui nautica lintea circùm
Funduntur, glaucumque incinctus arundine crinem
Arquatâ effinxit lunaria cornua fronte;
Quantus non Rhodanus torrens, non Sequana felix

Sorte suâ, latisque Liger spatiatus in arvis.
Atque illum officiis lætum comitatur amicis
Oceanus, fluctusque suos trahit ipse vicissim
In socialem alveum, ripisque allabitur altis.
Sic major rediens, atque urnâ divite nixus,
Burdigalæ intrantem portus examine claro
Vidit, & Astrææ liquido dedit ore salutem.
O Cæli Soboles, Proceres Astræa togatos
Quæ revehis tandem, disjectaque membra reponis
Burdigalæ, augusti corpus regale Senatûs!
Sic equidem sperabam animo, nec inane fefellit
Augurium: agnosco Lodoïci nobile pignus.
Ille meæ insedit ripæ, castroque propinquo,
Cum fera perstreperent turbatis fluctibus arma:
Ille meis subvectus aquis, pictâque carinâ.
Mirabar speciem insolitam, fulgentiaque ora,
Et jam majorem Natum Patre. Quanta voluptas,
Conjugii talem fetum spectare superbi,
Fœderis immemores quo Gallia vinxit Iberos!
Ac Regina parens jam vertice celsior ibat,
Magna parens, eadem Castrorum Mater, & aris
Assidua; insignique altum pietate Tonantem
Concilians nato. precibus victoria servit.
Et mirantur adhuc Lodoïcum Annamque carinæ,
Et riguæ salices, prætentaque fluctibus arva,
Et, quæ spectaclum jussi meminisse, fluenta.
Tunc primùm agnovi facilem, pronumque moveri;
Ac te cùm implacidis jussit secedere rebus,
Burdigalæ referendum ausus spondere Senatum,
Cùm bene tranquillo staret respublica portu.
Bis mutata priùs statio, & placidissima castra,
Ex quo abjuncta tuæ concussis mœnibus urbis;
Nec dominos nostro vertisti à flumine fasces.
Sed tamen hac regnum commune ambobus in actâ:
Navibus hîc locus; hîc mundi commercia fervent.

Ludov. XIII. conjugium Burdigalæ celebratum.

Heu, quàm rara meo dudum ratis amne cucurrit!
Aſtræa hinc aberas. Mavorte onerata Garumnæ
Terga laborabant : noſtro gravis ille labori,
Et fluvio inſultans, ſævis ludebat in armis.
Corpora ſæpè meos fœdarunt ſanguine vultus ;
Sæpè mihi contuſa globis ardentibus ora.
Nunc tecum mea laus, mea fama obtrita reſurget.
Hoſpes & Oceanus, fido ſociatus amore,
Nuncius Aſtrææ Reducis teſtiſque per orbem
Ibit, & huc crebras referet ſine milite claſſes ;
Dividet & Bacchum populis ſitientibus, iſtinc
Spargere vitigeni gaudentem nectaris undas.
Dixerat ; & totis applauſit fluctibus urbi,
Terque Garumna caput Divæ ſubmiſit ovanti.
Et pater Oceanus firmat lætiſſima dicta,
In vitream refluens ſolito velocior aulam ;
Pinnatoſque aſcendit equos ; terraſque per omnes
Tritonis ventoſa cavâ præconia conchâ,
Burdigalæ Aſtræam Reducem conſidere narrant.

ACONTIÆ SULFURATÆ.

SERPENTES rutili ſinuoſis ignibus errant ;
Aut altè exiliunt, & ſibila inania vibrant,
Flagranteſque trahunt caudas, fumoſque ſequaces.
Stant avidi cives infrà, vultumque ſupini
Diſcurſus flammæ varios flexuſque ſequuntur
Luminibus totis : veſtigia cuncta volatûs,
Præcipuè finem obſervant, formamque cadentum.
Nam curſu exhauſti colubri, cum pabula flammæ
Deficiunt, ſuperis fragiles vertuntur ab oris,
Pulvereaſque efflant animas. diſpergitur ardens
Vita in ſcintillas tenues, pluviamque rubentem.
Exuviæ fumo turpes, teretemque ligatæ
Ad virgam (queis parvus adhuc, ceu morte recenti,
Corpore in extincto ſupereſt calor) æthere ab alto

Ante pedes cecidere. illas tellure jacentes
Certatim arripiunt pueri, paſſimque ſuperbi
Oſtentant, quatiuntque manu. Detracta ſubactis
Hoſtibus arma putes, ſpoliiſve induta trophæa.

D. JOANNIS BAPTISTÆ
NATALITIA
Inſigni Tutellæ cultu celebrata.

SOLLENNEM inſtruimus pompam, colleſque propinquos
Luſtramus, flexuſque viæ defixa per omnes
Delubra, & feſtis accendimus ignibus urbem.
Huc ades, ô BAPTISTA! piis hîc omnia fervent
Lætitiis: tibi per vicos Tutella, per agros
Annua ſacra refert: & ovantes aëra cantus
Implerunt, volucres auxerunt ſidera flammæ.
Tu faciles huc flecte oculos, quacunque refulges
Stellantis regione domûs; vultuque ſereno,
Ipſe tui ex alto lætus ſpectaror honoris,
O, dexter vatique tuo populoque clienti
Adſpira; & Pindi quæ conſecrat hoſpes & urbis,
Accipe non ficti monumenta & pignora cultûs.
A te ducta meis primæva eſt gratia Muſis:
Tu mihi lætitiæ princeps, tu carminis autor.
  Natalem ingentis pueri quæ proxima lucem
Anteit, auſpicium ſancti dedit illa triumphi.
Principio, Martini ædes ſtatioque petita eſt.
Antiqui extremâ templi regione ſacellum,
BAPTISTÆ addictus locus eſt. ſuperimminet ipſe,
Qualis erat quondam, villoſo membra camelo
Tectus in obliquum vates. denſiſſima turba
Æſtuat, & parvis ſupplex affunditur aris.
Hinc ſerie tendunt immensâ: &, publica nondum

Pompa licèt moveat, necdum ſacra ſigna coruſcent;
Ferventes, en, cerne, vias, turbamque perennem.
Mellilega Hyblæi ceu quando examina reges
Educunt; liquido volitans ſeſe aëre nubes
Agglomerat, Floræ vel dædala caſtra laceſſit
Undique fuſus apum rutilis exercitus alis.
Apparent crebræ effigies, impreſſà domorum
Parietibus, Magnæ ante omnes ſimulacra Parentis.
Tegmine carbaſeò, florumque halante corollâ
Inſignis, puerumque ſinu complexa Tonantem,
Cognati tantos Baptiſtæ incendit honores.
Trajicitur vitreis errans Correzia lymphis.
Ardua deinde via eſt; ſed amœnâ frangitur umbrâ
Mitis, & æſtivo lux exarmata calore.
Per varios nemorum flexus (nam colle frequenti
Turritum nemoroſa caput Tutella coronat)
Plebs tacitâ affatur Superos prece; cunctaque ſanctos
Compoſita in ritus miro pietatis amore,
Pervolat ætherium votis flagrantibus axem.
Morte ſuâ vincens lethumque Erebumque Theander
Monte in Golgotheo partæ monimenta ſalutis
Quæ ſtatuit, proprioque imbuta cruore dicavit;
Sacra trophæa, Cruces, & propugnacla piorum,
Stant paſſim; ac ſolido ſubſtructa altaria ſaxo
Septenâ ſtatione vocant, quò confluit agmen
Aſſiduo fervens æſtu. Nec ſimplice tantùm
Hæc vulgo dignata: ſacri ſollennia moris
Inſignes opibuſque viri meritiſque frequentant.
Ipſi etiam properare ſenes, properare puelli.
Hi, dextræ impliciti matrum, feſtoque labori
Aſſueſcunt, gaudentque vias didiciſſe parentum,
Jamtum habiles veræ fingi pietatis ad uſus.
Nec modò, quos variæ diſcretos ordine veſtis
Zacharidæ inſcripſit magno Metanœa Sodales;
Supplice ſed cunctos habitu veſtigia cernas
Figere

Figere nuda ſolo, & ceras geſtare flagrantes.
Montibus ut primùm ſummis albeſcit Eous,
Votivum inſtituunt cives agitare laborem,
Baptistæ memores; nec pars vacat ulla dieï;
Dum ſeram accendat formoſus lampada Veſper.
At novus unde meas æris canor impulit aures?
Aëriâ pompæ ſignum ſublimis ab arce
Buccina præcinuit. quæ cymbala muſica verſat,
In numerum turris modulatur, & ardua templo
Increpuit: feſto conſpirant tympana plauſu.
Diſploſi ſonuere tubi; fulſere cometæ
Pulverei, caudamque vago traxere volatu.
Turicremi rubuere ignes, fumoque Sabæo
Pinguis odoratas in nubes cogitur aër:
Ardua concentu templi convexa reſultant.
Procedunt gemino verſu, temploque relicto
Linigeri Myſtæ, per compita perque ſupinos
Trans fluvium colles. longo via flectitur arcu.
Sidera prælucent ingenti cerea tractu;
Illuſumque auro, magnum & venerabile Vatis
Divini ſimulacrum obeunt; circumque Sodales
Innumeri, ac tunicis pueri talaribus albent;
Zacharidæ ante omnes, pueri, dilecta caterva,
Lilia geſtantes, niveorum inſignia morum.
Tale equidem ſanctæ ſupra juga læta Sionis
Crediderim puerorum agmen, turmamque ſequacem
Luſtrifici, quem Baptistes monſtraverat, Agni;
Qui ſacro expungens hominum delicta cruore,
Purpureâ Crucis oppetiit fatalis in ara.
Ariete Signiferi nunc & formoſior aureo,
Victor & Ammonis monſtroſique Agnus Averni,
Florentes aſtris campos ſucciſque madentes
Ambroſiis peragrat ſubmiſſo auguſtus Olympo;
Virginis ille gregis ductor princepſque, nec unquam
Velleris intacti niveos maculatus honores;

Septem oculos, ſeptem, Regum potiora coronis,
Cornua ramoſæ circumdat myſtica fronti.
O quàm dulce melos propriâ ſibi ſorte canentum
Turma Sionæum perluſtrat candida montem,
Quà ſe cunque tulit cæli pulcherrimus Agnus!
  Proxima tu genitrix, Agnoque ſimillima Virgo.
Mox conſanguineus ſequitur BAPTISTA, triumphi
Pars ingens, palmaſque ferens & lilia dextrâ;
Villoſamque auro pellem, radiiſque coruſcam
Indutus; nec jam ſilveſtri pallida melle
Imbuit ora, ſed ætherii ſe nectaris amne
Proluit, & Geniûm paſtu jejunia penſat.
Virgineum cui zona latus ſuccingere viſa,
Jam mollis, jam ſidereis clariſſima gemmis
Zona nitet. bicolore caput diademate nexum
Alba rubro decorant intexta liguſtra roſeto;
Sanguineoque micat colli fulgore cicatrix.
Tum maculæ expertes pueri, inſonteſque puellæ,
Primitiæ illuſtres Agni, ſua lilia portant,
Lacteoloque Agni ſplendentes ſanguine pallas.
  Sed quis me aſtriferas rapuit ſuper impetus arces?
Vos, pueri, vos ô nitidæ, mea gaudia, mentes,
Virgineæ egiſtis mira ad ſpectacula pompæ.
Vos, teneri flores, Superos candore refertis.
Flaminis inde ſacri varius ſeſe explicat ordo;
Fluctibus immenſis populare affunditur agmen.
Pompaque multiplici pſallens diſcrimine vocum,
Lunatum exequitur ſpatium, delubra viarum
Devenerans. reſonat BAPTISTAM amniſque nemuſque;
BAPTISTAM totis recinit pia montibus Echo.
  At tu, ſancte Puer, nato quo geſtiit Orbis,
Ut divina tuæ liceat miracula laudis
Feliceſque ortus & grandia dicere facta,
Solve malos linguæ nexus; ſordentiaque ora
Rite pians, te digna, ſacris & idonea cæli

Finge modis, Vatum ô Princeps! velut igneus Ales
Amoſidæ quondam Vati, carbone ſacrato
Labrorum excoxit vitium, auguſtoque dicavit
Purgata eloquio, & vivo verba imbuit igni.
Nuncius ætherio Gabriel delapſus Olympo,
Virgineas idem ille brevî venturus ad ædes
Numinis Orator, cæli terræque Sequeſter;
Te patri Solymas viſus prædixit ad aras,
Lætitiæ ſegetem inſolitæ; juſſitque JOANNIS
Egregio, proprios quem Gratia poſcat in uſus,
Nomine ſignari; quem, falli neſcia, magnum
Edita per populos Domini ſententia firmet.
Nec te vitigenos latices, ſolitaſve ciborum
Delicias tacturum; & amici Numinis aurâ
Materno jamtum ex utero doniſque replendum
Eximiis, vicino aptum præcurrere Chriſto;
Theſbitæque acres flammato in pectore Vatis
Geſtaturum animos, Judæaque corda potentem
Conciliare Deo, Fideique accendere lumen.
Hæc Gabriel. ſedenim tantis incredula dictis
Mens hominis, promiſſo impar, cæleſtia necdum
Dona recognoſcens, hæſit, pignuſque petivit.
Haud impune quidem. namque objectare ſenectâ
Jam ſibi vim exhauſtam, atque effetæ conjugis annos,
Audentis merito inflixit pœnam Aliger ori,
Et dubiam arcana ſubſtrinxit compede linguam.
Aſt ubi maturo divinæ oracula vocis
Sanxiſti eventu, ſterili ſenis editus alvo;
Exacto cùm octava dies mox orbe recurrit,
Nomine ſignatus juſſo, patria ora loquelæ
Caſſa recluſiſti, & Verbi Vox ipſe tonantis.
Hoc pietatis opus, nodos & vincula linguæ
Damnatæ ſolviſſe Patri. nec munera tantum
Gratari, ſed fata etiam das læta profari,
Atque in longinquos animum tranſmittere caſus.

Quin priùs & fetûs meritis arcana retexit;
Jam propiore afflata Deo, lætiſſima mater;
Felici cùm te, alme, ſinu complexa, puelle,
Cognatam hoſpitio MARIAM ſuſcepit, & ipſam
Prægnantem; ſedenim conceptâ prole beatam
Ante omnes, Domini ſupremâ ſorte Parentem.
Quæ ſimul aligerâ Superûm ſtipata cohorte
Intravit Regina domum, dulcique ſalutem
Ore dedit; ventris materni carcere ſeptus
Audiſti voces infans, queis Gratia ab alto
Vocibus it comes, & primævam abſtergere labem
Accelerans; nec paſſa diu rationis egentem,
Ceu vili de plebe animam, & ſine pectore corpus:
Sed teneram accendit properato lumine mentem,
Lectam animam, & pleno ſaturatam Numinis hauſtu.
Præſentem quâ luce datum eſt agnoſcere Chriſtum;
Jamque inde ex utero vates myſteria pandis,
Sidereum prodis genitrici conſcius Agnum;
Succuſſas hilari exultans pia viſcera motu.

O fax, æternæ fax ô prænuncia lucis,
Ardenſque lucenſque, & Hebrææ pectora gentis
Spectato fulgore hilarans! ô prævia Chriſto
Spes hominum, Sponſi gaudens cæleſtis amore,
Sponſi avidâ vocem aure bibens! tua ſacra colentes,
Quam ſolio undantem potas Agnique Deique,
Lætitiâ aſperge; & famulis, quam nomine præfers,
Alma ſalutiferos irroret Gratia fontes.

Tali BAPTISTAM celebrantes carmine turbæ
Dum tumulis acclive nemus valleſque peragrant;
Interea pæne exhauſtæ jam civibus urbis
Mœnia quos intra, nec iners ad publica ſenſus
Sacra ciet; feſtiva agitant ſpectacula, ludos
Miſſilibus flammis pars exercere, vel ignem
Subjicere extructis alacres per compita ſilvis.
Omnibus in vicis ardet rogus, omnia flammæ.

Præcipuè templi festivos excutit ignes
Pyramis. accenso nec prægnans fulmine nubes,
Cùm lateri impactus violens rimam halitus egit,
Fulgura tot vibrat. spargit jacula ignea moles:
Illa viam signant longè, tractuque corusco
Aëra describunt, pompamque allapsa salutant.
Ac dum supplicibus lustrantur longa catervis
Per clivos spatia, & solitâ statione morantur:
Nunc rutilos jactat vastum per inane colubros,
Et nebulas urit tenues; nunc tela caduca
Destinat ad terram, spectatoresque lacessit
Ictibus innocuis, fluvioque incendia miscet.
Sed magis incœptos BAPTISTÆ exercita ludos
Instaurat, cum pompa redit, longoque propinqui
(Ultima prona via est) descendere colle videntur
Paulatim, fuscâ Metanœæ in veste Sodales.
Nunc age bombardæ, nunc tympana pulsa, tubarum
Commixtis animosa sonis, flammæque volantes
Undique colludunt, *vexillaque Regis* adorant.
Quò propius plenis advoluens collibus agmen,
Spectandi erectæ studio sese admovet urbi;
Acriùs hoc fervet scloppis, atque alite flammâ
Aërius lascivit apex: condensaque cælum,
Artis opus, nova monstra tenent, oculosque remulcent.

Stant gemini funes, queis proxima tecta supremæ
Turri annectuntur, festi pas maxima lusûs.
Actor utrinque frequens hilaris spectacula flammæ
Edit, & assiduo scloppo per mutua ludit;
Incessitque vago, respondetque igne paratus.
Currunt ardentes ultro citroque sagittæ,
Communesque legunt funes, labra ardua donec
Alternæ attigerint molis. nam præpete cursu
Huc delata hærent, saxoque obtusa queruntur
Flammea tela moram; & frustrà indignata, caducas

Acriùs incendunt iras. abſumit inanes
Sulfure relliquias flagrantis acontia vitæ.
Gaudia ſic reducem pietatis ludicra pompam
Gratantur, ſanctoque impenſa elementa triumpho.
Illa ſubit; dumque illa ſuis ſe mœnibus infert,
Ænea Muſarum ante aditus tormenta nitratum
Concipium ignem, & vaſto nubem ore profundunt
Pulveream. ſuccuſſa via eſt, & proxima tecta
Contremuere : cavis geminata remugit imago
Vallibus; & rapido diſſultat turbine flumen.
Poſtremo, vicis dum relligioſa precantum
Agmina vertuntur, referuntque ad limina greſſus;
Ramoſis faculæ lætùm micuere feneſtris
Diſpoſitæ : ſimul ante fores plateiſque parati
Effulſere rogi : ſummique in culmine templi
Turriculæ feſtis ſimul alta ad ſidera flammis
Erumpunt, rutilaſque vomunt læto igne favillas.
Tum reliqua effundit pulvis ſuccenſus in auras
Miſſilia, & primâ jam ſidera nocte laceſſit.
Quin etiam artifici ductu ſæpè actus in orbem,
Contortaque rubens ſpirâ, ſequiturque fugitque,
Et ſeſe ſua per veſtigia circuit ignis.
Undique Vulcani telis certatur : ubique
Exploſæ crepitant cannæ : tuba, fiſtula dulcem
Concentum, mixtæque fides & tympana denſant.
Natali quos deinde tuo, Baptista, recurſus
Congeminat Tutella, pioſque operoſa labores!
Nempe tibi quos albo habitu Metanœa clientes
Addixit, proprios Patroni ingentis honores
Manè obeunt. Solis primos Lunata ſub ortus
Corripiunt ſpatia, & ſilvis rorantibus errant.
It niveum clivis agmen : puerûmque manipli
Hîc etiam (ſtola pura pedes defluxit ad imos)
Aligerûmque choris ſimiles, ſpectacula præbent,
Cœleſtem & Puerum modulis cecinere tenellis,

Ponè ingens populi vis agglomerata Sodales
Consequitur : lucentque facum longo ordine silvæ ;
Et latè sacro discreti lumine colles.
Mox aliæ læto pompæ splendore per urbem.
Publica inardescit pietas ; festamque per ædem
Orator magni celebrat præconia Vatis.
Hæc ego Baptistæ ingenti compulsus amore,
Verùm arcto inclusus spatio, properata canebam :
Baptistæ, cujus sacris æterna laborat
Tutellæ pietas, Cælique imitatur honores.

MAGNI BAPTISTÆ LAUDES.

Nam tua quæ tantis damnasti crimina pœnis,
Jam sacer ante ortum, jam sanctâ concitus aurâ,
Numinis & lætos spirans, quo plenus, amores ?
Desertor patriæ, cœtus exose profanos,
Solus agis, silvarum hospes, consorsque ferarum.
Nuda tibi spelunca domum, saxosa cubile
Terra dedit ; vestem exuviæ finxere cameli,
Insulsamque locusta dapem & silvestria mella.
Hos ritus, hæc insolitæ studia illa palæstræ
Exerces jam inde à tenero. loca dura subisti,
Lactis egens ; vix prima solo vestigia doctus
Moliri, ætherioque viam jamtum arduus orbi
Affectare docens, supera & vi carpere regna.
Sic alacer, ducente Deo, comitante catervâ
Aligerûm, summi ingrederis Prodrome inclyte Regis.
Supplicibus votis noctesque diesque fatigas
Fervidus, haud ignava terens tacitæ otia vitæ :
Atque urbes fugiens, cælo commercia jungis.
Ad te serpentes posito adrepsere veneno;
Collusere feræ ; & blandæ longo agmine caudæ
Affusâque jubâ placidi mulsere leones.
Mane salutabant volucres, cantuque fovebant
Arrectos animos, suspensâque pectora Olympo.

Te quoque cedrorum ſubmiſſis culmina ramis
Errantem ſaltu immenſo venerata petebant.
  Verùm idem (cùm nota Dei mandata vocarent)
Progreſſus ſilvis, populum ad luſtrale ciebas,
Quo ſcelerum elueret ſordes Metanœa, lavacrum.
  Talem nimirum quondam te, maxime Vates
Fatidicique chori longè decora alta beatus
Sorte novâ exuperans, priſcorum oracula Vatum
Præcinuere, Deo tua jamtum in fata vacante.
Te fore, qui fragili velatum corpore Numen,
Munere cæleſtem referens animoque Miniſtrum,
Anteires; validiſque inſtans hortatibus acer
Deſerta impleres præco loca; vallibus æquos
Conſternens montes, facilemque per aſpra viarum
Rite viam & cœcos regeres per devia flexus.
Te flavis turbatus aquis, inculta per arva
Clamantem, & medio Jordanis in amne ſonantem
Audivit; Galilæa trucis procùl aula Tyranni,
Ceu fremitu accepto magni concuſſa leonis,
Obſtupuit; longeque omnem lateque moveri
Judæam admirans Solymâ cum plebe ſacerdos,
Undoſas, tua regna, frequens accurrit ad oras.
Vocali interea tonitru male conſcia turba
Contremuit perculſa minis; veniamque precata,
Certatim fluvio luſtrandos intulit artus.
  Altiùs & reſonans habitu quàm voce, potenſque
Exemplo urgebas, auſteræque ordine vitæ;
Totus inhorreſcens veſte, atque immitia villis
Texta feris rigidamque incinctus ad ilia zonam;
Longaque vix tenui ſolans jejunia paſtu;
Unde cibi expertem vulgò potuſque ferebant.
Mollibus indutos trabeis, luxuque ſuperbos,
Arguere impauidus Reges, Veneremque probroſam;
Pro monitu & curâ fers aſpera vincla ſalubri.
Utque puellari placuit laſcivia ſaltu

Convivarum oculis, didicit ſævire voluptas:
Et triſtem immiſſus ſcelerati in carceris umbram,
Perque epulas dat grata redux ſpectacula lictor,
Sanguineum diſco caput, illætabile ferclum.
Ah natalitiæ feralia gaudia cœnæ! *Joan. caput in diſco. Heroic. l. 6.*
Compoſitâ occumbens inceſti fraude Tyranni,
Purpureæ, Baptista, refers inſignia palmæ.
Quin & Cælicolas inter ſpectabilis omnes,
Tergeminam emeritâ complexus fronte coronam,
Doctrinæ radiis contextam, & floris honore
Virginei, ac pulchri ſtellantem luce cruoris.
Magnanime Herodis cenſor, populique magiſter,
Et, quam voce doces, legis fortiſſime vindex;
Magna idem præſtare, idem pro Numine lætus
Dura pati! Chriſto natus, linguamque manumque,
Omniaque impendis Chriſto. Fidiſſime Teſtis,
Cæleſtiſque index Agni, & Dux certe ſalutis!
Quis formas virtutum omnes, laudumque tuarum
Nomina percurrat? geminæ tu fibula legis;
Concludiſque aperiſque ſimul fatalia pacta.
Ne quà habetes oculos, fœdáque in nocte jacentes
Terrigenas, ſubito adveniens fulgore coruſcus
Læderet ille parens lucis; tu lumine primô
Imbuis, æterno præmiſſus, Phoſphore, Soli.
An primæva novo revocem miracula cantu?
Zachariæ ſolitas operanti clarus ad aras
Quæ Gabriel ſummo cecinit legatus Olympo?
Aut Mariæ acceſſu, Divæ quæ ſigna Parentis
Attonitâ edideris ſubſultans Matris ab alvo?
Et conſanguineum ſenſiſti, parvule, Numen.
Utque priùs Matrem, ventris compagibus infans
Clauſus adhuc; ſic Patrem etiam natalia vatem
Sacra inter facis; & quam plurimus æthere mentem
Hauſiſti, Puer alme, Parentem in utrunque refundis.
Quò ferar ulterius? Cælo venientis aperto,

Divinæ ſpeciem auguſtam lucemque Columbæ
Vidiſti, & merito Chriſtum ſignantis honore.
Ætherium certâ Genitorem voce tonantem
Audiſti: & mundi labes ſine labe ferentem
Agnum, animas Sancto qui Flamine luſtrat & igni,
Conſcius indiciis Superûm, dextrâ, ore notaſti.
Cujus rite pedes infra dejectus; in altum
Palmam efferre caput, vulgi de more piandum,
(Quanquam humilis, multaque horrens pietate recuſas
Grande miniſterium) juſſus tamen omnia ſupra
Tendere, adoratum vivo caput amne rigaſti.
Tu Chriſti, ille tui præco: te nomine Chriſti
Gens dignata, tuo jactavit nomine Chriſtum.
Hîc variæ demum laudi meta ultima: nec te
Major Adamæâ proles ab origine venit.

JOANNI PAULO OLIVA

SOCIET. JESU PRÆPOSITO GENERALI

Dicatum de Incarnatione volumen

PETRI DEBUGIS EJUSDEM SOCIET. THEOLOGI.

UT rigidæ florent ſentes, puriſſima chartis
Mella fluunt, claræ reſonant oracula voces
Et teneri ſenſus, liquidi ceu nectaris imbres,
Arguta inſinuant ſeſe in certamina, & æſtus
Difficiles inſuetâ aliis dulcedine mulcent;
Facundoſque inter fluctus micat aureus ignis!
Quotquot honoratas Artes tenuere palæſtras;
Pars Latio antiquo flores, pars colle liquores
Cecropio, pars & nemoris ſpolia ampla ſacrati,
Palmarum inſcriptas Hebræa oracula frondes
Convehere, ac teretes gaudent innectere baccas.
Unà omnes cedro incumbunt felicia dextræ

Scripta laborantes certatim, opulentaque donis
Talibus accumulant, cæleſte ſonantia Verbum.
Dignior & quiſquam monimentis talibus auſpex,
Quàm Ducis ætherii præſcriptam nomine Turmam
Qui placidis regit imperiis, Chriſtique vocatum
Sub juga biſgeminum curis amplectitur Orbem?
Ille Quirinali dudum celebratus in Aulâ
Pontificum Orator ſtudiis, ſacrique Senatûs;
Nunc quoque, inexpletas divinis vocibus aures
Mulcet, inexhauſtuſque animis illabitur, ardens,
Aureus, ac miſto ſuavis terrore coruſcat.
Non tam crebra micant mundi laquearibus aſtra,
Pervigiles lychni, puræ ſpectacula noctis;
Quàm denſa excelſæ vibrantia lumina Mentis
Suſpicias, auguſtæ ubi paſſa * volumina Suadæ.

* Tomi Concionum in Apoſtolico Palatio habitarũ &c. V. lib. II. Lyr. Od. XIII.

HORATIUS, MUTIUS, CLOELIA.

Romana prodigia & miracula. Florus.

ROMANÆ ſpeciem Virtutis, & inclyta faſtis
Nomina, tergeminoſque uno de Rege triumphos
Conſpicio. Quantus mihi pontem inſiſtis, Horati,
Sublicium; patriamque adverſo pectore, Thuſcûm
Armatis unus par millibus, obtegis Heros!
Horribilis proh te inſignem cognomine facti,
Scævola, qui dextram injiciens fumantibus aris,
Torvus, atrox, victo ſplendeſcis fortior igni;
Aſpectuque frui pœnæ, ſenſuque doloris
Lætus ovas! Quid tu, Heroum geminæ æmula laudi,
Clœlia, non vinclis patiens, non amne teneri,
Auſa fugâ tumidas victrix enare per undas?
Congreſſumne, fugamne priùs? fluctuſne, focoſne,
Virtutis documenta, canam? Miratur & amnis
Virgineos pariter vultus animoſque viriles,

Mollior incedens : collapſumque omnibus armis ;
Romæ inter lætos fremitus gratoſque fragores
Pontis, & abruptâ felices mole ruinas,
Accipiens facilis Coclitem, applaudenſque natanti.
Et Mutî dextram miratur ſponte flagrantem
Ignis edax. Hoſtes miratur Porſena, monſtris
Attonitus rerum tantis, victumque fatetur.

HORATIUS COCLES.

O Fatale urbi nomen, patriæque ſaluti!
Tergeminos alter fratres, Albana peremit
Robora, cùm Tullo miſſum in compendia bellum;
Inclinatam humeris patriam Romanaque fata
Suſtentans, validiſque aſſertor Horatius armis.
Sed tamen ille fugam ſimulans, & ſingula adortus
Sauciaque illæſus demiſit corpora letho.
Solus Hetruſcam aciem, glomeratiſque aſpera telis
Suſtinet hic fixo concurrentum agmina greſſu :
Scilicet & quos ſtare gradu, pontemque tenere
Invictæ exemplum geminos virtutis adegit
Ingentis fati comites, dimiſit in urbem;
Et ſibi ſe gaudet ſupremâ in ſorte relinqui.
Terribilem clypeo nimbum ferrique procellam
Exceptat; crebro nec fractus vulnere victor,
Quin hoſtes ultro increpitans, ac tela retorquens;
Cæſorum ſpoliis denſoque cadavere vallum
Ipſe ſibi obtendit, prohibetque immanè ruentes;
Ac totâ belli immotus ſtat mole caduco
Ponte ſuper, Regi palmam extorquere ſuperbus
Fruſtra indignanti, & Thuſcos in bella cienti.
Nec reditum curat, pereat dum ponte revulſo
Hoſti aditus; placitæque ardet ſe involvere cladi.
Vim cunctam interea Thuſcûm, & rapida arma moratur,

Atque capi ærato captam vetat objice Romam.
Qui ſibi, qui patriæ innumero proſpexit ab hoſte,
Cocles, an Argus erat? Tu luxque Saluſque Quiritum,
Tu Scutum patriæ, tu murus aheneus Urbi;
Pro Jove tu Cuſtos & Romæ Stator, Horati!

MUTIUS SCÆVOLA.


PRODITOR ipſe ſui, confeſſo & crimine vindex,
Approbat immanes animos, dextramque flagranti
Immittit foculo; ſpectantemque acriùs urit
Porſennam, terretque ferox. plus illa ferendo,
Quàm cædendo egit. Parce, ardens improbe, dextræ:
Ipſe tui miſereſce; hoſtis jubet. horruit auſis
Quippe tuis, pacemque ambit. Jam Scævola dextram
Semjuſtam recipe, & clarum per ſecula nomen.

CLOELIA.

CLOELIA, Amazonium nomen, tela inter & undas,
Obſes ubi eluſit cuſtodes Clœlia Thuſcos,
Effugit; atque urbi dulces, ſua pignora, Natas
Intactæque decus reddit floremque juventæ.
Hæccine Amazonidûm virtus? hæc dia virago?
Spectatamque fugâ, Romanam Heroïda jactas,
Regia quæ præceps & vincla & fœdera rupit?
Audacem ſua palma fugam, ſua fama ſecuta eſt.
Jam ſupra Mutî facinus, ſupra acris Horati,
Extollis, Porſenna, dolos, queis fallere pulcher
Libertatis amor, Tiberinaque flumina Virgo
Impavido æquales docuit ſuperare natatu.
Ille quidem elapſam ſubitâ gravè concitus irâ
Jure ſuo repetens hoſtis: ſed caſtra reductam
In Tyrrhena amplo decorat Rex juſtus honore.

Laudis & insolitæ, statuâ dignatur equestri
Roma ducem. Celebrate, viri; celebrate, puellæ,
Factum insuetum, ingens; & dignos Virgine mores
Fingite. Virtutis monimentum insigne perennat,
Spumantes fregisse minas Tybrimque ferocem
Ardua ovans; formâque animosi prænitet oris
Clœlia, virgineæ princeps vindexque catervæ.





SILVARUM
LIBER V.

ARCHIMEDES.


ILLE Syracosiæ, Latii cingentibus armis,
Præsidiumque decusque urbis, mirandus & hosti,
Et pariter doctæ metuendus viribus artis,
Ceu Briareus, centena simul dispergere tela
Ille potens, unusque adversam infringere classem,
Dum sedet, & tormenta levi muralia tactu
Temperat, assultusque virûm deridet inanes;
Aut vi belligerâ referens & strage Tonantem,
Terribilis totâ cæli cùm fulminat arce.
Quippe vitro immensum exiguo collegit Olympum,
Terrenumque Deum gessit. quos extudit orbes,
Mens infusa ciet; leges errantibus astris

Describens, annique vias, æternaque ſigna.
Cui tantum ingenio licuit? quam terra negabat,
Cælo excivit opem; Solemque induſtria telum
Fecit: & attonitos vicit, dum dimicat abſens
Miſſilibus radiis, & fulgure ſævit acuto.
Mox fuit ingenium exitio, dum pulvere terras
Metitur deſcripto ardens, operique ſupremo
Incubat, & captis medius terit otia muris,
Labentem ignorans patriam, immotuſque tumultu.
Securum, placidæque inſtantem fervidus arti
Occupat irrumpens miles; fruſtraque vetante
Marcello, Siculum extinxit manus impia lumen.
Ah miſer, & radium dextrâ moriente tenebat,
Confuditque cruore notas inſcriptaque terræ
Signa, cadens patriæ in cineres, pars maxima cladis.
Horruit ipſe ſuum victor ſcelus, horruit enſem,
Nomen ubi auditum ſenis, ingemuitque perempto.

LUDUS TUDICULARIS.

INCLYTUS Heroum fuerit labor, omnia bello
Miſcere, ac totis colliſum viribus orbem
Voluere certatim, & vario protrudere caſu.
Quod ſtrepitu immenſo, atque inſani turbine Martis,
Per freta, per terras geritur labefactaque Regna;
Innocuæ viden' ut referat brevis area pugnæ;
Et procerum curas, operoſa negotia ludat?
Menſa oblonga ſedet, viridique intenta tapete
Sternitur, & valido circum munimine ſepta.
Ligneus hinc fornix, ferro verſatilis illinc
Circulus, adverſi inter ſe fineſque ſub ipſos
Ictibus expoſti ſtant purô cætera campô.
Nunc age qui ritus, quæ ſint ludentibus arma,
Expediam, placidique ſequar diſcrimina belli.
Telorum Libycisve plagis Indiſve petita
Materies, pretio inſignis multoque nitore,

Nec ferro, at secto candens elephante superbit.
Quattuor inde globi campo spatiantur aperto,
Quò tuditum vis agmen agit, torquetque sonantes;
Non tamen ut toto in silvis versata lacerto
Robustum exercet pugilem, saltuque feroci
Concita ferratos refugit pila buxea pulsus.
Molliùs appressum lusor, dextrâque reductâ
Librat, multa movens, tuditem, appulsumque petitò
Sæpè globo tractim alternat; dehinc fronte quadratâ
Arietat, & plagam meditato temperat ictu.
Extremo in spatio locus est, cui desuper arcus
Imminet. huc primò tendunt & proxima captant
Procursu globulorum. hinc spes affulgere rebus;
Hinc palmæ augurium, & vacuum data jura per æquor.
Præsertim pila si patulo trajecta sub arcu,
Dum fauces aliæ tentant, arcumque morantur
Circa sollicitæ; jam circlo immissa triumphat
Princeps, inque novos victrix accingitur ictus.
Quàm variæ martis facies, quantisque palæstram
Motibus exercent! pila seu directa rotatur,
Sive repercussu septorum obliqua foramen
Aut petit, aut validis obstantem incursibus urget.
Obsedêre aditus, & ferri mobilis arctum
Ire globi penitusque sinum transmittere certant:
Ast alii præcludere iter properantque ruuntque
Aggeribus velut oppositis, mediique resistunt.
Nonnunquam & plenis hærentem faucibus orbem
Vi multa extrudi videas, lapsuve quieto
Eludi aversâ ferri revolubilis orâ.
Ludicra trajectu nimirum laurea terno
Constitit, aut campo si quis dejecerit hostes.
Hinc atque hinc latere in gemino patet alta vorago,
Et mensæ duplicem frons utraque pandit hiatum,
Angulus in præceps refugit, foveâque dehiscit

Quiſque ſuâ. geminæ huc fertur violentia partis,
Præcipiteſque globos rapido certamine volvit.
Nec latebroſo unum ſatis eſt merſiſſe barathro;
Victor & alterius fatis audentior inſtat
Conduplicans ictum, & repetito vulnere ſævit.
Quid loquar, ut campo excuſſi vallumque caducâ
Tranſiliant pereantque fugâ? tanto impetus ardens
Turbine agit. trepidos fors, ars, miſcentur in ictus.
Nunc ſeſe agglomerant, nunc eminus arma laceſſunt:
Jam ſtipata acies, confertoque agmine pugnam
Impediunt: toto diſpulſos æquore fundit
Jam temere incurrens impactuſque orbibus orbis.
Fit fragor. obnixi fugiuntque premuntque viciſſim
Verberibus ſeſe alternis: aviduſque nocendi
Uno eodemque ſequax tumulo ſæpe occubat hoſtis.
Nec verò mensâ tantum ludicra geruntur
Bella ſuper; nudoque ſolo graviora ciemus
Robora. contuſos cava faucibus haurit apertis
Foſſa globos. ſedenim haud qualem pila tranſit eburna,
Annulus extremo duri ſedet æquore campi.
Funis at intentus ſurgit, ſignumque canoro
Ære dat impulſus. plauſu dum læta pilarum
Area belligero fervet, canit ære triumphum.

D. MARTIALIS

AQUITANORUM APOSTOLUS,

Eorundem à morbo peſtifero Soſpitator.

TERRARUM dominam peſtis graſſata per urbem
Cum miſeros vaſtâ turbaret clade Quirites;
Phœbigenam, humanæ quando nil civibus artes
Proficiunt creſcitque mali vis dira medendo,
Auxilio accerſunt; quo Numine protinus altos
Romulidûm ad colles, inque hoſpita fana recepto;

Sæva lues Romamque diu populata refugit.
Sic fucum incautis Stygius mortalibus Anguis
Fecit, opemque * Dei brutâ ſub imagine finxit.
Non ea Francigenæ quondam ludibria paſſi,
Cùm per Aquitanos latè ſerpentia tractus
Ignea ſenſerunt triſtis contagia morbi.
Nec longè quæſita ſalus. flammata venena
Artubus exegit pereuntum, auraſque ſalubres
Extudit, atque ægræ revocavit gaudia genti,
Indigetis magni tranſlato in corpore præſens
Soſpita vis, populi precibus concita clientis.
Ergo age, Lemovicas nunquam fruſtrate vocantes,
Ad tua ſacra veni, Præſul, celebrandaque Vati
Annue grata pio pompæ ſollennia cantu.
Quæ cryptâ effoſſum inſedit ſpectabile corpus,
Dive, tuum, *Læti* conſcendam culmina *Montis*.
Jam mihi Parnaſſuſque biceps, Pinduſque Heliconque,
Et quæcunque ſupèr Phœbo juga cognita ſordent.
Sanctior hîc ſtatio Muſis; hîc ardua templa
Structa piæ gentis manibus, morboque fugato
Relligioſi inſtar monumenta erecta trophæi.
Sævior haud morbi facies, nec tetrius illâ
Peſte malum incubuit terris, & corpora letho
Plura dedit. velut immiſſis ubi curribus ardet
Per ſegetes Bellona virûm; trepidamque phalanga
Proturbant & utrinque metunt Saturnia tela.
Talis Aquitanas morbi vis acta per oras.
Ac primùm extremos invadere corporis artus
Viſa lues, acrique manus tentare veneno,
Sive pedes: cœco inde, cuti ſublapſa, meatu
Gliſcere per venas, perque intima viſcera fundi
Ignis edax; donec vitæ fontemque caputque,
Atque ipſam victor penetravit cordis ad arcem.
Quiſquis crudeli afflatus contage, malignos
Combiberat fibris morbi immedicabilis æſtus;

* Æſculapii, Draconis.

Vitæ odiis, furiisque actus tardantia fata
Incusabat, & insano clamore ciebat.
Ætnæos sibi namque rogos, totumque Vesevum,
Et pice ferventes atroque bitumine fluctus
Ferre videbatur. Nequicquam aspergine lymphæ
Ossibus implicitos ignes restinguere certant.
Accendit lympha ipsa magis spirantia busta,
(Qualè superfuso micat acrior ignis olivo)
Horridus & tactis undâ vapor artubus exit.
Tartaream exhalant fumantia membra mephitim.
Ergo in se impatiens sævit dolor, omnia promptus
Dira pati. nec depositæ jam cura salutis;
Sed sensum finire mali, vel cæde, precantur.
Carnifices optant medicos, durumque levamen,
Membra peragrantem ferro compescere flammam.
Quid faciant trepidæ rerum? queis ultima gentes
Præsidiis fata avertant? nil Pæonis herbæ,
Pergameique arcana senis, nil Coa supellex
Profuit; & medicas irrisit Apollinis artes
Orco excita lues, accensâ Numinis irâ.
Irritant fomenta malum. per rura, per urbes
Pestis acervatim longè lateque cadenti
Insultat populo. mœrent deserta locorum,
Exhaustæque domus: & deest jam terra sepulcris.
Illum adeo ultorem scelerum, cui militat omnis
Morborum jurata cohors, pacare necesse est
Et telis spoliare Deum, ne funditus uno
Obruat exitio populos vindicta nocentes.
Sed quis erit voti interpres, qui voce sequestrâ
Causam oret miserorum, infestaque tela Tonanti
Detrahat evicto precibus? Tu, maxime Præsul,
Missus Aquitanum Christi Legatus in orbem.
Tu mirorum opifex, & iniquis proxima rebus
Auxilii via, nec lapsæ spes vana salutis.
Tu potes incensam morborum extinguere pestem;

Ultoremque, tuâ pro gente, ut murus ahenus
Stare Deum contra : cælesti qualis & iræ
Occurrisse audax, cidari inscriptoque verendus
Nomine sacrorum Princeps, Arcæque Minister,
Sontibus immissos condensi fulminis ignes
Turicremo avertit foculo, clademque repressit.
Hæc ubi defixa est animis fiducia Divi;
Undique Lemovicas concurritur. inde petita,
Nusquam inventa priùs, tetri medicamina morbi.
Felici vitam Indigetis manare sepulcro
Sensit adorantum pietas, cùm tortor anhelis
Pectoribus voto in medio consideret ignis.
Nec dubium, quin, eductum si corpus ad auras,
Aëris extemplo vitium purgetur, atroxque
Lethifero carpens igni vitalia pestis.
Tutelare placet tantâ mercede sepulcrum
Pandere, relliquiisque ægram fatalibus urbem
Lustrare, & populo auxilium properare ruenti.
Agmina per vicos ardentum, avidisque salutem
Speratam quærentum oculis, stipata jacebant,
Pignus & incenso augustum clamore vocabant.
Sic, ô Lemovicis decus & tutela, Magister
Ille tuus Solymam quà gressum cunque per urbem
Claviger extulerat Cephas, obsessa tenebant
Compita convectæ ægrorum longo ordine turbæ,
Vel tenui optantes perstringi Sospitis umbrâ.
Nec verò tantâ quenquam de gente fefellit
Spe præsumpta salus. urbem veneranda procurant
Fercula, tabificæque fugant contagia pestis:
Ceu claro Boreas abstergit nubila flatu,
Aëraque everrit pennis, cælumque resolvit.
Dum pia jam angustam procedit pompa per urbem;
Undique depositos (visu mirabile) cives,
Confestim exhaustum Divo reparante vigorem,
Corpora tollere humo, & læto revirescere vultu

Aſpicias, pompamque ſacri celebrare triumphi.
Haud ſecus ac quondam devicto ex hoſte recepti
Laurigeras ſoliti poſt vindicis ire quadrigas.
Septem infelici languentia millia morbo,
Protinus ambroſio dilutas rore medullas
Senſere, & feſtis Ratiaſtum vocibus implent,
Munificum dignâ gratati laude parentem.
Ille ubi ſublimi Soteris proſtitit arâ;
Et populos ſpatio affuſos excludit iniquo,
Quamvis laxa ædes, immenſis arcta catervis;
Sancta laborato fulgentia lipſana in auro,
Templo efferre placet, patulâque in ſede locare,
Impleat ut cupidum populorum aſpectus amorem.
Lemovicas juxta, magnos extructus in uſus,
Clivus Hyperboream modicè conſurgit ad Arcton:
Nomen arena loco fecit; neque collis aprica
Pampineâ veſtire negat ſola vite Lyæus.
Huc myſtarum humeris patriæ fatale ſaluti
Invehitur corpus, tumulique in vertice ſummo
Compoſtum, è ſpeculâ campos deſpectat, & urbem.
Accurrunt populi, & latè loca proxima complent.
Æneus ut coluber, caſtris elatus Hebræis,
Serpentum letale malum & flammante veneno
Diſperſam in populum peſtem retudiſſe videndo
Creditur, & facili læſos ſervaſſe medelâ:
Corporis haud alia eſt montem inſiſtentis imago.
Proſpectu, ægrorum ſerpentem in viſcera flammam
Extinguit; longeque oculis infuſa, per omnes
Non operoſa ſalus permanat corporis artus.
Nativus tantùm ſuperat calor: ille benigni
Innocuique ignis vitali fomite mulcet
Torrida membra priùs; revocatæ in pectora vires.
Numen habet, veteriſque locus veſtigia facti
Servat adhuc; pulchroque ſacer *Mons* nomine gaudet
Lætitiæ memor, & priſcâ ſpectabilis æde.

Lemovicæ, quoties Idus rediere Novembres,
Publica Aquitanæ renovant Soteria gentis.

JULIUS HIPPOLYTUS MENARDERIUS

Regius Anagnostes &c. in Epithalamio Regio Laudator JULII CARD. MAZARINI.

MAXIMUS accisum recreat dum Julius orbem,
Consilii Mentisque potens, & nobile Pacis
Urget opus, Regum nectens felicia vincla:
Alter in heroï partem subit, ecce, laboris
Julius; augustæque legit vestigia Pacis,
Cantabrico ducens Hymenæum à littore Vates.
Jam Liger, & glaucæ per vitrea regna sorores
Omnibus applaudunt ripis : jam Sequana fervet
Laudibus, aure bibens avidâ mirabile carmen;
Flaventesque pater Nymphas ediscere jussit
Et Mazarino dignos & Apolline cantus.
Parnassi rupes, silvarum ingloria tecta
Linquite, Pierides! Francâ Pax regnat in aulâ
Principis auspicio Julî. simul auspice tanto
Sacra Palatinus penetralia pandit Apollo.

D. IGNATII EFFIGIES

Speculo impressa, cum hac epigraphe,

Quàm mihi sordet terra, dum Cælum auspicio!

TALIS erat, nocturnam oculis rorantibus æthram
Cùm peteret flagrans Ignatius. emicat ore V. Lyr. l. II. Od. XV.
Sublimis, terræque animus contemptor Olympum
Spirat, & ardenti speculatur sidera vultu,
Sidera, inaccessi tenues quæ luminis umbræ.
Dum rapit obtutuque haurit defixus anhelo
Ætheriæ sedem patriæ, fulgentia regna;
Numinis abstrusi formosa renidet imago.

Tum fragili quodcunque ſolo ſplendeſcere viſum
Obtuſos ſpecie ſenſus deludit inani,
Deſpectat, vulgi curas miſeratus inertes.
O tenebræ! ô ſordes! heu bruta & noxia tellus!
Inter opes quàm ſordet inops, ſegetemque dolorum
Captat delicias, probroſoſque ambit honores!
Ipſe autem magno in ſpeculo Loiola moratur,
Sidereæ quà celſa micant ſpectacula pompæ,
Blanda ciens tacitus ſuſpiria. Protinus auras
Illa ſupervolitant: nec-ſurdæ templa Sionis,
Aſtraque ſupplicibus reſpondent conſcia votis.
Sic patitur divina; pios ſic paſcit amores
Fervidus, & flammam lacrymoſo diluit imbri.
At lætis dulcem lacrymis pater incitat æſtum.
Gemmiferâ creſcens oculorum aſpergine, cordis
Altior aſſurgit ſtellis & purior ignis.

Hæc tu, magnanimum venerans Heroa, Themiſti,
Aſſiduus meditaris; & alto pectore verſas
Hinc Cæli decora, hinc miſeræ ludibria terræ,
Flammaſque & lacrymas; ſpeculoque affixus inhæres,
Ex quo non vani ſimulacra coloris & umbra;
At ſolidæ laudis ſpecies, at plurima virtus,
Moribus egregiis expreſſa reſultat imago.
Me quoque, me claræ ſancta ad ſpectacula formæ
Sponte vocas, & amica pii conſortia cultûs.
Artis opus geminæ, carum & ſpectabile ſignum,
Dulce tui externâ pignus tranſmittis ab orâ;
Munifici quod ſacra manus, quod ſplendida charta
Verborum officiis cumulans ornare laborat.
Ipſe etiam auguſtâ ſpectatus imagine fulges,
Sollicitatque animum geminæ pietatis imago.
Conceptas utinam divino à lumine flammas
Ardenti impreſſus ſpeculo Loiola reflectat,

Supplice te, radiique aciem vibrante coruſcam!
Aut ſi nulla feram ſtellantis munera flammæ;
Ah, ſpeculo objecto turpes abſtergere ſaltem
Ediſcam maculas, terrarum ſordida longè
Effugiens, votis & jamnunc aſtra capeſſam.

SS. IGNATIUS ET XAVERIUS

Sacro numiſmate expreſſi.

AD MERCURIUM VERDERIUM.

INDIGETUM auguſti vultus, expreſſaque vivis
Ora notis lucent: oculis ardentia corda
Erumpunt: ſupero vertex redimitur honore.
O Gemini, quos non partu Natura ſuperbo,
Gratia ſed magnis ſocios virtutibus æquat,
Et Vaticani ritûs communia ſacra!
Anguſtum, ô, quantum decoris collegit in orbem,
Qui terræ immenſis amplexos cordibus Orbem
Extudit Heroas, parvoque numiſmate clauſit!
Cæſareas quærant Latia inter rudera formas,
Quos antiqua virûm cælatis ora metallis,
Squallenteſque juvant pretiosâ ærugine nummi.
Me pietas, nitido ſpirat quæ plurima ſigno,
Corripit, & blandæ majeſtas ardua frontis;
Seu Loiola pater, ſeu quâ Xaverius ingens
Eminet, aſpectuque animum ſuſpendit hiantem,
Ac tenero mulcet venerantia pectora ſenſu.
Quas ego, Verderi, ſancto pro munere grates,
Quoſve referre parem cantus? nam cetera parco
Nunc equidem memorare, tuæ quæ pignora mentis
Ampla tuli. nec iniqua ſinant jam tempora gratum
Rite animum, meritaſque expromi carmine laudes.
Doctrinæ omnigenæ decus, & Parnaſſia plectra,
Et Sophiæ lectos dumeta per aſpera flores

Si liceat narrare ; & cælo quidquid Aquinas
Detulit, Aligero ſimilis morumque nitore,
Ingeniique acie ! quo te ætheris alta ſonantem
Magnificè audivit plauſu, ſtupuitque Lyceum!
Quæque Sigillorum Cuſtos, Regnique Miniſter
Addidicit, vario jactatus turbine rerum !
Unde laborantis facies argentea Lunæ
Triſtibus horreſcat tenebris ; cur aurea Solis
Ora notent maculæ, ſeclis incognita priſcis
Sidera ; quo gyro Martiſque Joviſque Satelles
Circum erret, numeroque vagantia lumina creſcant.
Mille alias rerum ſpecies, arcanaque mundi ;
Quidquid & Architas, quidquid Babylonius Horos,
Quæque Syracoſius memoranda inventa magiſter
Tradit ; & inventis quod ſedula cura nepotum
Addidit, aut Cimber Tycho, cryſtallina princeps
Tecta colens ; aut qui radiantia ſigna ſecutus,
Perlegit vitreis oculis Galilæus Olympum.
Pluraque felici complexum pectore norunt,
Et ſæpe artifici ſignare mathemata dextrâ
Mercurium læti Proceres vidêre docentem ;
Et nunc eximio meritum venerantur honore.
Fulſit & Hibernæ Patris ſapientia genti,
Cùm Loiolæam juſſus cenſere Cohortem
Ivit ; & Oceani ſummotos gurgite tractus
Inviſens, Româ laudes gratante recepit.
Quid reliquos agitem faſces, & qualibus exin
Rexit Aquitanos ſtudiis curiſque Sodales ?
Sed nimirum, artes ſuperat quæ ſplendida Virtus,
Vindicat æterno primas in carmine partes.
Ignati pater, & ſacræ, Francisce, Cohortis
Alter honos ; quorum ſtellantia ſubjicit ora
Mercurius, pulchroque inſculpta numiſmate donat ;
Pulchriùs ipſe alto ſpirantia pectore geſtat,
Exempla & repetens ingentibus exprimit actis :

Munificum servate Patrem, vestrisque vicissim
Muneribus versuram inopi concedite Musæ.

HYCUSSUS, SEU REX-PASTOR, ALEXANDER VII. PONT.

ROMA, quid horrescens crinitos suspicis ignes?
Ecce pii sidus placidum processit Hycussi;
Sidus, quo dudum bello squallentia rura
Lætentur, mellisque fluant pro sanguine rores;
Pastoresque gregesque sacri caligine pulsâ
Exultent: roseo quantùm non Lucifer igni
Mulceat, aut croceo ridens Pallantias ore.
Ipsi lætitiâ saliunt cum mollibus agnis
Septeni colles: ipsæ jam Tybridis vndæ,
Ipsa canunt jam prata; venit BONUS æthere PASTOR,
Et Sanctæ statuit meliora *Palilia* Romæ.
Illum & olorino facundus Mincius amni,
Et qui pauper aquæ Daunus secat Appula rura,
Tum gelidæ Sulmo liquidissimus ubere lymphæ,
Jampridem insolito plausu excepere canentem.
Ille & Germani petiit cùm littora Rheni;
Aspera corda virûm longoque exercita bello
Leniit, & Pacis blandum inspiravit amorem.
Orphea Tyrrhenum silvæ rupesque secutæ.
At sacram nequiere diu circumdare frontem
Aut apium, aut ederæ, aut suaveolentia lauri
Germina, purpureo decedere jussa galero.
Nunc triplicis summo præfulget honore coronæ
PASTORUM PRINCEPS; & habet commercia cæli.
Ille & oves agnoscit, & ipse agnoscitur illis. Joan. x.
Custodis vocem auditam gressumque sequuntur
Quæque bibunt Aniena fluenta Padumque bidentes,
Quæque Ararim Ligerimque; Tago quæ vellera debent

Aurea; fecundoque Albis quas gramine pascit;
Vistulaque Dravusque, & ripa binominis Istri;
Quæque Indi albescunt Gangisque aspergine sacrâ;
Atque aliæ, terras sparsæ quæcunque per omnes.
Scilicet emissas caulis dux anteit ultrò
Nomine quamque vocans; fontesque & pabula læta
Sufficit, ac vivo curat mersare lavacro.
Errantes coget pecudes, medicabitur ægras,
Languentes referet collo, septisque reponet.
Vipereum avertet virus, scabiemque malignam;
Sedulus & culpam, si quæ subrepserit olim,
Incautam vaga ne perdant contagia turbam,
Compescet, vinumque admisto franget olivo.
Felices Pastore greges, felicia secla!
Latrones, ovium pinguissima corpora mactant;
Et qui Pastores avidâ se pascere curâ,
Non pecus incumbunt. pretio queis vendita cura,
Diffugiunt veniente lupo, atque aliena relinquunt.
Haud ita, cui pecoris merito custodia cessit.
Ne concessa quidem subeuntis præmia lactis
Accipiet, tonsoque aptas de vellere vestes:
Sed magis ipse greges opibus curabit amicis,
Pascuaque argenti rivis manantia pandet,
Et cæli annonam divinæque horrea frugis.
Haud mutos feret ille canes; acrique jubebit
Latratu terrere feras. & fortibus ipse
Pervigil excubiis defensor ovilia servat.
Si quis ab Hercynio saltu lupus irruat atrox,
Sive Caledoniis lustris, orâve Lemanâ;
Intrepidum objiciet dura in discrimina pectus,
Projecisse animam pro caro lætus ovili.
Quin etiam immitesque lupos mutabit, & ursos
Corpora in agnorum, caulisque admittet apertis.
Illi autem sensusque novos, & non sua corda
Attoniti circumspicient; mollique * capistro

* Hœdorum... *ferratis præfi-*

Præbentes placida ora, manum patientur herilem.
Paſtor & infames hircos, armentaque equorum,
Thracia quos hominum, ceu quondam, ſanguine paſcit,
Pellet; & infeſtis purgabit Mænala monſtris,
Mænala Romano quondam regnata Magiſtro;
Ereptique ovibus reddet juga celſa Lycæi.
Hic te, ô Hycuſſe, labor manet, hæc te cura laceſſit.
Sunt & oves aliæ (nec te adduxiſſe pigebit)
Quas Braſilûm deſerta tenent, quas Sinica culta;
Quas Japonum glacieque rigens & torrida flammâ
Inſula, tot pecorum exitio graſſata cruento;
Hoſtia cùm per mille neces occumberet inſons,
Balatu & nullo infandum confeſſa dolorem,
Cum grege paſtores, teneri cum matribus agni.
At nunc omnis, Hycuſſe, tibi manſueſcere diſcit
Barbaries, mittitque novos procul, accipe, fœtus.
Montibus excelſis paſces; herbâque virenti
Accumbent ſaturæ. Qui tanta coagula Montes
Præſtiterint? Seno conſurgit vertice ad aſtra
Mons pinguis, placituſque Deo. Deus ipſe colonus
Et Sedem hanc pluviâ cæli perfundet odorâ,
Subjectam & riguo ditabit nectare vallem.
Tantus amor Cælo, tanta eſt fiducia terræ,
Magne, tui, quo nil melius dedit Optimus orbi,
Ex quo juſſit oves ardentem paſcere Cepham.
Magne, tuum Armeniæ tygres Pœnique leones
Imperium agnoſcent; nec dente aut ungue nocebunt
Romanis adſtrati ovibus: pardoſque Saniris
Inter adulantes medius ſtabulabitur Agnus.
Unus & unius fies Bone Pastor ovilis.

Hæc tibi Aquitanis Vates longinquus ab oris
Cantabam, gregis Auſonii fidiſſime Cuſtos,
Et Regum Pater, & populorum Paſtor, Hycuſſe!

gunt ora capiſtris. Georg. III.

Ezec. XXXIIII.

Pſal. LXVII.

Iſai. XI. & LXV.

Nec tibi diſpliceant ſilveſtris carmina Muſæ ;
Quando & Ephratæi citharâ Paſtoris Hebræus
Rex olim , nunc & gaudent Latialia templa.
Sic tua vota Deus facili bonus hauriat aure !
Ille tibi ſociam demittat ab æthere Pacem ,
Chriſtiadûm in Turcas vertantur ut arma , diuque
Sex flamma alta jugis læto præluceat Orbi !

FULMEN.

ÆTHERIIS delapſa plagis , unde ardua rerum
Subjectam ſeriem , Naturæ ingentia regna
Colluſtro , votis avidi repetita Lycei
Huc venio ; ſed qualis eram , cùm ſplendida primùm
Gentibus Aonio fundebam oracula cantu.
Ergo & quæſitas , ſtudiis acerrima , cauſas
Diſce , cohors , terriſque pavendos fulminis ortus.

Philoſophia deſcripta l. 11. Heroic.

Hæc ubi præcinuit , lectam Regina catervam
Aſpectans juvenum , pleno mox inſonat ore.
Vulcani fumoſa domus , gens torva Cyclopum ,
Armando fulmen quondam fabricare Tonanti
Credita , & ille Jovis cedat procul armiger ales.
Aſpice terribili nubem ferrugine tinctam :
Fulminis hæc fornax. elatæ in viſcera nubis ,
Quem tepefacta parit tellus , fumoque ſequaci
Aſſimilem , ſiccum calidumque exhalat in auras ,
Spiritus inſinuat. miſtus quin ſæpè vapori ,
Quando excitus aquâ ſuperaſque attractus in auras
Surgit ; ubi aërio concrevit frigore nubes ,
Denſatâ incluſus terræ manet halitus undâ.
Interea ſpiſſâ nimborum indagine ſeptus
Paulatim coquitur , paulatim concipit ignem ;
Dum calidum totis oppugnans viribus hoſtem
Arctâque obſidione premens , circùm undique frigus
Funditur , aëria latè regione tyrannus.
Ille autem gelidâ captivus ſede teneri

Impatiens, animiſque furens majoribus acrem
Hoſtis ad aſſultum (creſcunt certamine vires)
Tam magis abruptis erumpere nubibus ardet,
Quàm magis objectæ cogunt latera humida nubes.
Audis, ut vario indignans cum murmure cæli
Diſcurrit? jamque hîc abitum, jam turbidus illic
Molitur, tentatque viam, quâ parte ruinæ
Opportuna labet nubes, rimiſve fatiſcat.
Et modò, ceu longis mugitibus æthera pulſet;
Obtuſo ſonitu, raucique tenore boatûs
Volvitur, & nubis media intra clauſtra rotatur.
Nunc graviter lateri molis ſe impingit opacæ,
Et parte eliſâ dirùm crepat. aridus alto
Crebreſcit fragor, & rimâ fulgente retecti
Fulminis accenſum teſtatur in axe furorem:
Ardentes crebris prorumpunt ignibus iræ.
Atque illam quoties violentior arietat æſtus,
Credideris calidos cribrari deſuper imbres.
Nunc oculis, ſi fortè audes, nunc auribus uſus.
Nimboſo luctata diu cum carcere flamma,
Jam tandem victrix, cava nubis viſcera rumpit.
Ceu fragilis glacies, inſano diſſilit ictu,
Lato vulnere hians: & quà via facta, per auras
Sulfure fumantes immenſis flexibus errans,
Flammeus ut ſerpens, non eluctabile fulmen
Præcipitat. rapidi ſternentibus omnia flabris
Præcurrêre Noti, & majoris nuncia flammæ
Antevolant triſti vibrantia fulgura luce;
Nec vani effractâ glomerantur nube tumultus.
Viſa ſimul ruere æthra, ſimul tremere undique tellus.
Heu quantæ trepidis clades mortalibus inſtant!
Ut globus ille, ardens nitrato pulvere moles,
Ænea Gradivi moles, quem turbine vaſto
Et ſævo ætherias ſonitu jaculatur in auras;
Ille vel adverſas acies, eductave cælo

Culmina, & objectas ictu ruit horridus arces.
Haud aliter fulmen (nimio seu coctilis æstu,
Oblongi in cunei formam sese ille coëgit
Atra in nube lapis; seu tantùm flammeus imber,
Diffususque ardor nimbo se erupit hiulco)
Dat stragem silvis, capita & scopulosa Pyrenes
Decutit, atque ipsas latè depascitur urbes
Mira canam. tenues per corporis *alba* meatus
Si flamma insinuet; transmissam prodere nulla
Indicia; atque idem cœco sub funere vultus:
Subtili consumpta intus vitalia flammâ;
Vaginâ illæsâ liquefactus ut effluit ensis,
Doliaque exhausto perstant integra Lyæo.
Ast ubi *compactum* perfregit dolia fulmen,
Nudata, en, subitæ circum vina humida crustæ
Concrevere. accita meri de fæce vaporum
Agmina concurrunt; suspensum obducta liquorem,
Ceu corio indutum, stipant; qualisve rigenti
Lympha gelu constricta, hærens; immobilis humor
Triduo agit: mox ingentem resolutus in amnem
Funditur. infelix, liquidum quicunque bidental
Attigerit labris! incauto amentia potu
Aut lethum hauritur. præsenti namque veneno
Corrupti latices, Autumni dulcia dona.
Impete nec solo, nec tantùm urente nocet vi
Pestiferum fulmen. quamvis & rebus eodem
Eripiat tactu infectis, purisque venenum
Invehat. hinc homines virosâ fulminis aurâ
Afflati, & nullum perpessi corpore vulnus,
Interdum letho volvuntur, quos neque *densus*
Fregerit, angustove ardor terebraverit ictu
Flammeus, aut rapido combusserit *igneus* æstu.
Terror, & aërium confecit funera virus.
Qui clypeorum orbes, quæ propugnacula fulmen
Sustineant? si quid moles pulsata resistat,
Obsistendo

Obsistendo iras & robora fulminis auget.
Tantâ laude ferox, humiles non ille myricas
Tundere dignatur victor, vallesque jacentes:
Sed Libani cedros, Tarpeiaque culmina gaudet
Dejicere, & Regum, turrita palatia, fastus.
Nil fragiles prosint lauri de fronde coronæ;
Non vituli æquorei circumdata corpore pellis,
Sparsave fulmineos hyacinthis purpura jactus
Avertêre. flagrant percussæ fulmine laurus,
Squammosæ exuviæ flammâ crepitante cremantur,
Dissiliunt hyacinthi, acrique calore liquescunt:
Præcipuè jussâ mores animosque superbos
Cum pœnâ insequitur vigilans in crimina fulmen.
Hinc pavor ille reis, fulmen dum parturit æther.
At vos, ô nullo squallentia crimine corda,
Flammæ ubi præsagus cælo fragor intonat alto;
Quis timor exagitat? tensis Deus ipse sub alis
Protegit, & scuti defensos orbe coronat.
Collisi inter se nimbi, sine fulmine, vento
Nonnunquam jactante tonant. non halitus omnis
Nubila concutiens funesto accenditur igni.
Contentus plerumque minis, ubi terruit Orbem,
Solvitur in ventos, & inani detonat ictu.
Ipsa fremens etiam concepto fulmine nubes
Non semper miseris cladem mortalibus affert.
Emicat in cælum nubis convexa per alta
Sæpe ardor; vel cùm in terras devolvitur, Othryn
Percutit aut Hæmum, aut præruptas obterit Alpes,
Raró homines. Cœcâ neque enim temeraria dextrâ
Tela jacit, certo librans sed dirigit ictu
Omnipotens, parcitque suis. Si quem tamen olim
Fulmineâ petiit flammâ; non vindicis irâ,
Sed jaculo clemens & Amoris sæviit igni.
Mortales rupere moras, & corpore tacto
Felicem rapuere animam, superisque dedere

Sedibus optandi pernices fulminis alæ.
Fulmineo ætherias arces ſuperare volatu
Quis metuat? quæcunque Deus te ad fata vocarit;
I, ſequere ipſe volens; & funere lætus in ipſo
Æterni. ſanctum Genitoris fulmen adora.

DE VARIO POETARUM STYLO.

QUI vultus hominum varios miraris & ora,
Naturæ ſolertis opus, diſcrimina formæ;
Haud ſecùs ingenii varios agnoſce colores,
Et ſtudia, & mores, præſertim diſſona Vatum
Carmina, Naturæ ſeu quæ felicis & Artis
Ficta manu; ſeu quæ vano fucata decore.
Obruar at cenſu, ſi fors ingentia Pindi
Nomina & artifices operum memorare ſuperbos
Inſtituam: proceresque nefas confundere turbâ.
Abnegat & juſtas numeris hora invida laudes.
Nec verò invadam partes cenſoris acerbas,
Aut infelices curas, vacuoſque labores.
Conſcia mens, teneroque vetat frons nata pudori.
Sed tamen Auguſti poſtquam lepor aureus ævo,
Heu brevis, enituit; quoties invita Minerva
Audaces animos, ſtudiis cœleſtibus impar
Vulgus adorantum, ſenſit; laurumque petentes
Grandibus eluſit votis averſus Apollo!
Ventoſas aliis bullas, ſpumaſque ſonantes
Ingenii tumor & fecunda licentia voluit;
Ceratasve quatit pennas, niſuque caduco
Aërias tentat maleſana audacia nubes.
Serpere humi pars viſa, & anhelo languet hiatu
Ægra, elumbis, iners, condenſoque obſita cœno:
Vel fragili ſplendet vitro, vel ferrea ſtridet.
Prædam alii Parnaſſo abigunt, & non-ſua paſſim
Oſtentant decora; & vario ſegmenta colore
Intexunt, furtis opulenti ac fraude ſuperbi.

Pars & barbaricâ in gazâ, fulvoque orichalco
Mirantur ſeſe, aç veteres ſprevere Camœnas.
Longè aliter, caſti gravitas cui priſca decôris,
Non exultim auras captans FLECHIERIA Muſa,
Aut incerta viæ, & tremulo pede lubrica lapſans;
Compoſito exuperat Parnaſſia culmina greſſu.
Iridis haud fluxos veſtis mentita colores;
Nec gemmis temere, ac peregrinis compta metallis,
Luxu indigeſto, aut ludo ſe jactat inani
Bracteolis crepitans, argutis tinnula nugis.
Circumfuſa ſuo radiat Muſa aurea Phœbo.





SILVARUM
LIBER VI.

IN FERDINANDI PRINC.
EUCHARISTICON LUDOVICO XIV.

Ob ipsius Regis, Reginæ, Delphini pictas imagines dono acceptas.



Sic Phœbi radios Martis fulgoribus addit,
Regia qui Vatum Maximus arma canit.
Reginæ augustos formæ veneratur honores,
Delphini Clariis exprimit ora modis.
Quàm bene, Apelleo spectatos munere, vultus
Explet Apollineâ vividus arte color!
Tergemina aspectu Fernandum pascit Imago,

Sidereæque auget lumine ſigna Domûs.
Principis exſcripta ingenio cultuque ſuperbit,
Nec dubiis gaudî viſa micare notis.
Quas referat, Vatum Princeps, tibi Gallia grates,
Nobilior verſu Gallia facta tuo?
Martia pacatæ veniunt in fœdera Muſæ,
Et partes Pietas jungit, & alma Fides.
Splendidus officiis certas cum Principe Princeps:
Mutuus alterno pignore creſcit Amor.
Milite bella juvas, ornas Pæane triumphos,
Et tua Regali laurea fronte nitet.
Sublimi per te Lodoix trans æthera fertur
Laude, triumphales exuperante rotas.
Nulla tuos ætas cantus aut ora ſilebit:
Gratibus & cedunt Regia Dona tuis.

SAMSON EXCOECATUS.

VERANE te vigilem, Samſon, ludibria verſant,
An tenebris miſcet ſomnia vana ſopor?
Quò mala fraus captum, quò vis inopina redegit?
Aut in me tantum cui licuiſſe poteſt?
O decus amiſſum capitis, vetitæque ſecari
Gratia purpureæ jam violata comæ!
Roboris invicti fatalia pignora crines,
Eheu, non ultra jam Naſaræus alo.
Ah, ſacrum Superis intacto vertice florem
Impia furtivo forfice dextra tulit.
Væ, Dalile, infamis Dalile! ſic perfida captas,
Inſidias ſomnis tendere vafra meis?
Hoc mihi blanditiæ, mellitaque verba parabant?
Hoc teneri amplexus? hoc bonus ille ſopor?
Exceptum genibus dum me ſcelerata foveres,
Divideres fuſam pectine cæſariem;
Æternumque inſtans, vitæque ad tædia adurgens,

Perdendi eliceres quæ via certa mei;
Jurati fallax titulos obtrudere amoris,
Pejor & armato ſævior hoſte lupa!
Quem non mille viri quondam cepere revinctum,
Fœmineâ potui liber ab arte capi!
Et dudum infelix, Thamnathæ diſcere caſu
Debueram, ingenium quid muliebre ferat.
Illecebras lacrymis, precibus miſcere querelas
Callida, quippe datam fregerat illa fidem.
At bene, quod crebrâ quærentem fraude fefelli!
Præcipitem quò me lubricus egit Amor!
Ut dixi, ut perii! ut perdita robora ſenſi
Evigilans, tonſæ neſcius antè comæ!
Tunc animoſi hoſtes, averſo Numine capti
Ferrea in effetas vincla dedere manus.
Sed quid ego Dalilam incuſo? meme ipſe, meumque,
Ut prodi poſſem, prodideram antè caput.
Quo Dalilæ ſacrum capitis crinale retexi,
Pluſquam hoc cœcus ego tempore, cœcus eram.
Illa meos nervis conſtrinxerat antè lacertos;
Vinxerat illa novis funibus antè manus.
Fixerat & clavo jam ſeptem implexa capillis
Licia. qui caperet, proximus hoſtis erat.
Sed neque tentatæ per terna pericula vires
Credere me turpi dedocuere lupæ.
Luce priùs mentem fœdi ſpoliaſtis amores,
Ut mediam nimbi ſurripuêre diem.
Mox odia in vultum furiatis hoſtica dextris,
Luce cavos orbant depopulata ſinus.
Ille ego *Sol* populi Samſon, nunc lumine caſſus
Monſtror in hoſtili, ceu fera capta, ſolo.
Ille Philiſtææ terror, jam nobile gentis
Ludibrium; patriæ nunc pudor, antè decus.
Improba me vexant petulantis ſibila vulgi;
Sæva cachinnati gaudia in ore natant.

Atque utinam crudos in me mihi cernere vultus
Detur, & auditis ora proterva jocis.
Triste genus voti! sedenim nec cernere possum,
Nec miser ipse meis illacrymare malis.
Ecce puer gressum regit; & palmaria nuper
Brachia, vinclorum pondere fracta cadunt.
His olim palmis, veluti mollissimus agnus,
Membra dedit torvus dilaceranda leo?
Hæne tulere manus convulsas cardine valvas,
Non grave, in aërii culmina montis, onus?
Quid validos juvit funes abrumpere? palmas
Vincla premunt, solvi nescia, vincla pedes.
Non potui infestis animam hanc effundere telis,
Cùm peterent nostrum spicula mille caput?
In probra servatus, discrimina bellica vici,
Victis ut ludos altera scena daret.
Festa, miser, præbes spectacula & orgia turbis,
Quas luctu solitus, quas onerare probro.
Quin etiam (proh triste nefas! proh carcere majus
Dedecus, & cœco fœdius ore malum!)
Ecce molam, ceu vile pecus, versare coactum
Tundit ab hostili plurima plaga manu.
O Deus, ô miserûm vindex ultorque nocentum,
Redde Philistæis præmia digna, precor.
Sanctus ego jamtum sterili tibi Matris ab alvo:
Parce profanatæ jam memor esse comæ.
Verte iras aliò, si te tua gloria tangit,
Omnipotens, si te barbara probra movent.
Namque tibi pariter, ceu victo, perfidus hostis,
Perfidus insultat, Numen inane ratus.
Audio, & insano strepitu plausuque triumphant;
Victor & accinitur per sua fana Dagon.
Da scelus ulcisci (Samsonem sentiar hostis)
Inque breves usus robora redde, Pater.

Dulce Philistæûm mihi sit traxisse ruinam,
Obtritura meum sit licèt illa caput.

DAVIDIS LACRYMÆ.

AGNOSCO, fateorque nefas. ah, parce fatenti,
O Deus, ô misero spesque metusque reo!
Peccavi, Omnipotens Genitor; labemque pudoris
Atrox innocuo culpa cruore gravat.
Tu gemini testis judexque & criminis ultor:
Nec fuga, nec latebra est ulla premente Deo.
Hei mihi, quæ cœcam rapuit vesania mentem!
Antiquæ cessit quò pietatis honos?
Quò nivei mores, & casti gaudia cordis?
Pax animi, & cælo blanda favente quies?
Eheu, funestâ perierunt omnia culpâ:
Pectoraque immanis conscia tortor habet.
Quid sævi fauces prodest fregisse leonis,
Ac rabidæ pecudes eripuisse gulæ?
Guttura quid nudis urso elisisse lacertis?
Deterioris ego præda pudenda feræ.
Et potui fundâ Goliathum sternere: miles
Pastori, puero succubuitque Gigas.
Fœmina probroso Regem devicit amore;
Et cecidi, viso perditus hoste, miser.
Quàm meliùs vasti cecidissem mole Gigantis
Obrutus; & purus tinxerit arva cruor!
O utinam canibus præda alitibusque jacerem,
Sparsisset tumidas nec levis aura minas!
Tartareo cessi de me spolia ampla Tyranno,
Quem citharâ quondam pellere ludus erat.
Depulsum toties alieno à corpore monstrum,
Væ, væ, animo excepi proditor ipse meo.
Nam quid tale Saül, solio dejectus ab alto,
Admisit, diris obrutus ille malis?

Obſcœnis populum exemplis peccare ſequacem
Edocui Princeps. Dux ego flagitii.
Flagitio adjeci facinus; feralis & umbra
Ante oculos volitat nocte dieque meos.
Hæccine munifico reddis Dominoque Patrique,
Ah, tantis referens crimina tanta bonis?
Vilibus abducto caulis regalia tecta,
Proque pedô manibus ſceptra gerenda dedit.
Et dedit erepto ſævis gaudere periclis,
Conjugiiſque auxit progenieque domum.
Heu nimiùm funeſta mihi, funeſta Sioni
Otia, queis noxæ prima recluſa via eſt!
Quin bello, mollis; quin caſtris, degener, ibas,
Urebantque tuas ferrea tela manus?
Dum tibi plebs pugnat, dum Rabbæ obſeſſa Joabus
Mœnia, & Ammonis robora dura quatit;
Dum tibi, caſtrenſem invictus perferre laborem,
Infelix Urias (ô dolor!) arma ciet:
Ignavum, & cedrinæ reſidem penetralibus aulæ,
Fortè vago incautum lumine cepit Amor.
Errones oculi, ſubiit queis peſtifer ignis,
Tartareo erumpens ſordida flamma rogo;
Ite oculi, lacrymis vigiles conſumite noctes;
Strata mihi lacrymis irrequieta natent.
Me Cilicum textus, me pellibus hirta cameli
(Splendida cede procul purpura) ſeta decet.
Excidat indigno capiti violata corona;
Impuras fugiant ſceptra verenda manus.
Innocuos auguſta decent inſignia Reges:
Nequitiæ ſervus regia ſceptra feram?
Nunc cinis aſpergat crinem, cinis imbuat eſcas;
Delicias turpes vindicet atra cinis.
Pocula miſcendo lacrymis turbentur amaris,
Mœſtaque ſanguineas expiet unda notas.
Atterat oſſa lapis, cinerique inſtrata favilla

Puniat infamem debita pœna torum.
Et jampridem arces, inferno carcere dignus,
Incesto Solymas: exprobrat aula nefas.
Ibo, & telluri infossus mea funera plangam:
Luctisonis rumpens vocibus antra, gemam.
Afflicti miserere, Deus, miserere clientis:
Ah, sceleris clemens elue probra mei.
Hostia lustrales si cæsa placeret ad aras;
Ante aras pecoris millia cæsa darem.
Verùm accepta tibi, sacro mens icta dolore,
Cordis & obtriti victima sola litat.

DEO INFANTI.

Tandem, Puppule concupite, tandem
Venisti, patrio evolans Olympo
Vilem sub tetrici specûs latebram,
Hospes Bethlemiæ tenelle rupis!
Ah, immitis Hiems, & insolenti
Qui flatu, Borea, specum pererras,
Parce, parce, precor, meo Puello.
En, ut dulcibus effluunt ocellis
Gemmantes lacrymæ, & genis inundant!
Audin', ut querulo dat ore tristem
Vagitum gemitumque mollis Infans,
Ille, quo tremuit polus Tonante?
Æia, nectare candido tumentes
Blanda prome Parens Deo mamillas.
Flentem, ô, virgineæ admove papillæ,
Pignus dulce Deum fovens alumnum,
Risum, lætitiam, beatitatem
Ardentum Geniûmque Mentiumque,
Agni quas epulæ piâ lacessunt,
Sponsas Numinis, esuritione.
Quo te munere ditat ipse, miro
Imple lacte Deum Parens alumnum.

Mille delicias Tuo recanta;
Mille blanditias Tuo repenſa.
Amplexus avidos, & arctiores,
Quàm vitis ſociam ambientis ulmum,
Quàm dilectam ederæ implicantis ornum,
Necte, necte tuo Parens amori:
Et fragrantibus oſculis pudica
Audax junge Deo labella puppo.
Totum lacteolumque melleumque
Infantem gremio Deum remulce.
Hujus te ſimul, hunc tui viciſſim
Æterno ſatia flagrantem amore.
At vos, queis Orientis ora paret,
Huc Panchæa citi Deo puello
Ferte tura, Magi: ſuperba egeno
Regum affundite Principi metalla.
Mortali inferias, amara ſuavi
Prælibet lacrymas odore myrrha.
Tum ſimplex pecus halitum tepentem
Hinc bos officioſus, hinc tepentem
Auritum pecus oris afflet auram
Certatim, Dominique delicato
Cruda frigora corpori repellant.
Auras carmine mulceant volantes
Circumquaque Chori: micantis aulæ
Affuſi Proceres novum recurvo
Regem poplite ſupplices adorent.
Et jam purpurei tholis Olympi
Defluxere, clientibuſque flammis
Incunabula Numinis coronant
Claris ſidera circumacta gyris.
Exortum in tenebris jubar ſalutant,
Stellâ progenito minore Soli
Vectigalibus advoluta turmis.
Curâ pervigili gregem ſilentes

Servantum propè noctis inter umbras
Ecce ruſtica turba, fulgurantis
Verbis Alitis evocata, parvi
Natalem volat ad caſam Tonantis.
Proh, quantas oculis faces Puellus,
Quot vibrat radios! quot eleganti
Vultu ſiderei nitent lepores!
Urit me Pueri decor: MARIAM,
Joſephum, Superos, Magoſque Reges,
Agreſteſque viros, & ipſa Puppus
Saxa Bethlemii perurit antri.
Vos aram mihi turibus calentem,
O quos tangit amor mei Puelli,
Liguſtriſque, roſiſque, liliiſque
Stratam ponite. Sed moramur aram?
Jam Præſepe ſacrum: Deuſque præſens,
Quam terris bonus intulit cremandis
Decerptam ætheriæ foco Sionis,
Flammam ſubjicit: *Ignis*, ipſe, corda
Conſumens amat immolata paſci.

JESU CRUCIFIXO.

O Matris dolor! ô Patris voluptas!
O terræ opprobrium, decuſque cæli!
Quem Regem ſuperæ ambiunt cohortes,
Dira carnificum opprimit caterva!
Nube qui ſuper, aureaque pictam
Luce ſplendidus inſidet curulim;
Pudore obrutus, obrutus dolore,
Infami cruce fixus ecce pendet!
Heu ſputa, heu colaphi! quid illa Regis
Fœdè ſiderei notaſtis ora?
Heu flagra, heu baculi! quid illa fœdè
Almi corpora conſcidiſtis Agni?
Ah ſpinæ! quianam ferâ tremendum

Sepſiſtis Domini caput coronâ?
Ah clavi! quianam orbis architectas
Plantâ cum geminâ manus foraſtis?
Cur, ô ſpongia peſtilens aceti,
Fellis pocula! cur ſiti æſtuantem
Linguam, & mellea labra diluiſtis?
Cur, ô ferrea, cor pium cruentas
Jam ſancti jaculis amoris ictum,
Extremi ſitiens cruoris haſta?
Haſta ferrea, fellei liquores,
Cum clavis tribuli, flagella, fuſtes,
Et ſputa & colaphi, dolorum acervus,
Myrrhæ faſciculus, Crucis ſupellex!
Infelix Deicidii theatrum,
Mons ô Golgotha, Gelboæ cruenti
Sævis diriùs execrande ſaxis!
Cæleſtis grave pulpitum Magiſtri,
Crux, ô, certiùs arduam ſuperbâ
Virtutem cathedrâ docens Lycei!
Sacri maxime Pontifex Amoris,
Chriſte, victima barbari Furoris,
Quis te, quis popa crudus immolavit?
Meum hoc illud opus, tuumque, JESU.
Sic te, ſic Amor & Furor biformi,
Heu, fœdè lacerum immolavit arâ.
Noſter cauſa tui Furor doloris,
Noſtri pœna tuus dolor Furoris:
Tanti dux & Amor tuus laboris.
Quem, JESU, calicem ebibiſſe gaudes,
Noſtrorum ſcelerum hæc amara fæx eſt.
Noſtræ victima tu, Deus, ſalutis.

GLORIÆ CURRUS

Amico post Luparæam editionem commissus.

CURRUM, quo vehitur recens Triumphus,
Ah, ne Gloria fors suum negarit,
Axe duriùs æreo strepentem,
Cælo insignia facta deterentem,
Festinô nimiùm, parum eleganti!
At si candidus obvium labori
Præbes, Hippolyte, arduo favorem;
Tum, quo devehitur recens Triumphus,
Currum Gloria fors suum probarit,
Læto gratiùs impetu rotatum,
Versu molliùs aureo sonantem,
Cœlo splendida facta subvehentem.

LUSUS AD AVICULAS.

HUC picti volucrum greges,
Argutæ, teneræ, vagæ
Huc Musæ nemorum, ad chelyn,
Vatis cura volate.
Hîc vivæ saliunt aquæ:
Argenti nitidus liquor
Obliquâ trepidat fugâ
Inter florea prata.
Quæ fonti superimminet
Densis obsita frondibus,
Præbet frigus amabile
Vernâ populus umbrâ.
Ramos, en, teretes quatit,
Pandens hospita brachia;
Invitatque loquacibus
Aurâ flante susurris.
Hic suavi modulamine,

Reſpondentibus invicem
Exercete diem choris,
Donec guttura rumpant.
  Fauces cùm ſitis uſſerit,
Ad fontis viridem citæ
Oram mittite corpora
Pronis incita pennis.
  Læti gramine marginis,
Aut quæ plurima candicant
Lymphas ſaxa morantia
Dulci non ſine queſtu;
  Tanquam ponticulis ſuper
Stantes, ducite pocula
Puri lubrica nectaris,
Propinante Napæâ.
  Sin & ludere juverit;
Libatos, age, rivulos
Alâ ſtringite mobili,
Exultimque micate.
  Mox plauſu lepidè dato,
Ad ſolis tepidi jubar
Explicabitis aureum
Plumæ vellus apricæ.
  Tum pes unguiculis comam,
Ceu pecten radiis aret:
Componat faciles ſinus
Roſtri morſus acuti.
  Nec vos pulveris ignei
Cautas ſollicitet pavor,
Ne mors plumbea miſſili
Vitam glande refigat.
  Arcto nec mala ſervitus
Alas carcere comprimens,
Virgato querimonias
Eliquabit in antro.

Nullæ hîc insidiæ : procùl
Fraudes aucupis improbi,
Viscatæque tenacibus
Virgæ sordibus absunt.
Huc symphoniacum genus,
Ruris deliciæ leves,
Quò vos ludicra provocant
Vatis plectra, volate.



FERDINAN-

FERDINANDUS EVERGETES.

HEU nimium falsi Vates, & inania rerum
Auguria! heu fati mendax ridentis imago!
Hæccine, quæ toties cantavimus aurea secla?
En, quò deliciæ, quò pulchræ pacis honores
Cesserunt; quò laudis amor, quò digna Camœnis
Præmia, & Aonii revirescens gratia collis!
Jam ferri solido rediere incocta metallo,
Tristia, sæva, cruenta, immanis secla Gradivi.
Hinc durus conspirat Iber, hinc Belgica tellus,
Asperaque ingenti fervet Germania bello.
Talibus indignans tacito sub corde fremebat
Musæus; spes ipse suas, atque irrita vota,
Et male præsagas damnabat carmina sortes.
Cùm subitò, niveæ formoso nubis amictu
Splendida, purpureoque micans fulgore per auras
Adstitit Euphrosyne. roseo tum blanda renidens
Ore, sacram dextrâ effigiem flavo extulit auro,
Laurea quam circùm viridante amplexa coronâ.
Atque his turbato solatia vocibus offert.
Parce agitare graves frustra, Musæe, querelas;
Haud Pindo satis æqua, immiti condita ferro,
Invidiâque onerans & amaris tempora probris.
At non Phœbei cecidit spes undique regni,
Nec decus obtritum, aut eversæ funditus Artes.
Suspice, & hos venerans propera cognoscere vultus,
Unde jubar toto diffusum Helicone reluxit.
Inclytus Heroum sanguis, virtute sed altum
Exuperans genus & patrii fastigia montis,
Furstenbergiades, geminoque augustus honore;
Unà idem Princepsque virûm Divûmque Minister
Regnat, & ingenuas dat splendida jura per artes.
Quis magnæ curas mentis, pulchrosque labores

Laudibus aut numeris æquet; tot grandia facta;
Et vario partos operum molimine fructus,
Seu quos Relligio, seu quos res civica legit?
Quot senio labefacta, hosti disjecta profano
Erexit delubra, situque informia Præsul
Ornat, in antiquum revocans jam templa nitorem!
Florentesque augere novâ bene prodigus aras
Insistit specie, marmorque aurumque superbos
Congerit in cultus: & pingues creber alendis
Agminibus gaudet Mystarum addicere fundos.
Quippe suis muros & propugnacula Princeps
Urbibus instaurans, ac moles molibus addens;
Idem & sacratas, munimen certius, arces
Attollit, Stygioque adversas instruit Orco.
Ingentes animos, heroum pectore robur
Gestat; & obnixus vitiis popularibus acer
Dedecora exscindit penitùs, quacunque biformem
Porrigit imperii, & justis vim legibus armat.
Præsertim, ne fortè duces contagia in ipsos
Serpant fœda gregis, lustratque probatque severo
Invigilans sensu, plebi quos rite Magistros
Præficiat, nullaque aspersos labe ministros
Sacrorum, ætheriæ dignos adstare cohorti.
Ah, misero longè abductas errore bidentes,
Et jam caularum immemores, jam noxia pastas
Gramina, quàm curâ Pastor sectatur amicâ!
Tristibus implicitas dumis, avidisque luporum
Faucibus eripiens, antiqua in septa reponit.
Voce potens dextrâque movet torpentia corda
Fernandus. quid non Pietas operosaque Virtus
Possit, & ingenii telis accincta coruscis,
Nobilitate opibusque vigens, ac Principe dignis
Moribus; exemplisque urgens blandissima jussa?
Ille quidem adversis obsistere viribus acer;
Præsulis & quæcunque sacros invadat honores,

Principis aut carpat civilia jura poteſtas;
Ille animis contra tendens, ſuprema tuetur
Munera: ſed plebem indulgens deſcendit ad imam,
Et patrio amplexus miſeros ſolatur amore.
Quin & nobilibus tenuis fortuna ſaluti
Autore hoc verti didicit: variaſque per artes
Munifici tacito pietas ſe læta receſſu
Aſſidua exercens, famæ ſubtraxit; & uno
Teſte Deo contenta, Orbi ſpectanda, laborat.
Eheu ſævities & perfida cura parentum!
Tartareum inſtillant natis, mala dogmata, virus;
Et quam non genuere, immortalemque nefandâ
Fraude animam ſtimuliſque necant fu ialibus icti.
Subvenit auxilio, & nimium fecunda malorum
Semina FERNANDUS blandis elidere curis
Sollicitus; dias Erebæis artibus artes
Objectat, Superûm interpres: pretioque receptas,
Ne pereant cœno immerſæ, generoſus Olympo
Inſtitor apponit vertitque in ſidera gemmas.
Ut, male dotatas, largo intra ſepta puellas
Relligioſa locat ſumptu; diroſque penates
Evaſiſſe juvat, thalamis jam rite paratas
Virgineis, ſponſumque Deum quærentia corda!
Diſſimulans & Præſul opem conſuetus honeſtâ
Ferre miniſterii ſpecie; quos legit Ephebos,
Nativâ exutos Lutheri labe refingit
Aligerûm in faciem, cæloque educere gaudet.
Tot fœdè ſciſſa in partes ſenſuſque profanos;
O tibi ſacrorum tales, Germania, Reges,
Sic animis apti fata in meliora vocandis
Accreſcant, virtute pares atque arte Magiſtri!
Jam redeat primæva Fides, lateque piatis
Atra lues terris conceſſerit: una per omnes
Relligio populos conſortibus imperet aris.
Certè non ſtudiis tantùm diſcordibus acti,

Sed templis etiam adversis castrisque feroces,
Hunc tamen, hunc animis unum concordibus omnes
Mirati coluere; & queis suprema potestas,
Nil capiti augusto dubitant summittere fasces.
Atque ubi, surda nimis Themidi, Mars impius arma
Increpuit; vastoque agitans hiberna tumultu,
Civilem hostili miscebat turbine motum:
Indoluit Pater Ausonius; testatus acerba
Cæsar & ipse sibi, Paderam quæ crimina Martis
Oppressere. simul celebri Germania cœtu
Tota favet; regna invectas per Bructera clades
Sarciri edicens, merito conspirat honore.
Quid, quòd amicitiam certatim & fœdera captant
Fernandi, & Pacis fidum optavere Sequestrem
Teutonidæ Proceres? densis pallatia fervent
Neuhusia, ex omni legatis parte, Ministris;
Qui Dominis responsa, velut commune rogantes
Gentibus oraclum, & gravibus certissima causis
Arbitria exposcant placitasque à Principe leges.
Tanta viri fama, & justæ sapientia mentis!
Imperii jura, & varios ab origine mores;
Annales populorum, ac Regum ex ordine facta;
Ceu, testis seclorum, oculis perlegerit Orbem;
Quidquid & immensus studiorum circulus ambit,
Omnia divinæ construxit mentis acervo.
Præsertim emissas adytis cæloque profectas
Doctrinas animo Præsul concepit, honesti
Multiplicem formam, factisque ingentibus explet.
Pontificum decreta, sacri consulta Senatûs,
Pectore fixa gerit, varioque oracula cœtu
Edita; concitos dubiis cùm publica rebus
Junxit causa Patres, cælestis & impulit aura,
Composuit sanctis purgatum legibus Orbem.
Nam quid ego æternas, Vatis redimicula, lauros?
Lumina quid referam florentibus illita chartis,

Gestarumque notas, Monumenta insignia, rerum?
Jam Paderæ vastâ quantum ditione locorum
Signavit bellique memor pacisque vetustas,
Romulidûm & palmis celebres & cladibus oras;
Sed magè Franciadûm spisso loca nota labore,
Justitiaque armisque, & queis augusta trophæis
Stat Pietas, fructusque suos Victoria sacrat;
Singula FERNANDUS multo cumulavit honore,
Largus inaurati specioso marmoris usu.
Splendore ac pretio sedenim præstantia, vincent
Marmoreos etiam durando carmina cippos.
Illa quidem jam sæpe tibi pulcherrima dona
Pignoraque autoris tanti celebrata; nec unquam
Sat tibi, sat gratis usquam celebranda Camœnis.
Nunc demum tanto felices Principe Musæ
Neuhusiam gaudent Parnassi rupibus aulam
Mutasse, & lympha meliorem Aganippide Fontem,
Hunc illum Magno quondam pacem inter & arma
Dilectum Carolo Paderam, longoque secutis
Ordine Cæsaribus. latici nunc infula sacro
FERNANDEA decus supremumque addit honorem.
Divitis & venæ sitiens, centumque sonantes
In numerum scatebras inhians, haustuque beato
Circumfusa viget Vatum floretque corona.
Torckius imprimis, qui sanguine clarus ab alto — V. lib. 1. Heroic.
Relligionem opibus sumptuque adnixus amico
Rite fovet. scit Minda pios, quos ille labores
Instruit & cultus, victoque Errore triumphos.
Et queis Rotgeriæ cælestia carmina terris
Non audita lyræ, FERNANDI proxima plectro?
Ut socialis amor, niveis & moribus ambo,
Dulcibus & studiis Romæ conjunxit, & oris
Jam Padebornæis æterno fœdere nectit.
Nec generis tantùm antiqui splendore superbo
(Ex quo Teutonibus Princeps, rerumque Magister,

Ordinis armigeri quondam ſceptra inclyta geſſit)
Quantùm animo, quantùm virtute inſignis & arte
FURSTENBERGIADEN retulit, morumque nitore
Egregio, doctæ lux Plettenbergius Aulæ.
Caſtaliæ aſſertor laudis, vindexque, ſub aſtra
Extulit indigno violatum crimine nomen,
Sanctum, auguſtum, ingens Vatum & venerabile nomen.
Omnigenas Proceres, nec lauro ſimplice frontem
Evinctos memorat, Regeſque Duceſque, Poëtas:
Quos populi coluere Patres; tot conſcia Divis
Pectora, tot puro luſtratas æthere mentes
Agglomerat, ſeriem immenſam, ſpectataque priſcis
Sidera, poſtremis & adhuc fulgentia ſeclis,
Urbanoſque & Alexandros, quos ille Quirinæ
Majeſtatis apex ſoliumque admovit Olympo.
Sic Heroum acies monſtra in deformia pulchro
Dirigit eloquio, denſis ubi cincta coronis
FURSTENBERGIACI producit carmina Phœbi
Magnanimus ſcriptor. quid, quæ facunda laboris
Hiſtorici monumenta parat, gentique perennem
Famam Hildeshemiæ? Francis & gloria creſcet.
Ille etiam dulces haud ultimus inter amicos
Principis, eximioſque aulæ Paderenſis honores,
Schatenius, quo Teutonidûm non certior alter
Eoas agitat linguas, lateque patentes
Hiſtoriæ vaſto concluſit pectore tractus.
Quem dubiâ certans Pietas Doctrinaque palmâ
Vindicat; & tenuis quærentem arcana latebræ
Ambiit ipſe favor, ſpectandumque intulit aulæ.
Illum adeo vitæ aſcivit comitemque ducemque
Oſnabrugenſis, Bavaroque à ſtemmate Præſul
Romanoque micans oſtro. Mimigardius exin
Antiſtes, caſtris pariter ſpectatus & aris,
Suſcepitque virum; carumque & nobile munus

Fernando, vinci demum vi paſſus amicâ,
Tradidit inſtanti, ac ſtudiis in aperta vocanti
Hoſpitia, & grati conſortia docta laboris.
  Hîc valido excudit ſplendentia tela metallo
Schatenius, Carolo queis poſthuma bella revincat:
Ter-Magno Carolo, qui conjurata, ſuperbis
Verior Auſonidis Germanicus, arma refregit
Saxoniæ, juſſitque feram miteſcere gentem.
Nunc alius movet arma furor, pugna altera ſurgit.
Signifer Auguſtum cœcis Niſanius auſis
Appetiit (quis enim ſuper errorisve dolive,
Luthero præeunte, pudor ?) ceu ſacra peroſum,
Veſtphalicis quæ rite plagis fundavit, & urbes
Mitratis latè Patribus genteſque ſubegit.
Nempe Quirinalis Carolo jura illa Tiaræ
Agnita quis credat ? vanum dediſcite morem,
O populi. fœdæ tenebras atque horrida noctis
Monſtra, ſitumque ſagax informem diſpulit autor.
Quamvis Alpinas Heros tranſcenderit arces,
Pontificum in partes veniens, ſævoque tyranno
Vexatum eripiens Hadrianum, almoque Leonem
Reſtituens ſolio, ac patrio veneratus honore;
Maximus & quanquam templa ad Romana Sacerdos
Cæſaream impoſuit Franco ſanxitque coronam,
Imperiique auxit titulis Regalia ſceptra:
Nil tanto fuerit, Latio cum Præſule, Regi;
Tantarum ſeries numeretur fabula rerum.
  Ah Pietas ! ah caſta Fides ! ſic omnia vertit
Infelix Novitas, nimiumque ingrata ſupremi
Poſteritas meritis Auguſti, & conſcius Error!
Haud impune tamen : chartas nec paſſus ovantes
Niſanî volitare, leves ſine vindice nugas;
Sed capiti temere aſperſam labem ecce verendo
Strenuus abſtergit, ſcriptiſque ultricibus inſtat
Cæſareæ laudis & Relligionis avitæ

Defenſor, fraudeſque & inanes diſcutit umbras.
Mox idem faſtis commenta inſana refellet
Æternos Fidei referens Caroliqne triumphos;
Seu Mimigardiacæ priſcis decora eruta ſeclis,
Seu Padebornææ gentis, fidoſque Latino
Expolit annales cultu. Fernandus & amplam
Undique materiem cura ſumptuque benignus
Suggerit, & libros monumentis grandibus aptat.
Nec Vaticano parcit deducere ab alto,
Et quocunque latent ævi documenta receſſu,
Veſtphalicæ ſegetem hiſtoriæ, doctique laboris.

Cetera Neuhuſiæ præſtantia membra cohortis
Si numerare vacet, propriaſque evolvere laudes!
Teutonicæ flos gentis, & Aulica Principe turma
Digna ſuo, decori certatim incumbere gaudent;
Ingenuas artes concordi mente frequentant.
Hi res ætherias, divina humanaque jura;
Pæonias illi curas, Coïque Magiſtri
Scita agitant: aliis alii, quæ cuique facultas,
Exercent ſtudiis animos. juvat æmulus ardor
Conſortes operum, ac Domino generoſa placendi
Ambitio, crebriſque ornandæ inſignibus aulæ.

Nec ſua Fernando tantùm ſervire caterva,
(Vincit Aliſonis caſtrum quà Palladis arcem)
Proxima nec tantùm regio, circumque ſuperba
Geſtit, & Aonio certat Germania cultu.
Par agit externos ſtimulis amor. undique docti
Confluere in Paderam fluctus; totoque clientum
Scriptorum ſubit orbe chorus, magnique Patroni
In laudes grateſque, operum lectiſſimus ordo.
Pompa ſequax, vario glomeratur carmine donum,
Nobile ſeu meritâ Fernandi ſorte tributum.
Hinc petere auſpicium ſtudiis placitoque labori
Biſgemina Heſperia, & Padulo ſubmittere ſeſe
Electrô Padus & liquidô Tagus inclytus aurô.

Huc Belgæ, huc Dani Vates; huc plurima Franci
Nominis accurrit, ſervatque Camœna tenorem.
Longinquum munivit iter Verjuſius, & qui
Regia Teutonicas ſolers mandata per aulas
Summorum curat Procerum; Regiſque Miniſtro
Qui comes adjunctus Fratri, nec muneris exors,
Principis it juſſu, Phœbo dilectus uterque,
Ac Fernandeæ ſuccenſus laudis amore.
Plura loquar: Fratrum ſedenim quid gratia poſſit;
Quæ decora amborum, tantiſque exercita rebus
Ingenia, & pulchras virtus ſpectata per artes;
Privatim expertus, crebrique haud immemor uſquam
Officii, jam læta frequens ad plectra vocaſti.
Quid meritis dignum referas? nec-opinus apertos
Ultro aditus ſummam debes Heliconis in arcem,
Sanctaque Fernandi penetralia, Principe felix
Magnifico, abſentem donis jungente Poëtam.
Et largæ quàm blanda manûs, quàm ſplendida in omnem
Aoniæ effundunt ſeſe commercia partem!
Aurea Neuhuſio jam ſpargi teſſera, claræ
Pignus amicitiæ, cœpit, regale numiſma.
Jamque adeo præſume oculis, quod Sequana reddet
Miſſile, & aggeſtos pretiis cumulabit honores.
Hæc ubi dicta dedit; penitus ſe nube reductâ
Euproſyne involvens, venerandum & amabile rurſus
Elatum dextrâ ſimulacrum objecit, & auri
Circùm auras fulvo radiantes lumine pinxit.
Muſæus tacito verſans illuſtria corde
Munera Fernandi, lunato à littore ſoluit,
Burdigalæ aërias turres portuſque bicornes
Reſpiciens longè, ac pleno delabitur æſtu.
Dumque ſecat remis tumidum veliſque Garumnam,
Quique Garumnæ ingens ſocio confunditur alveo,
Aurigenam; mox & ſerpentem Pictava Clenum

Arva inter, Turonumque inter felicia culta
Stagnantem Ligerim, tot amœnis flumina campis
Collustrans, alios animo complectitur amnes.
Jam pulchra Amisii, Paderæ jam pulchra fluenta,
Ambraque Luppiaque, & nemorosi forma Visurgis
Sponte suâ occurrunt : & quà via cunque nitentes
Ostendit rivos; vitrei læto ubere fontes
Iburgi, Smechtæ, Paduli, notissima menti
Gaudia succedunt; tua per monumenta fluentes
Dulciùs, ô Princeps, operoso marmore cincti,
Constratisque viis, & opaco frigore fontes.
Auratisque incisa notis tua carmina, cantu
Suavius adspirant volucrum nemorumque susurro.
Denique Parisias ubi contigit advena sedes;
Non illum egregii numeroso fornice pontes,
Ænea signa super, bifido vel gurgite magnus
Sequana, & irrigui sinuoso flumine tractus
Permulcent, avidoque aspectus corde morantur.
Non urbis speciem immensam, prætoriaque alta
Musæus, contracti inhiat miracula mundi.
Obvia regifici decoris spectacula passim
Alliciant; FERNANDO animos defixit in uno;
Unica FERNANDI ante oculos versatur imago.

FINIS.

Nonnulla, quæ variis sparsa schedis interciderant festinanti, commodùm in has vacantes paginas conjici posse visum est, additamenta Dialogi de Albo & Nigro Colore.

P*Agina 395. versu 7. &c.*

Feta dolis. hinc illa Fides, quæ ludere ruptis
Punica fœderibus gaudet; perjuriaque inter,
Effera barbaries Libycis cognata cerastis,
Regulus immani qualem perpessus ab hoste.
At formosa virûm &c.

Pag. 396. post versum 5. hæc adde.

Pythagoræ in gremium placido sese alba volatu
Demittens aquila, & superum testata favorem,
Junxit amica sacræ cælo commercia mentis.
An non cœruleas &c.

Post versum 19. ead. pag.

Oscine quid corvo, Phœbi dum fertur ab ortu,
Lætius auspiciis? clarum & mirabile corvus
Prodigium, officiis quantas civilibus olim
Delicias Romæ fecit! cùm insistere rostra
Matutinus amans, hinc multam rite salutem
Dicere Cæsaribus primùm gestiret, & omni
Mox populo. postquam crudelis crimine Parcæ
Publica vox cecidit, corvo ingemuere diserto,
Sollenni elatum pompâ luxere Quirites.
Indecores, ubi membra fame jam victa senescunt,
Degeneresve aquilas ignavâ albescere plumâ,
(Quas simul ac timidos corvus profligat olores;)
Prævalidâ fuscas specie, curâque suorum
Novimus egregias, teneros educere fetus
Unicè amant, dignosque Jovi finxisse ministros.
Leucothean narras? lymphatam scilicet Ino,
Quæ præceps furiis mater, pejorque novercâ,

Abreptam secum demersit in æquora prolem.
Gloria terrarum &c.

Ac subinde post 7. versum. Danaeïus heros.
Ætheriosque orbes animo complexus & astra,
Sustinuisse humero fertur Maurusius Atlas.

Pag. 397. sic lege 3. vers.

Æolio erumpens, cælo maria aspera miscet,
Perque agros diro perque urbes flamine sævit
Pestifer, & populis fatum lacrymabile portat.
Nauta vocat &c.

Post 14. vers. lege.

Candet inardescens nubes; ceu ferrea massa,
Quam fornace faber domitans rapido extulit igni
Vibrantem, & sævo longè stridore minantem.
Hinc *alba*, & cœcam parientia *fulmina* mortem,
Illapsâ absumunt penitùs vitalia flammâ.
Forsitan & clarus &c.

Ac septimo post versu.

Stelliferis Nox alma rotis quàm dulcia volvit,
Explicat & latè picto spectacula mundo;
Interea campos, arentis & ubera terræ
Fecundi tacitâ reparans aspergine roris!
Ecquis, ubi æstivos &c.

Pag. 399. post v. 15. adde.

Nec mihi, fors nigros libeat jactare lapillos,
Gemmea defuerit vivo splendore supellex.
At tu Leucopetræ &c.

Pag. 400. post vers. 18.

Formidata reis inter subsellia curas
Ille salutifero gaudens candore lapillus
Eximit, assertor capitis. væ, calculus ater *&c.*


ERRATA


In Silvis Typographica ſic emenda.


P*Agina* 359. *verſu* 11. geminum.
Pag. 381. *verſ.* 12. ſtringere.
Pag. 398. *verſ.* 15. antra.
Pag 406. *verſ.* 33. frontem.
Pag. 421. *verſ.* 25. indiga.
Pag. 424. *verſ.* 2. trabeati.
Pag. 437. *verſ.* 26. pars.
Pag. 438. *verſ.* 7. concipiunt.
Pag. 441. *verſ.* 21. hebetes.
Pag. 455. *in* 2. *titulo*, aſpicio.
Pag. 470. *verſ. ult.* cachinnanti.


FR
OPE
POE


colorchecker CLASSIC





















calibrite

mm